
5

Deutsch mit des englischen Ueber-
setzers Hill's Anmerkungen
und einer Abhandlung über die
Steinschneidekunst der Alten
v. A. H. Baumgärtner
Nürnberg 1770 in 8°



IOANNIS DE LAET

Antvverpiani

De

GEMMIS ET LAPIDIBUS

LIBRI DUO.

Quibus præmittitur

THEOPHRASTI

LIBER DE LAPIDIBUS

Græce & Latine

CUM

Brevibus Annotationibus.



LUGDUNI BATAVORUM.

Ex Officina IOANNIS MAIRE.

ANNO CIↃ IↃ C XLVII.

Sereniſſimæ Principi

ELISABETHÆ,

FREDERICI BOHEMIAE REGIS,

COMITIS PALATINI, S. R. IMP.

ELECTORIS, FILIAE NATU

MAXIMAE,

SEXUS SUI PRAESTANTISSIMAE

GEMMÆ,

Hunc ſuum de Gemmis & Lapidibus
commentarium devotiſſime

OFFERT ET DEDICAT

IOANNES DE LAET

Antvverpianus.

Ad Benevolum & candidum Lectorem.

LIcet multi Auctores tam Antiqui quam recentiores, doctiſſime & diligentiſſime de Gemmis & Lapidibus ſcripſerint, & inter omnes ſuperioribus annis D. Anſelmus Boëtius de Boot Brugenſis, RUDOLPHI II. Imperatoris Medicus, tamen multa adhuc intacta reliquerunt, quædam etiam perperam tradiderunt; præſertim illi, qui ſine iudicio à veteribus tradita interpolarunt, atque ipſa nomina Gemmarum & Lapidum, partim à medii ævi ſcriptoribus corrupta acceperunt, partim ipſi corruperunt: ita ut non pauca deſiderentur ad nobiliſſimam hanc hiſtoriam perficiendam. Quapropter cùm à iuventute mea, quædam curioſe in hoc genere obſervaſſem, plurima quoque à peritiſsimis Gemmariis & artificibus, qui in hoc ſubiecto

 vel

vel maximè audiendi ſunt, didiciſſem; operæpretium me facturum exiſtimavi, ea quæ ab aliis præterita fuerunt adiungere, & perperam accepta atque tradita corrigere, atque ita peritioribus occaſionem dare, ſuas quoque obſervationes publico impertiendi. Addidi & Icones aliquot accuratè expreſſas; quaſdam quoque è Geſnero & aliis huc tranſtuli. Denique præmiſi THEOPHRASTI librum de Lapidibus, qui licet mutilus ſit, tamen uti à ſummo Philoſopho ſcriptus, merito magni faciendus eſt. Quam meam operam ut boni conſulas, rogo, & ſi quid rectius noſti, candide impertias.

IN-

INDEX CAPITUM

Libri Primi.

CAp. I. *De Adamante.*
Cap. II. *De Carbunculis. Rubino. Balaſio. Spinello. Rubacis & Rubacellis.*
Cap. III. *De Granato.*
Cap. IV. *De Alabandicis, Trœzeniis: Sandaſtro & Sandareſo.*
Cap. V. *De Amethyſto.*
Cap. VI. *De Hyacintho.*
Cap. VII. *De Sapphiro.*
Cap. VIII. *De Smaragdo.*
Cap. IX. *De Praſo & Chryſopraſo.*
Cap. X. *De Beryllo.*
Cap. XI. *De Topazio veterum, quem recentiores perperam vocant Chryſolithon.*
Cap. XII. *De Chryſolitho veterum, recentiorum autem Topazio.*
Cap. XIII. *De Opalo.*
Cap. XIV. *De Oculo Felis.*
Cap. XV. *De Cryſtallo & Iride.*
Cap. XVI. *De Sarda.*
Cap. XVII. *De Onyche.*
Cap. XVIII. *De Beli oculo & oculo mundi.*
Cap. XIX. *De Sardonyche.*
Cap. XX. *De Morio & Pramnio.*
Cap. XXI. *De Chalcedonio.*
Cap. XXII. *De Achate, Iaſpide, Heliotropio.*
Cap. XXIII. *De Lapide Nephritico.*

Cap. xxiv. *De Lapide Colico & ad uteri ſuffocationes.*
Cap. xxv. *De Molochite & Turcoïde.*
Cap. xxvi. *De Cyano ſeu lapide Lazuli & de lapide Lipis.*
Cap. xxvii. *De lapide Novacularum Novæ Hiſpaniæ è Fr. Ximenes.*
Cap. xxviii. *De Fluoribus.*

LIBRI SECUNDI

Capitum Index.

Cap. i. *De Stellari lapide; Aſteria: & de Lapide Bufonis.*
Cap. ii. *De Corallio, Pſeudocorallio, & aliis quibuſdam Plantis quæ lapideſcunt.*
Cap. iii. *De Gloſſopetra: Alectorio lapide; Chelidonio & Dracontia.*
Cap. iv. *De lapidibus qui ſerpentes referunt: de Ovo Anguino.*
Cap. v. *De Vmbilico marino, lapide Caimanum, & aliis.*
Cap. vi. *De lapide Manati, Percæ, Limacis, Tuberonum, Bezoar.*
Cap. vii. *De Aëtite lapide & Callimo, Geode, Enhydro, atque Enorchi.*
Cap. viii. *De Amianto lapide.*
Cap. ix. *De Hæmatite vero & ſpurio; Smiri lapide; & Schiſto.*
Cap. x. *De Oſtracite & Ollis nativis.*
Cap. xi. *De lapide Samio: Talco: Selenitide.*
Cap. xii. *De Pumice, Poro, Topho, aliiſque lapidibus pumici cognatis.*

Cap.

CAP. XIII. *De Sarcophago ſive Aſſio lapide.*
CAP. XIV. *De Phrygio lapide & Agerato.*
CAP. XV. *De lapide Spongiæ, Renali & Hyſteropetra.*
CAP. XVI. *De lapide Iudaico.*
CAP. XVII. *De Trochite, Entrocho & Encrino.*
CAP. XVIII. *De Morochto lapide, & Galactite.*
CAP. XIX. *De Thyite, Melitite, Steatite.*
CAP. XX. *De Oſſifrago lapide; Enoſteo; Stalactite.*
CAP. XXI. *De Stalagmite, Ammite, & Ammochryſo.*
CAP. XXII. *De lapide Crucifero, Cornu Ammonis, Tephrite, & Hæpheſtite.*
CAP. XXIII. *De Belemnite, Dactylo Idæo.*
CAP. XXIV. *De Ceraunia.*
CAP. XXV. *De Chelonitide, Brontia, Ombria.*
CAP. XXVI. *De Marmore, Lychnite & Phengite: & aliis.*
CAP. XXVII. *De Marmore Ophite: & lapide fungifero.*
CAP. XXVIII. *De Lapide Geranite, Hieracite & Perdicite.*
CAP. XXIX. *De variis lapidibus qui nomen à ſimilitudine rerum quas referunt aut à rebus ipſis in lapides mutatis habent.*
CAP. XXX. *De Teſtis ſeu Conchis lapideis quæ variis in locis reperiuntur.*
CAP. XXXI. *Obſervationes aliquot ad cap.* CCIII. *Boetii, in quo agit de nonnullis lapidibus & gem-*

mis variorum Auctorum ſecundum ordinem Alphabeticum.
CAP. XXXII. De lapide Bononienſi: Cocco & Ytapu.
CAP. XXXIII. De Bucardia.

Pro-

Prolegemenôn loco viſum hîc præmittere ſequentia ex Animadverſionibus Cl. Salmaſii ad Solinum pag. 98.

AEoles γέμμα dicebant quicquid ad ornatum induitur: reliqui Græci εἷμα. Æolicè ἕμμα & addito digamma γέμμα. Inde Latini videri queant feciſſe vocem *Gemma* de lapillo pellucido ac precioſo, qui auribus, collo ac digitis induitur ad ornatum. Gemma ergo parvus lapillus & rarus, non tantum lævis, nitidus, durus, ſed etiam pellucidus. Sic *lapillos* à *gemmis* diſtinguunt Iuriſconſulti noſtri, quod lapilli cœci & obſcuri, gemmæ verò tralucidæ materiæ ſunt, hoc eſt διαφανεῖς; nec ἔμφασιν tantum habent ſed etiam διάφασιν. Ex his patet non ſolum τὸ λεῖον, τὸ πυκνὸν, τὸ στιλπνὸν καὶ τὸ διαφανὲς lapidem ut gemma ſit facere, ſed etiam τὸ σπάνιον καὶ μικρόν. niſi enim ſit ea magnitudine ut commodè geſtari poſſit, cautes potius vel lapis, quam gemma: nam multi lapides lævore, nitore, duritie & pellucida materia commendantur, ſed quia grandioris ſunt formæ, marmoribus potius quam gemmis adnumerandi veniunt. Theophraſtus de lapidibus: ἔνιοι δὲ καὶ σπάνιοι πάμπαν εἰσὶ καὶ σμικροὶ, καθάπερ ἥτε σμάραγδος καὶ τὸ σάρδιον, καὶ ὁ ἄνθραξ καὶ σχεδὸν λόγῳ τῶν εἰς τὰ σφραγίδια γλυπτῶν. Sic legendus ille locus. Huiuſmodi parvi & rari lapilli, qui propriè gēmæ ſunt, ad annulos præcipue ſculpebantur: ideo dicit, σχεδὸν τοὺς εἰς τὰ σφραγίδια γλυπτοὺς, quibus fermè comprehendit hoc genus σπανίων πάμπαν καὶ σμικρῶν. Hinc grammatici veteres Græci, Amethyſtum, Sapphirum, Carbunculum & alias eiuſmodi gemmas, σφραγίδας interpretantur. Ἀμέθυ-

στος, εἶδος σφραγίδος. Παιδέρως, εἶδος σφραγίδος. & ita de aliis. Hic primus & vetuſtiſſimus apud Græcos uſus horum minimæ formæ lapillorum, ut ſculperentur & auro includerentur, digitoque geſtarentur ad ſignandum. Proinde gemma eſt propriè σφραγίς. Plinius de obſidiano lapide; *multi & gemmas ex eo faciunt.* πολλοὶ καὶ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν ἐξ αὐτοῦ. Theophraſtus de Smaragdo: διὸ καὶ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν ἐξ αὐτῆς. ἔστι δὲ σπανία καὶ τὸ μέγεθος οὐ μεγάλη. & in ſequentibus de eodem lapide: εὑρίσκονται δὲ σπάνιαι μέγεθος ἔχουσαι σφραγῖδος, ἀλλ' ἐλάττους αἱ πολλαί. Latinè reddere liceret; *raræ reperiuntur, quæ magnitudinem gemmæ habeant, multæ etiam minores.* Certa ergo & ſtata tunc erat magnitudo earum gemmarum quæ ad annulos & σφραγῖδας expetebantur, quibus nec minima forma nec grandior conveniebat. Hinc quoddam genus Sardæ gemmæ quæ paulo amplior eſſet δίσημον vocabant, quaſi magnitudinem haberet duplicis σφραγῖδος. Græci porro non habent vocem qua gemmam à lapillo diſcernant, ut noſtri fere Iuriſconſulti, ſed διαφανεῖς λίθους vocant omnes lapides pretioſos, qui pellucidi ſunt: λίθους cæteros qui non pellucent, unde λιθίζοντας appellant in genere tranſlucentium, qui obſcuriores ſunt ac cœco viſu: ſed & λίθους abſolutè omnes gemmas: unde διάλιθον & λιθοκόλλητον σκεῦος vas gemmatum.

Tranſlucidis gemmis accidit & color & fulgor. Sed aliud in gemma *color*, aliud *fulgor*. Etenim aliter in tralucido fulgent, aliter in deiectu & inclinatione, aliter in ſuſpectu; aliter contra Solem, aliter in umbra; & varie in variis relucent poſituris gemmæ. Selenitis gemma candida eſt, quæ melleo fulgore tranſlucet. Sic Melichryſi colore quidem au-

reo

reo ſunt,ſed melleo colore tranſlucent. In traluci-do fulgor ille melleus Selenitis & Melichryſi ſpectatur, & in corpore gemmæ eſt, non in ſuperficie relucet. In aliis pro inclinatione ac ſitu fulgor variatur & à colore gemmæ divertit.

Pretium autem feciſſe & auxiſſe gemmis raritatem illuſtri teſtimonio docet Plinius lib. XXXVII. cap. I. cum de Achate Pyrrhi Regis egiſſet, addit: *Nec deinde alia quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas extat apud auctores; præterquam Iſmeniam Choraulem, multis fulgentibuſque uti ſolitum, comitante fabula vanitatem eius, indicato in Cypro ſex aureis denariis Smaragdo, in quo fuerat ſculpta Amymone, iuſſiſſe numerari: & cum duo relati eſſent, imminuto pretio, male me Hercules curatum, dixiſſe: multum enim detractum gemmæ dignitati.*

C. Pli-

Procemio lib. XXXVII.

UT nihil inſtituto operi deſit, gemmæ ſuperſunt, & in arctum coacta rerum naturæ maieſtas, multis nulla ſui parte mirabilior: tantum tribuunt varietati, coloribus, materiæ, decori, violari etiam ſignis gemmas nefas ducentes. Aliquas vero extra pretia ulla, taxationemque humanarum opum arbitrantes, ut pleriſque ad ſummam abſolutamque rerum naturæ contemplationem ſatis ſit una aliqua gemma.

Idem ibidem cap. IV.

Maximum in rebus humanis, non ſolum inter gemmas, pretium habet Adamas &c.

Proximum apud nos Indicis Arabiciſque Margaritis pretium eſt &c.

CAP. V. *Tertia autoritas Smaragdis perhibetur pluribus de cauſis: nullius coloris aſpectus iucundior &c.*

CAP. VI. *Opali Smaragdis tantum cedentes. Primus autem Romanorum Sardonyche uſus eſt prior Africanus, ut tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam: quamobrem proximum ei dabimus locum.*

CAP. VII. *Ardentium gemmarum principatum habent Carbunculi &c.*

CAP. VIII. *Egregia etiamnum Topazio gloria eſt ſuo virenti genere &c.*

CAP. IX *Alius ex hoc ordo purpureis dabitur & ab illis deſcendentibus. Principatũ Amethyſti Indicæ tenent, &c.*

CAP. X. *Achates in magna fuit auctoritate; nunc in nulla eſt &c.*

CAP. XII. *Omnes gemmæ mellis decoctu niteſcunt, præcipue Corſici, in omni alio uſu acriora abhorrentes.*

CAP.

CAP. XIII. *Tranſlucentes matutino probari cenſent: aut ſi neceſſe eſt, in quartam horam; poſtea vetant.* Experimenta pluribus modis conſtant: primum pondere, ſi graviores ſentiuntur: poſt hæc corpore; factitiis puſtulæ in profundo apparent, ſcabritia in cute, in capillamento fulgoris inconſtantia & priuſquam ad oculos perveniat deſinens nitor.*

Ibidem. *Tantaque differentia eſt, ut aliæ ferro ſculpi non poſſint, aliæ non niſi retuſo, verum omnes Adamante. Plurimum vero in his terebrarum proficit fervor.*

ERRATA

ERRATA

Typographica ſic corrigenda.

PAg. 36. l. 2. auſteritatis. 48. l. 28. ſuperioris. 53. l. 8. *Scenites*. 59. l. 4. naturâ. 64 l. 6. Zenotheme. 86. l. ult. formam. 90. l. antepenul. Sapphirum. 103. l. 8. percuſſas. 111. l. 21. *Ilaman*. 119. l. 10. Pharmacopœus. 163. l. 31. Iudaicum. 149. l. 31. ferens. 158. l. 17. *foudre*. 164. l. 8. XXVI, atque ita deinceps capita unitate augenda ſunt ut numerus capitum conſtet.

THEO-

THEOPHRASTI

De

LAPIDIBUS

LIBER.

Τῶν ἐν τῇ γῇ συνισταμένων, τὰ μέν ἐστιν ὕδατος, τὰ δὲ γῆς. ὕδατος μὲν, τὰ μεταλλευόμενα, καθάπερ ἄργυρος καὶ χρυσὸς καὶ τἄλλα. γῆς δὲ λίθος τε καὶ ὅσα λίθων περιττότερα· καὶ εἴ τινες δὴ τῆς γῆς αὐτῆς ἰδιώτεραι φύσεις εἰσὶν, ἢ χρώμασιν, ἢ λειότησιν, ἢ πυκνότησιν, ἢ καὶ ἄλλῃ τινὶ δυνάμει.

Eorum quæ in terra concreſcunt, alia quidem ſunt ex aqua, alia autem è terra. Ex aqua quidem metalla; ut argentum & aurum, & reliqua: è terra autem & lapis, & qualia lapidibus præſtantiora; & ſi quæ etiam ipſius terræ inſigniores naturæ ſunt, ſive coloribus, ſive lævoribus, ſive denſitatibus, aut alia aliqua facultate.

Breviſſime explicat Philoſophus differentiam metallorum & lapidum ratione materiæ; dum illa quidem ex aqua, hos vero è terra generari docet. Per, *lapidibus præſtantiora*, intelligit gemmas, ut in progreſſu videbimus. Non eſt autem nobis propoſitum, diſquirere, an hæc illius ſententia vera ſit, nec ne; maioris hoc operæ foret; tantum ipſius mentem explicamus.

Περὶ μὲν οὖν τῶν μεταλλευομένων ἐν ἄλλοις τεθεώρηται· περὶ δὲ τούτων νῦν λέγωμεν. Ἅπαντα [a] οὖν ταῦτα χρὴ νομίζειν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐκ καθαρᾶς τινος συνεστάναι καὶ ὁμαλῆς ὕλης, εἴτε ῥοῆς, εἴτε διηθήσεως διά τινος γινομένης, εἴτε, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καὶ κατ' ἄλλον τρόπον ἐκ-

**

κεκρι-

a Palatinus codex habet ἂν.

κεκριμένης. τάχα γὰρ ἐνδέχεται, τὰ μὲν οὕτως, τὰ δ' ἐκείνως, τὰ δ' ἄλλως. Ἀφ' ὧν δὴ καὶ τὸ λεῖον, καὶ τὸ πυκνὸν, καὶ τὸ στιλπνὸν, καὶ διαφανὲς καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχουσι. καὶ ὅσον ἂν ᾖ ὁμαλέστερον καὶ καθαρώτερον ἕκαστον ἢ τοσούτῳ καὶ ταῦτα μᾶλλον ὑπάρχει. τὸ γὰρ ὅλον, ὡς ἂν ἀκριβείας ἔχῃ κατὰ τὴν σύστασιν ἡ πῆξις, οὕτως ἀκολουθεῖ καὶ τὰ ἀπ' ἐκείνων.

De metallis autem in aliis egimus, de lapidibus vero nunc dicamus. Omnia igitur hæc putandum eſt, ut ſimpliciter dicatur, ex pura quadam atque æquabili materia concreviſſe, ſive per fluxum, ſive per percolationem quandam facta, ſive, ut ſupra dictum, alio aliquo modo excreta. Fit enim forte aut hoc, aut illo modo, aut etiam aliter. A quibus etiam & lævorem, & denſitatem, & nitorem, & pelluciditatem, & alia talia, habent. Et quo æquabilius & purius unumquodque fuerit, eo & iſta magis accidunt. In totum enim quo accuratior ſecundum conſtitutionem fuerit coagmentatio, ita & conſequuntur ea quæ ex iſtis accidunt.

Aperit iam exactius lapidum & gemmarum materiæ conditionem: eſſe nimirum terræ portionem maxime puram & æquabilem; per confluxum, aut percolationem depuratam, aut alio quovis modo ab impura ſeparatam. Variis enim modis hoc poſſe fieri. A varia autem conditione huius materiæ fieri, ut alii lapides aliis læviores ſint aut denſiores, alii niteant tantum, alii etiam pelluceant, aut etiam alias differentias ſortiantur. Nam quo materia purior & æquabilior fuerit, eo etiam lapides naſci præſtantiores. In ſumma, hæc omnia à perfecta coagmentatione ſuam perfectionem nanciſci, & contra. Tranſit autem porro à materia ad cauſam efficientem. quam ſtatuit duplicem: calorem, & frigus.

Ἡ δὲ πῆξις, τοῖς μὲν ἀπὸ θερμοῦ, τοῖς δ' ἀπὸ ψυχροῦ γίνεται.

πεῖ. κωλύει γὰρ ἴσως οὐδὲν ἔνια γένη λίθων ὑφ᾽ ἑκατέρων συνίστασθαι τούτων. ἐπεὶ τά γε τῆς γῆς ἅπαντα δόξειεν ὑπὸ πυρός· ἐπείπερ ἐν τοῖς ἐναντίοις ἑκάστων ἡ πῆξις καὶ ἡ τῆξις.

Coagmentatio autem, his quidem à calido, illis autem à frigido fit. Nihil tamen prohibet quædam genera lapidum ab utroque horum concreſcere. Quandoquidem terræ omnia genera videantur ab igne cogi; quoniam à contrariis ſingulorum coagmentatio & liquatio.

Sententia eſt Philoſophi, coagmentionem lapidum fieri partim à calore partim à frigore; nihil tamen impedire utrumque & calorem & frigus ad coagmentationem quorumdam lapidum concurrere: terreſtria enim omnia igni cedere eique obnoxia eſſe, licet interea coagmentatio & liquefactio in contrariis ſubiectis accidat.

Ἰδιότητες δὲ πλείους εἰσὶν ἐν τοῖς λίθοις· ἐν γὰρ τῇ γῇ χρώμασί τε καὶ γλισχρότητι καὶ λειότητι καὶ πυκνότητι, καὶ τοῖς τοιούτοις αἱ ῥοαὶ διάφοροι· κατὰ δὲ τὰ ἄλλα σπάνιοι.

Lapidum autem plures ſunt proprietates. In terra enim & coloribus & tenacitate & lævore & denſitate & ſimilibus fluxus differentes ſunt; ſecundum alia vero rari.

Oſtendit, diverſas proprietates, quæ in lapidibus obſervantur, inde oriri, quod terreſtris materia multas differentias patiatur à multimoda varietate fluxuum; ſiquidem & quoad colores, & quoad tenacitatem, lævorem, denſitatem, & alias huiuſcemodi qualitates, fluxus diverſi obſerventur; quoad alia autem pauci. Obſervandum autem, in Aldina editione fuiſſe πνοαὶ διαφοροί: Turnebus legendum iudicavit πολλαὶ διάφοραι: Sed omnino legendum eſt ῥοαί, ſiquidem ſupra dixit Philoſophus, εἴτε ῥοῆς εἴτε διηθήσεως, &c.

Τοῖς δὲ λίθοις αὗταί τε καὶ πρὸς ταύταις αἱ κατὰ τὰς δυνάμεις, τοῦ τε ποιεῖν ἢ πάσχειν, ἢ τοῦ μὴ πάσχειν· τηκτοὶ γὰρ, οἱ

δ᾽ ἄτηκτοι. καὶ καυστοὶ, οἱ δ᾽ ἄκαυστοι. καὶ ἄλλα τούτοις ὅμοια. καὶ ἐν αὐτῇ τῇ καύσει καὶ πυρώσει πλείους ἔχοντες διαφοράς.

Lapidibus autem & iſtæ proprietates ſunt & præter iſtas quæ accidunt ſecundū vires, efficiendi aut patiendi, aut non patiendi. liquabiles enim, alii non liquabiles; & combuſtibiles, alii non combuſtibiles; & alia his ſimilia. & in ipſa combuſtione & ignitione plures habent differentias.

Sententia eſt: lapides habere & proprietates illas quod coloribus, tenacitate, lævore & denſitate differant, pro diverſitate fluxuum, è quibus materia eorum coagmentata eſt: & præter illas etiam eas quæ à diverſis viribus oriuntur, quibus fit, ut in alia aut agant, aut ab aliis patiantur, aut non patiantur: exempli gratia, quod alii liquabiles ſint, alii non, &c. atque adeo diverſimode in liquatione & combuſtione patiantur; ut poſtea ſingulatim explicabit. Prius autem, antequam liquationem & combuſtionem proſequatur, proprietates quaſdam peculiares & raras explicat.

Ἔνιοι δὲ τοῖς χρώμασιν ἐξομοιοῦν λέγονται δυνάμενοι τὸ ὕδωρ, ὥσπερ ἡ σμάραγδος. οἱ δ᾽ ὅλως ἀπολιθοῦν τὰ τιθέμενα εἰς ἑαυτούς. ἕτεροι δὲ ὁλκήν τινα ποιεῖν. Οἱ δὲ βασανίζειν τὸν ἄργυρον, ὥσπερ ἥτε καλουμένη λίθος Ἡρακλεία, καὶ ἡ Λυδή.

Quidam autem dicuntur ſimilem ſibi colore aquam reddere, ut Smaragdus; alii prorſus in lapides commutare quæ in iis ſunt poſita; alii attractum quendam facere; alii probare aurum, ut lapis appellatus Herculeus & Lydius.

Sententia manifeſta eſt. In Smaragdo non potui hanc vim obſervare. Eorum, qui petrificent, non dat hîc exemplum: ſed [a] Plinius, agens de Aſſio lapide: *Mutianus*, inquit, *ſpecula quoque & ſtrigiles & veſtes & calceamenta illata omnia lapidea fieri, author eſt.*

Θαυ-

a *Lib.* 36.17.

Θαυμασιωτάτη δὲ καὶ μεγίστη δύναμις, εἴπερ ἀληθὲς, ἡ τῶν τίκτων.

Mirabiliſſima autem & maxima vis, ſi modo vera, eorum qui pariunt.

In editis eſt τῶν τηκτῶν : Sed Pal. Codex habet τῶν τίκτων. Et ita ſane neceſſe eſt, neque enim mirum, aliquos lapides liquabiles eſſe ; plura enim infra daturus eſt eorum genera. Quemadmodum autem τηκτὸς proprie ſignificat liquefactum, tamen ſupra accipitur pro liquabili; ita & τικτὸς licet proprie ſignificet qui genitus eſt, etiam pro eo licet accipere qui poteſt parere. Atque hoc eſt quod Plinius innuit lib. 36. cap. 18: *Idem Theophraſtus, & Mutianus, eſſe aliquos lapides qui pariant, credunt.*

Γνωριμωτέρα δὲ τῶν, καὶ ἐν πλείοσι, κατὰ τὰς ἐργασίας. γλυπτοὶ γὰρ ἔνιοι, καὶ τορνευτοὶ, καὶ πριστοί. τῶν δὲ οὐδὲ ὅλως ἅπτεται σίδηρον· ἐνίων δὲ κακῶς καὶ μόλις.

Notiſſima autem illarum proprietas, & in pluribus, ſecundum opificia. Sculptiles enim quidam, & tornabiles, & ſectiles ſive fiſſiles; quoſdam omnino ferrum non attingit; quoſdam male ac vix.

Εἰσὶ δὲ πλείους καὶ ἄλλαι κατὰ ταύτας . . . . αἱ μὲν οὖν κατὰ χρώματα, καὶ τὰς σκληρότητας, καὶ μαλακότητας, καὶ λειότητας, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα, διὰ τὸ περιττὸν, πλείοσιν ὑπάρχουσιν.

Sunt autẽ plures & aliæ ſecundum illas . . . . quæ vero ſecundum colores, & duritias, & mollitias, & lævores, & alia ſimilia, propter abundantiam, pluribus accidunt.

Lacunam hanc ſupplet Furlanus per διαφοραί. Sed maior videtur lacuna quam ut hac una voce ſuppleri poſſit : malim itaque ſupplere, κατὰ ταύτας ἰδιότητας διαφοραί. *Secundum illas proprietates differentiæ.*

Καὶ ἐνίοις γε κατὰ τόπον ὅλον, ἐξ ὧν δὴ καὶ διωνομασμέναι λιθοτομίαι, Παρίων τε καὶ Πεντελικῶν, καὶ Χίων τε καὶ Θηβαϊκῶν, καὶ ὡς ὁ περὶ Αἴγυπτον ἐν Θήβαις ἀλαβαστρίτης. καὶ γὰρ οὗτος μέγας (al. μέλας) τέμνεται. καὶ ὁ τῷ ἐλέφαντι ὅμοιος, ὁ χερνίτης καλούμενος. ἐν ᾗ πυέλῳ φασὶ καὶ Δαρεῖον κεῖσθαι. καὶ ὁ πῶρος ὅμοιος τῷ χρώματι καὶ τῇ πυκνότητι τῷ Παρίῳ, τὴν δὲ κουφότητα μόνον ἔχων τοῦ πώρου. διὸ καὶ ἐν τοῖς σπουδαζομένοις οἰκήμασιν, ὥσπερ διάζωμα τιθέασιν οἱ Αἰγύπτιοι . . . . . μέλας αὐτόθι διαφανὴς ὁμοίως τῷ Χίῳ, καὶ παρ᾽ ἄλλοις δὲ ἕτεροι πλείους.

Et nonnullis quidem ſecundum totum locum; à quibus etiam & denominatæ lapidicinæ, Pariorum & Pentelicorum, & Chiorum ac Thebaicorum; quemadmodum & Thebis in Aegyto Alabaſtrites: nam & hic magnus (aut *niger*) *cæditur: & ebori ſimilis Chernites appellatus: in quo monumento aiunt & Dariū conditum: & Porus ſimilis colore & duritie Pario, lævitate autem ſolum ſimilis Poro. Quapropter & in pretioſioribus ædificiis Diazomatis loco ponitur ab Aegyptiis . . . . niger ibidem pellucidus ſimilis Chio; & alibi plures alii.*

De marmoribus agit author, quæ à locis, ubi maxima copia reperiuntur, denominantur; ut Parium, quod notiſſimum eſt, in Inſula Paro: de Pentelico non memini me alibi legiſſe. De cæteris Plinius & alii. De Chernite quoque Plinius lib. 36. cap. 17. *Mitior eſt autem ſervandis corporibus, nec abſumendis, Chernites, ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt.* Pro eo autem quod hic edidimus πυέλῳ, Cl. Salmaſium ſequuti in Solinum pag. 1204, ante editum erat πέπλῳ. quod nullum commodum ſenſum admittit. Porro quod ad lacunam attinet, ea haud dubio ſupplenda per εὑρίσκεται καὶ; nam ita [a] Plinius: *Theophraſtus autor eſt, & tranſlu-*

[a] *Lib. 36. cap. 17.*

tranſlucidos lapides in Aegypto inveniri, &c.

Αἱ μὲν οὖν τοιαῦται διαφοραὶ, καθάπερ ἐλέχθη κοινότεραι πλείοσιν. αἱ δὲ κατὰ τὰς δυνάμεις τὰς προειρημένας, οὐκ ἐπὶ τοῖς ὅλοις ὑπάρχουσιν, οὐδὲ συνεχείαις λίθων, οὐδὲ μεγέθεσιν· ἔνιοι δὴ σπάνιοι πάμπαν εἰσὶ καὶ σμικροὶ, καθάπερ ἥτε σμάραγδος, καὶ τὸ σάρδιον, καὶ ὁ ἄνθραξ, καὶ ἡ σάπφειρος, καὶ σχεδὸν λόγῳ τῶν εἰς τὰ σφραγίδια γλυπτῶν. οἱ δὲ καὶ ἐν ἑτέροις εὑρίσκονται διακοπτομένοις. ὀλίγοι δὲ καὶ οἱ περὶ τὴν πύρωσιν καὶ καῦσιν. ὑπὲρ ὧν καὶ πρῶτον ἴσως λεκτέον, τίνας καὶ πόσας ἔχουσιν διαφοράς.

Atque tales quidem ſunt differentiæ, quemadmodum dictum fuit, communes pluribus; quæ vero ſecundum vires prædictas ſunt, non item totis accidunt aut compagibus lapidum aut magnitudinibus. Quidam etiam rari omnino ſunt & parvi, quemadmodum Smaragdus, & Sarda, & Carbunculus, & Sapphirus, & fortaſſis omnes qui ſcalpuntur in gemmas. quidam etiam reperiuntur in aliis fiſſis. Pauci etiam ſunt qui uri poſſunt. De quibus & primum tamen dicendum, quas & quales habeant differentias.

In editis lacuna erat poſt σχεδόν. Quam ita ſupplendam iudicat Cl. Salmaſius in Solin. pag. 98. atque ibidem obſervat, primum & vetuſtiſſimum apud Græcos uſum horum minime formæ lapillorum fuiſſe ut ſculperentur, auroque includerentur, digitoque geſtarentur ad ſignandum.

Κατὰ δὴ τὴν πύρωσιν οἱ μὲν τήκονται καὶ ῥέουσιν, ὥσπερ οἱ μεταλλευτοί. ῥεῖ γὰρ ἅμα τῷ ἀργύρῳ καὶ τῷ χαλκῷ καὶ σιδήρῳ καὶ ἡ λίθος ἡ ἐκ τούτων, εἰ τοίνυν διὰ τὴν ὑγρότητα τῶν ὑπαρχόντων, εἴτε καὶ δι᾽ αὐτάς. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ πυρομάχοι, καὶ οἱ μυλίαι, ῥέουσιν οἷς ἐπιτιθέασιν οἱ καίοντες.

Quod autem ad uſtionem attinet, quidam liquantur & fluunt, quemadmodum metallici. fluunt enim ſimul cum argento & ære & ferro lapides qui ex illis ſunt: ſive propter

humiditatem eorum quæ ipſis accedunt, ſive per ſe. Ad eumdem modum & Pyromachi & Molares fluunt, cum iis, quibus ſuperponunt urentes.

Manifeſte agit de illis metallicis lapillis, quos hodie vocant fluores, de quibus videndus Agricola & alii qui de rebus metallicis ſcripſerunt. Addit illis & Pyromachos & Molares, quos hodie ut & antiquitus vocamus Pyritas: Plinius autem lib. 36, cap. 19, ſic tradit: *Molarem quidem pyriten vocant, quoniam ſit plurimum ignis illi:* hi autem lapides licet non facile ab igne patiantur, ſed illi fortiter reſiſtant, unde illis nomen, tamen in ignem vehementiſſimum additi, etiam funduntur.

Οἱ δὲ καὶ ὅλως λέγουσι πάντας τήκεσθαι, πλὴν τοῦ μαρμάρου. τοῦτον δὲ καταϰαίεσθαι, καὶ κονίαν ἐξ αὐτοῦ γίνεσθαι. δόξειε δ' ἂν οὕτως ὅλως ἐπὶ πλεῖον εἰρῆσθαι.

Sunt qui abſolute dicant omnes liquari, præter marmor. Hoc autem comburi, & cinerem ex illo fieri. Vnde videri poſſit illud abſolutè pro ut plurimum dictum eſſe.

Corrigit ſententiam eorum qui opinabantur omnes fluere lapides præter marmor; quod non niſi in cinerem abit. quod cum etiam ipſi faterentur, non debuerant dicere abſolute omnes fluere. Dat deinceps alias inſtantias.

Πολλοὶ γὰρ οἱ ῥηγνύμενοι καὶ διαπηδῶντες ὡς οὐ μαχόμενοι (κατὰ) τὴν πύρωσιν, ὥσπερ οὐδὲ ὁ κέραμος. ὃ καὶ κατὰ λόγον ἐστίν. οἵτινες ἐξυγρασμένοι τυγχάνουσιν. τὸ γὰρ τηκτὸν, ἔνικμον εἶναι ἀεὶ καὶ ὑγρότητα ἔχει πλείω.

Multi enim rumpuntur & diſſiliunt, tanquam non repugnantes uſtioni, quemadmodum neque figulinus. quod & rationi conſentaneum eſt: ſiquidem exſiccati ſunt: quod enim liquabile eſt, eſſe humidum ſemper, & humiditatem habet multam.

Prima inſtantia eſt in iis qui non fluunt, ſed dehiſcunt & diſſiliunt, haud ſecus quam vaſa aut lateres

res qui è terra figulina arte ſunt facti. Et ratio manifeſta eſt; ſiquidem in iis, qui liquantur; ſemper aliquid eſt humidi, interdum minus, interdum plus; ſed in his omne humidum extractum eſt.

Φασὶ δὲ καὶ τῶν ἡλιουμένων τοὺς μὲν ἀναξηραίνεσθαι τελείως, ὥστ' ἀχρείους εἶναι μὴ καταβρεχθέντας πάλιν καὶ συνικμασθέντας· τοὺς δὲ καὶ μαλακτέρους καὶ διαθραύστους μᾶλλον. φανερὸν δὲ ὡς ἀμφοτέρων μὲν ἐξαιρεῖσθαι τὴν ὑγρότητα. συμβαίνει δὲ τοὺς μὲν πυκνοὺς ἀποξηραινομένους σκληρύνεσθαι· τοὺς δὲ μανοὺς, καὶ ὧν ἡ φύσις τοιαύτη, θραυστοὺς εἶναι καὶ τηκτούς.

Aiunt autem, etiam eos, qui inſolantur, alios exſiccari penitus, ita ut inutiles ſint niſi rurſus macerati & humefacti: alios vero molliores & fragiliores fieri. Manifeſtum autem, utrorumque humorem extrahi. Accidit autem, denſos, ubi exſiccati fuerint, indureſcere; raros vero, & quorum ſimilis natura, fragiles eſſe & liquabiles.

Sententia eſt: ſicut in quibuſdam humiditatis omnis extractio, ſive à Sole ſive ab igne, efficit ut amplius liquari non poſſint: ita in aliis effici, ut qui denſioris ſunt materiæ, extracto omni humore magis indureſcant; rarioris vero ſeu poroſioris, fragiliores atque adeo liquabiles eſſe. Animadvertendum autem, in Ald. Edit. eſſe, καὶ ὧν ἡ σύμφυσις τοιαύτη. quod & Furlanus expreſſit; quorum compactio eiuſmodi eſt. licet ediderit φύσις. quod magis videtur convenire.

Ἔνιοι δὲ τῶν θραυστῶν ἀνθρακοῦνται τῇ θραύσει, καὶ διαμένουσι πλείω χρόνον. ὥσπερ οἱ περὶ Βίνας ἐν τῷ μετάλλῳ· οὓς ὁ ποταμὸς καταφέρει. καίονται γὰρ ὅταν ἄνθρακες ἐπιτεθῶσι; καὶ μέχρι τούτου χρείας φυσᾷ τις. εἶτ' ἀπομαραίνονται, καὶ πάλιν καίονται. διὸ καὶ πολὺν χρόνον ἡ χρῆσις. ἡ δ' ὀσμὴ βαρεῖα σφόδρα καὶ δυσχερής. Quæ Furlanus ita vertit.

Quin & nonnulli fragilium lapidum, dum franguntur,

in Carbones evadunt, & diutius permanent. quales ſunt ad Benas, in metallo, quos flumen defert. Comburuntur autem iniectis Carbonibus, & inflante aliquo donec opus ſit; dein ſiccantur & uruntur iterum. Quocirca & diutinus eſt illorum uſus. odor autem gravis & teter eſt.

Omnino legendum puto, *ἀνθρακοῦνται τῇ καύσει.* Sic paulo poſt dicet, *ἐκπυροῦται τῇ καύσει*, &c. Quomodo enim fractura aut fiſſura Carbones fierent? Verterem ergo: *Nonnulli fragilium, uſtione in Carbones vertuntur, & durant multo tempore.* Bena autem oppidum eſt Cretæ, ſecundum Suidam: aut Thraciæ, ſecundum Stephanum: Unde & Beni populi Plin. in Thracia, lib. 4. cap. XI. Magis autem veriſimile, locum in Thracia intelligi, quam in Creta.

Quod autem ſequitur: *καίονται γὰρ ὅταν ἄνθρακες ἐπιτεθῶσι, καὶ μέχρι τούτου χρείας φυσᾷ τις.* Sal. legendum cenſet, *ἐὰν φυσᾷ τις.* Itaque ita verterem: *Ardent enim cum Carbones ſuperimponuntur, & eo uſque eius uſus eſt, quo inflat aliquis; dein langueſcunt ſeu collabuntur, & rurſus ardent.*

Ὃν δὲ καλοῦσι σπίνον, ὃς ἦν ἐν τοῖς μετάλλοις, τοιοῦτος διακοπεὶς, καὶ συντεθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, ἐν τῷ ἡλίῳ τιθέμενος καίεται, καὶ μᾶλλον ἐὰν ἐπιψεκάζῃ καὶ περιῤῥαίνῃ τις.

Quem autem vocant Spinum, is & in metallis invenitur, hic diſſectus; & in ſe congeſtus, & Soli expoſitus, ardet, & magis ſi irroret aut circumaſpergat quis.

Huius lapidis alibi mentionem fieri non invenio; niſi in lib. de Mirabilib. Auſcultation. qui Ariſtoteli tribuitur. Ubi hæc leguntur:

Φασὶ δὲ τὸν ἐν τῇ Θρᾴκῃ λίθον, τὸν καλούμενον σπίνον, διακοπέντα καίεσθαι, καὶ συντεθέντα πρὸς ἑαυτὸν, ὥσπερ τὴν σμαρίλλην, οὕτως κἀκεῖνον εἰς ἑαυτὸν τεθέντα, καὶ ἐπιῤῥαινόμενον ὕδατι, καίεσθαι. τὸ αὐτὸ ποιεῖν καὶ τὸν μαρίθαν.

Ὁ δὲ Λιπαραῖος ἐκπυροῦται (ita legit Cl. Salmaſius, cum in edito ſit *ἐκφορεῖται*) *τῇ καύσει, καὶ γίνεται κισηροειδής.*

ῥοειδής. ὥστ' ἅμα τήν τε χρόαν μεταβάλλειν καὶ τὴν πυκνότητα. μέλας τε γὰρ καὶ λεῖός ἐστι, καὶ πυκνὸς, ἄκαυστος ὤν. γίνεται δ' οὗτος ἐν τῇ κισσήρει διειλημμένος ἄλλοθι καὶ ἄλλοθι, καθάπερ ἐν κυτταρείῳ, καὶ οὐ συνεχής· ὥσπερ καὶ ἐν Μήλῳ φασὶ τὴν κίσσηριν ἐν ἄλλῳ τινὶ λίθῳ γίνεσθαι. Καὶ ἐκεῖνος μὲν τούτῳ ὥσπερ ἀντιπεπονθώς. πλὴν ὁ λίθος οὗτος οὐχ ὅμοιος τῷ Λιπαραίῳ.

Liparæus autem lapis exinanitur uſtione, & fit pumici ſimilis. ita ut ſimul & colorem mutet & denſitatem: niger enim & lævis eſt, & denſus, antequam uratur. Naſcitur hic in pumice ſeparatus alibi & alibi, quemadmodum in cellulâ, & non continuus. Vbi & in Melo aiunt pumicem in alio quodam lapide naſci. Et hic quidem illi quaſi oppoſitè, ſiquidem hic lapis liparæo diſſimilis.

Lipara eſt Aeoliarum Inſularum una; Plinius autem ſcribit lib. 36, cap. 21; Pumices *laudatiſſimi ſunt in Melo, Scyro, & Aeoliis inſulis.* Quæ autem ſit differentia inter eos, hic explicat Author.

Ἐκπωροῦται δὲ καὶ ὁ ἐν τετράδι τῆς Σικελίας γινόμενος. τοῦτο δὲ τὸ χωρίον ἐστὶ κατὰ Λιπάραν. ὁ δὲ λίθος ἐν τῇ ἄκρᾳ τῇ Ἐρινεάδι καλουμένῃ πολύς. ὁμοίως τοῖς Βίναις καιόμενος, ὀσμὴν ἀφίησιν ἀσφάλτου. τὸ δ' ἐκ τῆς κατακαύσεως ὅμοιον γίνεται γῇ κεκαυμένῃ.

Exinanitur autem & qui in Tetrade Siciliæ naſcitur: qui locus è regione Liparæ eſt. Lapis vero in Promontorio Erineade vocato multus. inſtar eorum qui in Binis reperiuntur uſtus, odorem fundit bituminis. quod autem ab uſtione fit reliquum, ſimile fit terræ exuſtæ.

Pro τετράδι Pal. Cod. τεταρίδι; ſed neutrius in Sicilia mentionem invenio apud Geographos. Apparet autem, hos lapides, qui gravem hunc odorem emittunt, è bituminoſa materia conſtare.

Οὓς δὲ καλοῦσιν εὐθὺς ἄνθρακας, τῶν θρυπτομένων διὰ τὴν χρείαν, εἰσὶ γεώδεις. ἐκκαίονται δὲ καὶ πυροῦνται καθάπερ οἱ ἄνθρακες. εἰσὶ δὲ περί τε τὴν Λι-

γυστικῇ, ὅπου καὶ τὸ ἤλεκτρον, καὶ ἐν τῇ Ἠλείᾳ, βαδιζόντων Ὀλυμπίαζε τὴν δι' ὄρους. οἷς καὶ οἱ χαλκεῖς χρῶνται.

Furlan. *Quos autem Carbones vocant; qui propter uſum franguntur, terreni ſunt. uruntur autem & incenduntur ut Carbones. Sunt hi in Liguria, ubi etiam Succinum eſt, & in Elide, Olympiam per montes petentibus. Quibus & utuntur fabri.*

Porro pro θρυπτομένων διὰ τὴν χρείαν, Pal. legit. θρυπτομένων διὰ τὴν χρόαν. Sed prius melius videtur.

Εὑρέθη δέ ποτε ἐν [τοῖς] Σκαπτησύλης μετάλλοις λίθος, ὃς τῇ μὲν ὄψει παρόμοιος ὢν ξύλῳ σαπρῷ. ὅτε δ' ἐπιχέοιτό τις ἔλαιον, καίεται. καὶ ὅτ' ἐκκαυθείη, τότε παύεται καὶ αὐτὸς, ὥσπερ ἀπαθὴς ὤν. Τῶν μὲν οὖν καιομένων αὕται διαφοραί.

Furlan. *Inventus eſt & in Scapteſulæ metallis lapis, putrido ligno non abſimilis. qui, cum oleum affunderes, urebatur; quod cum crematum eſſet, incendium deſinebat lapidis, tanquam eſſet impatibilis.*

Scapteſulæ Thraciæ oppidulum è regione Thaſi, Stephano, & Plutarcho in Cimone, item in libello de Exilio. Ubi tradit, Thucydidem hoc loco bellum Athenienſium cum Peloponnenſibus ſcripſiſſe. Suſpectus tamen hic locus authoris; quia Plinius lib. 36. cap. 19, ubi agit de Gagate: *Niger eſt*, ait, *planus, pumicoſus, non multum à ligno differens; levis, fragilis, &c. mirumque accenditur aqua, oleo reſtinguitur.* & non mirum eſt, oleo affuſo aliquid ardere. Sed nihil hîc definio. Hactenus autem egit Philoſophus de lapidibus, qui, cum uruntur, vario modo ſe habent. alii enim liquantur & fluunt; alii in cineres rediguntur; alii in pumices; &c. Proſequitur iam de aliis lapidibus qui ab igne non patiuntur.

Ἄλλο δέ τι γένος ἐστὶ λίθων, ὥσπερ ἐξ ἐναντίων πεφυκὸς, ἄκαυστον ὅλως, ἄνθραξ καλούμενος. ἐξ οὗ καὶ τὰ σφραγίδια

διαγλύφουσιν. ἐρυθρὸν μὲν τῷ χρώματι, πρὸς δὲ τὸν ἥλιον τιθέμενον, ἄνθρακος καιομένου ποιεῖ χρόαν. Τιμιώτατον δ' ὡς εἰπεῖν. μικρὸν γὰρ σφόδρα τετταράκοντα χρυσῶν. ἄγεται δ' οὗτος ἐκ Καρχηδόνος καὶ Μασσαλίας. οὐ καίεται δ' ὁ περὶ Μίλητον γωνιειδὴς ὤν, ἐν ᾧπερ καὶ τὰ ἑξάγωνα. καλοῦσι δὲ ἄνθρακα καὶ τοῦτον· ὃ καὶ θαυμαστόν ἐστιν. ὅμοιον γὰρ τρόπον τινὰ καὶ τὸ τοῦ ἀδάμαντος.

Aliud autem quoddam genus eſt lapidum, quaſi è contrariis genitum, incombuſtibile penitus; Carbunculus appellatus; è quo & ſigilla ſculpunt; rubens quidem colore, ſoli autem expoſitus, ardentis Carbonis facit colorē; pretioſiſſimū, ut ita dicam; nam valde parvus quadraginta aureis æſtimatur. fertur hic Carthagine & Maſſilia. Non ardet autem qui circa Miletum invenitur, anguloſus; inter quos ſunt & ſexanguli. Vocant autem & hunc Carbunculum; quod mirum eſt: Similis quodammodo ratio eſt & Adamantis.

Manifeſte hic agit author de gemmis, quas Plinius vocat ardentes; qui videndus lib. 37. cap. VII. Ubi tamen non meminit lapidis qui circa Miletum naſcitur: Sicut nec Theophraſtus Alabandæ. Quare ſuſpicor, cum Miletum à Ptolomæo ponatur in Caria, cuius & urbs Alabanda, pro uno eodemque lapide eſſe accipiendum: nam & ibidem Orthoſia. Quum autem Theophraſtus has gemmas Carbunculos nominari dicat, non tam propterea quòd incombuſtibiles ſint, ſed quod ſoli expoſiti Carbonis ardentis ſpeciem referant, dicit, mirum eſſe, etiam Mileſium illum lapidem Carbunculum vocari, ob id ſolum quod ab igne non patiatur, cum ad eundum modum & Adamas ita poſſet appellari, quia nec ipſe quicquam ab igne patitur. Furlanus hoc aliter accepit. *Mileſium Carbunculum*, inquit, *Lychnitem ſuſpicor, quem Carbunculum remiſſiorem à quibuſdam vocatum teſtatur Plinius. Mirum autem dicit eſſe Theophraſtus, quod non uratur, propterea quod fragilis eſt, neque adeo ſolidus,*

lidus, ut cætera genera Carbunculorum. Plinii locus ita ſe habet lib. 37. cap. 7: *Ex eodem genere ardentium lychnitis appellata, à lucernarum accenſarum præcipua gratia.* (Salmaſ. corrigit; à lucernarum accenſu; tum præcipuæ gratiæ.) *Naſcitur circa Orthoſiam, totaque Caria, ac vicinis locis, ſed probatiſſima in Indis, quam quidam remiſſiorem Carbunculum eſſe dixerunt*, &c. Nihil autem Plinius toto hoc loco de fragilitate: ſed contra; *Omnia*, inquit, *hæc genera ſcalpturæ contumaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno tenent.* Quin etiam ſi daretur fragiles fuiſſe, non propterea mirum eſſet ab igne nihil pati.

Οὐ γὰρ οὐδ᾽ ὥσπερ ἡ κίσσηρις καὶ τέφρα δόξειεν ἄν, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ὑγρόν. Ταῦτα γὰρ ἄκαυστα καὶ ἀπύρωτα, διὰ τὸ ἐξῃρῆσθαι τὸ ὑγρόν.

Non enim neque ſicut pumex & Cinis videantur utique, quod nihil habeant humidi: hæc enim non comburuntur, neque accenduntur, quia extractum eſt humidum.

Ἐπεὶ καὶ τὸ ὅλον ἡ κίσσηρις ἐκ κατακαύσεως δοκεῖ τισὶ γίνεσθαι. πλὴν τῆς ἐκ τοῦ ἀφροῦ τῆς θαλάσσης συνισταμένης· λαμβάνουσι δὲ τὴν πίστιν διὰ τῆς αἰσθήσεως.

Siquidem in totum pumex ex combuſtione videtur quibuſdam fieri. Præter illum qui ex ſpuma maris concreſcit. Cuius argumentum capiunt per ſenſum.

Perperam opinantur quidam Alcyonium hîc innui ab Authore quod bene obſervavit Furlanus.

Ἔκ τε τῶν περὶ τοὺς Κρατῆρας γενομένων, καὶ ἐκ τῆς Διαβάρου λίθου τῆς φλογουμένης, ἣ καὶ κισσηροῦται. μαρτυρεῖν καὶ οἱ τόποι δοκοῦσιν ἐν οἷς ἡ γένεσις. καὶ γὰρ ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ἡ κίσσηρις. Τάχα δὲ ἡ μὲν οὕτως, αἱ δ᾽ ἄλλως. καὶ πλείους τρόποι τῆς γενέσεως.

Item ex iis qui in Crateribus naſcuntur; & ex diabaro lapide aduſto; qui & pumiceſcit. Teſtari quoque videntur loca in quibus naſcuntur. nam in ardentibus locis potiſſimũ pumex. Forte autem hic quidem hoc modo, alii alio; & plures ſunt modi generationis.

Pro

Pro eo quod editur, καὶ γὰρ ἐν τῷ μάλιστα, Salmaſius legendum dubitat, καὶ γὰρ ἐν Αἴτνῃ : neque enim aliter commode locum exponi poſſe. Sed quis ſit diabarus lapis, quærendum; neque enim invenio alibi eius mentionem. Suſpicor corruptum eſſe nomen pro *Arabo*, de quo Plin. lib. 36. cap. 21 *Arabus* (pro quo tamen Cl. Salmaſius legit Arabicus) *lapis ebori ſimilis, dentifriciis accommodatur crematus.*

Ἡ γὰρ ἐν Νισύρῳ καθάπερ ἐξ ἄμμου τινὸς ἔοικε συγκεῖσθαι· σημεῖον δὲ λαμβάνουσιν, ὅτι τῶν εὑρισκομένων ἔνιαι διαθρύπτονται ἐν ταῖς χερσὶν, ὥσπερ εἰς ἄμμον· διὰ τὸ μήπω συνιστᾶναι, μηδὲ συμπεπηγέναι. εὑρίσκουσι δ᾽ ἀθρόας κατὰ μικρὸν χειροπληθεῖς ὅσον πολλὰς, ἢ μικρῷ μείζους, ὅταν ἀπαμείρωνται τὰ ἄνω.

Pumex enim in Niſuro quaſi ex arena quadam videtur concretus. Argumentum autem capiunt, quod ex iis, qui inveniuntur, quidam friantur in manibus veluti in arenam: quia nunquam concreſcunt aut compinguntur. Inveniuntur autem confertim ad minimum manum implentes circiter multæ, aut paulo maiores, cum pars ſuperior ablata fuerit.

Niſuros inſula Aſiæ obiacens haud longe à Gnido: de qua ita Strabo lib. x. ſub finem: *teres eſt, ſublimis, ac ſaxoſa, & molaris lapidis copia prædita.* Sed hunc lapidem ſive pumicem de quo Author, alium fuiſſe oportet, ſiquidem manibus in arenam teratur.

Ἐλαφρὰ δὲ σφόδρα καὶ ἡ ἄμμος. ἡ δ᾽ αὖ (καὶ) ἐν Μήλῳ πᾶσα μὲν, ἐία δ᾽ αὖ ἐν λίθῳ τινὶ ἑτέρῳ γίνεται, καθάπερ ἐλέχθη πρότερον. διαφορὰς δ᾽ ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας, καὶ χρώματι, καὶ πυκνότητι, καὶ βάρει. χρώματι μὲν, ὅτι μέλαινα, ἐκ τοῦ ῥύακος τοῦ ἐν Σικελίᾳ. πυκνός τε καὶ βαρεῖα, αὐτή τε καὶ μυλώδης. γίνεται γάρ τις καὶ τοιαύτη κίσηρις, καὶ βάρος ἔχει, καὶ πυκνότητα, καὶ ἐν τῇ χρήσει πολυτιμότερον τῆς ἑτέρας. Τμητικὴ δὲ καὶ ἡ ἐκ τοῦ ῥύακος

μᾶλλον

μᾶλλον τῆς κούφης καὶ λευκῆς. Τμηλικωτάτη δ' ἐκ τῆς θαλάσσης αὐτῆς.

Levis autem valde & arena: ea rurſus in Melo quidem omnis: quidam rurſus pumex in lapide quodam altero gignitur, utante dictum. Differunt autem inter ſe & colore & denſitate & gravitate. colore quidem, quod niger ſit, ex rivo Siciliæ. denſus etiam & gravis hic, uti & Molaris. Naſcitur enim & talis pumex, & gravitatem habet & denſitatem, & in uſu longe pretioſior eſt cæteris. Sciſſilis autem magis ille è rivo quam levis & albus: maxime autem ſciſſilis ex ipſo mari.

In editis ante legebatur τε καὶ μαλώδης; pro quo Turnebus legerat ἀλμώδης: Sed Ioſep. Scaliger comment. in Ætnam emendavit μυλώδης, quod & Furlanus ſecutus eſt. Pro τμηλικὴ autem Furlanus videtur legiſſe σμηκτική. Vertit enim, *ad detergendum magis valet:* quod quidem magis videtur convenire, licet Codices hoc non prodant. Exordium autem huius paragraphi non caret vitio. nam alienum eſt hic, agere de arena. Legerem ita, ἐλαφρὰ δὲ σφόδρα καὶ ἀμμώδης ἐν Μήλῳ πᾶσα μέν. Nam cum Plinius agit de optimo pumice, ei etiam natales aſſignat in Melo: & addit, *Probatio in candore, minimoque pondere, & ut quam maxime ſpongioſi aridique ſint, ac teri faciles, nec harenoſi in fricando.* Denique pro θαλάσσης αὐτῆς è Palat. Cod. ſubſtituimus αὐτῆς.

Καὶ περὶ μὲν τῆς κισσήρεως ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω. περὶ δὲ τῶν πυρουμένων καὶ τῶν ἀπυρώτων λίθων, ἀφ' ὧν καὶ εἰς τοῦτο ἐξέβημεν, ἐν ἄλλοις θεωρητέον τὰς αἰτίας.

Atque de pumice quidem hactenus dictum ſit. De lapidibus autem combuſtilibus & non combuſtilibus, à quibus huc uſque digreſſi ſumus, cauſæ alibi conſiderandæ.

Τῶν δὲ λίθων καὶ ἄλλαι [διαφοραὶ] τυγχάνουσιν. ἐξ ὧν καὶ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν.

Furlan.

Furlan. *Sunt & aliæ lapidum differentiæ, ex quibus & ſigilla ſculpunt.*

Sed lacuna in MStis & ante editis, maior eſt quam ut per διαφοραὶ impleri poſſit: legerem itaque, κατὰ τὰς ἰδιότητας διαφοραί.

Αἱ μὲν τῇ ὄψει μόνον. οἷον τὸ Σάρδιον, καὶ ἡ Ἴασπις, καὶ ἡ Σάπφειρος. αὕτη δ' ἐστὶν ὥσπερ χρυσόπαστος.

Quædam quidem aſpectu ſolum. quemadmodum Sarda, & Iaſpis, & Sapphirus. hæc autem eſt quaſi ſtillis aureis compuncta.

Liquet, in lacuna ſuperiori adhuc aliquid deſiderari. nam non ſatis apparet quid illud ὄψει ſibi velit. Furlanus extulit, *ſpecie tantum commendantur.* De Sapphiro Plinius; *Ineſt & aliquando ei* (nimirum Cyano) *aureus pulvis, non qualis in Sapphirinis; in Sapphiris enim aurum punctis collucet.* Apparet, & Theophraſtum & Plinium non aliam Sapphirum agnoviſſe præter eam quæ aureis ſtillis compuncta erat. Epiphanio eſt χρυσοστιγής. Iſidorus: *Sapphirus cæruleus eſt cum purpura, habens pulveres aureos ſparſos.* Plura ad hanc rem Salmaſius in Solinum pag. 132 & 133.

Ἡ δὲ Σμάραγδος, καὶ δυνάμεις τινὰς ἔχει. τοῦ τε γὰρ ὕδατος, ὥσπερ εἴπομεν, ἐξομοιοῦται τὴν χρόαν ἑαυτῇ. μετρία μὲν οὖσα, ἐλάττονος, ἡ δὲ μεγίστη, πάντως· ἡ δὲ χειρίστη, τοῦ καθ' αὑτὴν μόνον, καὶ πρὸς τὰ ὄμματα ἀγαθή. διὸ καὶ τὰ σφραγίδια φοροῦσιν ἐξ αὐτῆς, ὥστε βλέπειν. ἔστι δὲ σπανία, καὶ τὸ μέγεθος οὐ μεγάλη.

Smaragdus autem & vires aliquas habet: aquæ enim, ſicut diximus, colorem aſſimulat ſibi; modica quidem, paucæ; maxima autem, totius; deterrima vero eius quæ circa ipſam modo. & aciem oculorum iuvat; quare & ſigilla ex ipſa geſtant, ut intueantur. Eſt autem rara, & mole haud magna.

Legendum ἡ δὲ μεγίστη, παντός. Videndus Plinius lib 37. cap 5.

***

Πλὴν

Πλὴν εἰ πιστεύειν τῆς ἀναγραφαῖς δεῖ, ὥσπερ τῶν βασιλέων τῶν Αἰγυπτίων. . . . . . ἔνιοι γάρ φασι κομισθῆναί ποτ' ἐν δώροις παρὰ τοῦ Βαβυλωνίων βασιλέως, μῆκος μὲν τετράπηχυν, πλάτος δὲ τρίπηχυν. ἀνακεῖσθαι δὲ καὶ ἐν τῷ τοῦ Διὸς ὀβελίσκῳ Σμαράγδους τέτταρας, μῆκος μὲν τετταράκοντα πηχῶν, εὖρος δὲ, τῇ μὲν τέτταρας, τῇ δὲ δύο. Ταῦτα μὲν οὖν ὅτι κατὰ τὴν ἐκείνων γραφήν.

Niſi credere oportet commentariis de Regibus Aegyptiis. quibus traditum eſt, miſſam aliquando dono à Babyloniorum rege, longitudine quatuor cubitorum, latitudine trium. poſitos autem in Iovis obeliſco Smaragdos quatuor, longitudine quadraginta cubitorum, latitudine vero partim quatuor, partim duorum. atque hæc quidem ita ab ipſis referuntur.

Lacunam autem putat Salmaſ. haud aliter ſupplendam, quam legendo, μὲν γάρ φασι. Pro ὀβελίσκῳ Σμαράγδους; ὀβελίσκους Σμαράγδου. Plinius hunc locum ita refert: *Theophraſtus tradit, in Aegyptiorum commentariis reperiri, regi eorum à rege Babylonio miſſum ſmaragdum munere IV cubitorum longitudine, & trium latitudine; & fuiſſe apud eos in Iovis delubro obeliſcum è IV Smaragdis, XL cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum.* Videtur ergo legiſſe, ὀβελίσκον ἐκ σμαράγδων τεττάρων.

Τῶν δὲ . . . . . ανῶν καλουμένων ὑπὸ πολλῶν, ἡ ἐν Τύρῳ μεγίστη. στήλη γὰρ ἐστιν εὐμεγέθης ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἱερῷ. εἰ μὴ ἄρα ψευδὴς Σμάραγδος. καὶ γὰρ τοιαύτη γίνεταί τις φύσις.

Furlan. *Ex iis autem qui à multis Bactriani dicuntur, maximus in Tyro eſt. Pila enim eſt ſatis magna in Herculis templo. Niſi forte pſeudo ſmaragdus ſit. Nam & talis naſcitur quædam ſubſtantia.*

Corruptus eſt locus. Primo lacunam Turnebus ſupplevit, legendo, Τανῶν quia Plinius inter ſpecies Smaragdi ponit Tanon. Furlan. Βακτριανῶν. quia Theo-

Theophraſtus paulo poſt mentionem eorum facit. Sed ut verum fatear, neutra correctio mihi adhuc ſatisfacit. Plinius: *ſe autem ſcribente* (Theophraſto) *eſſe in Tyro Herculis templo ſtantem pilam è Smaragdo; niſi potius pſeudo-Smaragdus ſit. Nam & hoc genus reperiri,* &c. In editione Aldina eſt: Τῶν δ᾽. . . . ανῶν κειμένων &c.

Γίνεται δ᾽ ἐν τοῖς ἐν ἐφικτῷ καὶ γνωρίμοις τόποις, δυοῖν μάλιστα, περί τε Κύπρον ἐν τοῖς χαλκωρυχείοις, καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι. καὶ ἰδιωτέρους εὑρίσκουσιν ἐν ταύτῃ. μεταλλεύεται γὰρ ὥσπερ τἆλλα καὶ ἡ φύσις. καὶ ῥάβδους ποιοῦσιν ἐν Κύπρῳ αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν πολλάς· εὑρίσκονται δὲ σπανίαι μέγεθος ἔχουσαι σφραγῖδος, ἀλλ᾽ ἐλάττους αἱ πολλαί. διὸ καὶ πρὸς τὴν κόλλησιν αὐτῇ χρῶνται τοῦ χρυσίου. κολλᾷ γὰρ ὥσπερ ἡ χρυσοκόλλα. καὶ ἔνιοί γε δὴ καὶ ὑπολαμβάνουσι τὴν αὐτὴν φύσιν εἶναι. καὶ γὰρ τὴν χρόαν παρόμοια τυγχάνουσιν.

Naſcitur autem in locis acceſſis & notis, duobus præſertim. In Cypro in æris fodinis, & in Inſula obiacente Carthagini: etiam pretioſiores ſeu genuinos inveniunt in hac. Effoditur enim ut & aliud genus. Et Venas agunt in Cypro coniunctim plures. Inveniuntur autem rari magnitudinem ſigilli habentes, ſed minores longe plures. Quamobrem & ad ferruminationem auri utuntur. Ferruminat enim inſtar Chryſocollæ. Quidam etiam exiſtimant, eandem eſſe naturam: ſunt enim colore perſimiles.

Salmaſius pro Καρχηδόνι legendum cenſet Chalcedoni. Quem vide in Solin. pag. 195. Plinius tamẽ lib. 37. c. 5: *Carchedonii neſcio an in totum exoleverint, poſtquam metalla æris ibi defecerunt; & ſemper tamen viliſſimi fuere minimique.* Sed hìc quoque Cl. Salmaſius legit Chalcedonii. Hæc autem omnia accipienda ſunt de pſeudo-ſmaragdis. Idem pro ἐν τῇ νήσῳ legit ἐν Δημονήσῳ. quem vide in Solinum pag. 717.

Ἀλλὰ ἡ μὲν χρυσοκόλλα δαψιλὴς καὶ ἐν τοῖς χρυσείοις,

καὶ ἔτι μᾶλλον ἐν τοῖς Χαλκορυχείοις, ὥσπερ ἐν τοῖς περὶ τούτους τόπους.

Verum Chryſocolla copioſa etiam in aurariis, & adhuc magis in æriſodinis: ſicuti & in locis qui circa illa ſunt.

Plin. lib. 33. cap. 5. de Chryſocolla: Laudatiorem in ærariis metallis, & proximam in argentariis fieri, compertum eſt. Invenitur & in plumbariis; vilior & in aurariis.

Ἡ δὲ Σμάραγδος σπανία, καθάπερ εἴρηται. δοκεῖ γὰρ ἐκ τῆς Ἰάσπιδος γίνεσθαι. φασὶ γὰρ εὑρεθῆναί ποτε ἐν Κύπρῳ λίθον, ἧς τὸ μὲν ἥμισυ Σμάραγδος ἦν, τὸ ἥμισυ δὲ Ἴασπις, ὡς οὔπω μεταβεβληκυίας ἀπὸ τοῦ ὕδατος. ἔστι δέ τις αὐτῆς ἐργασία πρὸς τὸ λαμπρόν. ἀρχῇ γὰρ οὖσα οὐ λαμπρά.

Smaragdus autem rarus, ut dictum eſt. Videtur enim ex Iaſpide naſci; ſiquidem aiunt, inventum aliquando in Cypro lapidem, cuius dimidium Smaragdus erat, dimidium autem Iaſpis: uti nondum plane mutatus ab aqua. Eſt autem aliqua opera neceſſaria ad claritatem illi conciliandam; initio enim non eſt admodum clarus.

Αὕτη τε δὴ περιττὴ τῇ δυνάμει, καὶ τὸ λυγκούριον. καὶ γὰρ ἐκ τούτου γλύφεται τὰ σφραγίδια. καὶ ἔστι στερεωτάτη καθάπερ λίθος, ἕλκει γὰρ ὥσπερ τὸ ἤλεκτρον. οἱ δέ φασιν, οὐ μόνον κάρφη καὶ ξύλον, ἀλλὰ καὶ χαλκὸν καὶ σίδηρον, ἐὰν ᾖ λεπτός. ὥσπερ καὶ Διοκλῆς ἔλεγεν.

Hæc autem præſtans viribus, uti & Lyncurium. namque ex ipſo ſculpuntur ſigilla. Eſtque ſolidiſſimum quemadmodum lapis. Trahit enim ſicut ſuccinum: quidam autem aiunt non ſolum feſtucas & lignum, ſed etiam æs & ferrum, ſi tenue ſit: ſicuti & Diocles dicit.

Hunc locum reſpexit Plinius lib. 37. cap. 3. *Nec folia tantũ & ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam & ferri laminas quod Diocles quidem & Theophraſtus credidit.* Ubi legendum cenſet Salmaſius; *quod Diocli Theophraſtus credidit.*

Ἔτι δὲ διαφανῆ τε σφόδρα καὶ πυῤῥά. Βελτίω δὲ τὰ τῶν ἀγρίων, ἢ τὰ τῶν ἡμέρων. καὶ τὰ τῶν ἀῤῥένων, ἢ τὰ τῶν θηλειῶν. ὡς καὶ τῆς τροφῆς διαφερούσης, καὶ τοῦ πονεῖν, ἢ μὴ πονεῖν, [καὶ τῆς τοῦ σώματος ὅλως φύσεως, ἢ τὸ μὲν ξηρότερον], τὸ δὲ ὑγρότερον. εὑρίσκουσι δ' ἀνορύττοντες οἱ ἔμπειροι. κατακρύπτεται γὰρ καὶ ἐπαμᾶται γῆν ὅταν οὐρήσῃ. γίνεται δὲ καὶ κατεργασία τις αὐτοῦ πλείων.

Porro autem pellucida ſunt valde & ignea: meliora autem è feris quam ex cicuribus; & è maribus quam è fœmellis: utpote & nutrimenti differentis; & aut laborare aut non laborare, & omnino totius corporis naturæ, quatenus hoc ſiccius, illud vero humidius. Inveniunt autem foſſores periti. Abſcondit enim & aggerat arenam cum minxerit. In poliendo autem multum operæ ſumitur.

Animalis nomen non prodit, ſed è lapidis etymo vult intelligi. Illud autem furculis incluſum eſt, è Codice Palatino additum. Reſpexit ad hanc hiſtoriam Plinius lib. VIII. cap. 38. & lib. 37. cap. 11. *Demoſtratus Lyncurion id vocat,* (nimirum ſuccinum,) *& fieri ex urina Lyncum beſtiarum , è maribus fulvum & igneum, è fœminis languidius & candidum.* Denique ibidem cap. 3: *Fieri autem ex urina quidem Lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam , quoniam invideat hominum uſui. Eſſe autem qualem in igneis ſuccinis colorem, ſcalpique.*

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος. καὶ γὰρ ὀρυκτὸν τὸ περὶ Λιγυστικήν. καὶ τούτων ἂν ἡ τοῦ ἕλκειν δύναμις ἀκολουθείη. μάλιστα δ' ὅτι δῆλος καὶ φανερωτάτη τὸν σίδηρον ἄγουσα. γίνεται δὲ καὶ αὕτη σπανία καὶ ὀλιγαχοῦ. καὶ αὕτη μὲν δὴ συναριθμείσθω τὴν δύναμιν ὁμοίαν ἔχειν.

Siquidem & Succinum lapis eſt; etenim foſſile in Liguria; & hos quidem rapiendi vis conſequatur neceſſe eſt; potiſſimum quia clarum & manifeſtiſſimum eſt quod ferrum ducat. Naſcitur autem & ipſa rara & paucis locis. & quidem annumeretur ſimilem virtutem habere.

Furlanus locum hunc corruptum eſſe arguit; & pro μάλιστα legit μαγνῆτις. putatque, ſequentia de Magnete accipienda. Sed non eſt neceſſe, hic quicquam immutare. Sententia enim Authoris eſt; tam Succinum quam Lyncurium trahendi vim habere; neque id mirum videri debere, quia lapis, qui ferrum ducat, omnibus notiſſimus ſit. Cum autem loquitur de gemma aliqua, λίθον effert genere fœminino. Sic & ſupra dixit de Lyncurio, καὶ ἔστι στερεωτάτη, &c. Subintelligens λίθος. Quod autem hic Λιγυστικὴν expreſſimus pro λυγγιστὴν, & τούτων pro τούτῳ, id fecimus ſecundum correctionem Salmaſii

Ἐξ ὧν δὲ τὰ σφραγίδια ποιεῖται, καὶ ἄλλαι πλείους εἰσίν. οἷον ἥ θ' Ὑαλοειδὴς, ἣ καὶ ἔμφασιν ποιεῖ καὶ διάφασιν. καὶ τὸ Ἀνθράκιον, καὶ ἡ ὄμφαξ. ἔτι δὲ καὶ ἡ Κρύσταλλος, καὶ τὸ Ἀμέθυσον. ἄμφω δὲ διαφανῆ. εὑρίσκονται δὲ καὶ αὗται, καὶ τὸ Σάρδιον, διακοπτομένων τινῶν πετρῶν.

E quibus autem ſigilla fiunt, & aliæ plures ſunt gemmæ; uti Hyaloeides; quæ & imagines reddit, & pellucida eſt; & Carbunculus, & Omphax; atque adeo Cryſtallus, & Amethyſtus; ambæ enim pellucidæ. reperiuntur autem & ipſæ, & Sarda, diſſectis quibuſdam Saxis.

Quæritur, quæ ſit hæc Hyaloeides, id eſt, vitriformis. Furlanus putat, aut Iridem eſſe, aut Aſteriam, aut aliam ex candidarum gemmarum genere unam. Mihi videretur potius de ſpeculari lapide intelligendum; niſi obſtaret, quod ille pro gemma haberi non debeat, neque ſigilla ex illo fiant. Suſpicor, hoc nomine Adamantem denotari. De Omphace ſimilis quæſtio eſt: Furlanus opinatur, ab immatura uva ſic vocatam, & viridem fuiſſe. A Plinio autem inter Beryllos numerari oleagineos, quod olei colore ſint; & hos forte fuiſſe Omphaces. De quo nihil certi poſſum affirmare. Saltem Berylli ſpeciem ignobiliſſimam hic intelligi non debere exiſtimo.

Καὶ

Καὶ ἄλλαι δ᾽, ὡς προείρηται πρότερον, διαφορὰς ἔχουσι, καὶ συνώνυμοι πρὸς ἀλλήλας. Τοῦ γὰρ Σαρδίου, τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ, καλεῖται θῆλυ. τὸ δὲ διαφανὲς μὲν, μελάντερον δὲ, καὶ ἄρσεν. καὶ τὰ λυγκούρια δ᾽ ὡσαύτως. ὧν τὸ θῆλυ διαφανέστερον καὶ ξανθότερον. καλεῖται δὲ καὶ κυανὸς, ὁ μὲν ἄῤῥην, ὁ δὲ θῆλυς. μελάντερος δὲ ὁ ἄῤῥην.

Et alias quoque, ut antè dictum, differentias habent, etiã Synonymæ gemmæ. Nam Sardæ pellucida ſpecies, lætius autem rubens, vocatur fœmina; pellucida vero, ſaturatius rubens, mas. Et Lyncuria ad eundem modum, quorum fœmina pellucidior & pallidius flava. vocatur & Cyanus mas & fœmina; ſaturatior autem mas.

Eſt ergo hæc alia differentia, quod lapidum pretioſorum alii mares, alii fœminæ appellentur: in omni autem genere mares colore ſunt nigriore & magis ſaturo. Hoc enim eſt quod ſibi voluit Plinius, cum dixit: *præterea in omni genere maſculi appellantur, acrius; ac fœminæ, languidius refulgentes.*

Τὸ δ᾽ ὀνύχιον, μικτὴ λευκῷ καὶ φαιῷ παρ᾽ ἄλληλα. τὸ δὲ Ἀμέθυσον οἰνωπὸν τῇ χρόᾳ.

Onyx vero mixta ex albo & fuſco alternatim. Amethyſtus autem uvas maturas colore refert.

Onyx gẽma zonis alternatim diſtincta eſt. Author autem hìc tantum memorat eam quæ zonas habet cãdidas & ſubnigras. De hac gemma vide Antiquorum ſententias apud Plinium lib 37. c. 6. Idem c. IX. de Amethyſto: *Cauſam nominis afferunt, quod uſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, in violam deſinat: fulgorque quidã in illa purpuræ non ex toto igneus; ſed in vini colorem deficiens.*

Καλὸς δὲ λίθος καὶ ὁ Ἀχάτης, ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀχάτου ποταμοῦ τοῦ ἐν Σικελίᾳ. καὶ πωλεῖται τίμιος. ἐν Λαμψάκῳ δέ ποτ᾽ ἐν τοῖς χρυσίοις εὑρέθη θαυμαστὴ λίθος, ἐξ ἧς ἀνενεχθείσης πρὸς Τίραν, σφραγίδιον γλυφερὸν ἀνεπέμφθη Βασιλεῖ διὰ τὸ περιττόν.

Pulcher autem lapis & Achates, ex Achate fluvio Siciliæ, & venditur magno pretio. Ac Lampſaci aliquando in aurifodinis inventa fuit mirabilis gemma, ex qua miſſa Tyram ſigillum ſculptile miſſum Regi, propter excellentiam.

Achates, inquit Plin. lib. 37. c. 10, *in magna fuit auctoritate: nunc in nulla eſt: reperta primum in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis, poſtea plurimis locis* &c. Atque hæc cauſa haud dubio cur viluerit. Lampſacus oppidum Aſiæ ad Helleſpontum. Utrum autem gemma ibidem reperta fuerit Achates, an alia gemma, non ſatis liquet ex hoc loco. Suſpicor aliam fuiſſe, quia Author genus mutat. In editione autem Aldi erat πρὸς Στίραν. quod Turnebus mutaverat in Τίραν. Furlanus autem in σφύραν. In quo ratio illum fefellit; nam quid eſt lapidem ad malleum referre? Rectè ſane Τύραν leges, urbem Mæſiæ inferioris ad Euxinum.

Καὶ αὗται μὲν ἅμα τῷ καλῷ καὶ τὸ σπάνιον ἔχουσι. αἱ δὲ δὴ ἐκ τῆς Ἑλλάδος, εὐτελέστεραι. οἷον τὸ ἀνθράκιον τὸ ἐξ Ὀρχομενοῦ τῆς Ἀρκαδίας. ἔστι δ' οὗτος μελάντερος τοῦ χίου. κάτοπτρα δὲ ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσι. καὶ ὁ Τροιζήνιος. οὗτος δὲ ποικίλος, τὰ μὲν φοινικοῖς, τὰ δὲ λευκοῖς χρώμασι. ποικίλος δὲ καὶ ὁ Κορίνθιος τοῖς αὐτοῖς χρώμασι. πλὴν τὸ . . . . . χλωροειδέστερον. τὸ δ' ὅλον πολλοὶ τυγχάνουσιν οἱ τοιοῦτοι.

Et hæ quidem cum pulchritudine varietatẽ habent. Quæ vero naſcuntur in Græcia, viliſſimæ. uti Carbunculus ex Orchomeno Arcadiæ: eſt autem iſte nigrior Chio marmore; ſpecula autem ex illo fiunt. & Trœzenus. hic eſt varius, partim puniceis partim albis coloribus. Varius quoque Corinthius, eiſdem coloribus, præterquam quod ſit pallidior. In totum autem plures ſunt huiuſmodi.

Furl. verterat, πλὴν τὸ χλωροειδέστερον, niſi quod viridior eſt; deceptus homonymia vocis; nam viridis color non poteſt in Carbunculis, de quibus hic agitur, habere locum. Plinius lib. 37. c. 7: *Theophraſtus autor eſt, & in Orchomeno Arcadiæ reperiri, & in Chio: illos nigrio-*

nigriores, è quibus & ſpecula fieri. Eſſe & Troezenios varios intervenientibus maculis albis: item Corinthios, ex pallidiore candidos pro quo Cl. Salmaſius legit, *ſed pallidiores & candidiores.*

Ἀλλ' οἱ περιττοὶ σπάνιοι, καὶ ἐξ ὀλίγων τόπων. οἷον ἔκ τε Καρχηδόνος, καὶ τῆς περὶ Μασσαλίαν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου, καὶ ἐκ τῶν Καταδούπων, καὶ Συήνης πρὸς Ἐλεφαντίνῃ πόλει, καὶ ἐκ τῆς Ψηφὼ καλουμένης χώρας. καὶ ἐν Κύπρῳ ἥ τε Σμάραγδος, ἡ καὶ Ἴασπις. οἷς δὲ εἰς τὰ λιθόκολλα χρῶνται, ἐκ τῆς Βακτριανῆς εἰσὶ πρὸς τῇ ἐρήμῳ. συλλέγουσι δ' αὐτοὺς ὑπὸ [τὸν] Ἐτησίας ἱππεῖς ἐξιόντες· τότε γὰρ ἐμφανεῖς γίνονται, κινουμένης τῆς ἄμμου, διὰ τὸ μέγεθος τῶν πνευμάτων. εἰσὶ δὲ μικροὶ καὶ οὐ μεγάλοι.

Verum præſtantiores ſunt rari, & ex paucis locis: uti ex Carthagine & Maſſilia, & ex Aegypto & Catadupis, & Syene iuxta Elephantinam urbem, & ex regione quæ Pſepho appellatur. Et in Cypro & Smaragdus & Iaſpis. Quibus vero utuntur ad Lithocolla, è Bactriana ſunt verſus deſertum Legunt autem eos Eteſiis flantibus equites exeuntes: tunc enim apparent mota arena à vehementia ventorum: ſunt autem parvi & non magni.

Pro eo quod in Aldina editione erat καὶ τὸν κατὰ δου τόπους, qualiter & MSt. Palat., Furlanus expreſſit, καὶ ἐκ τῶν Καταδούπων. Secundum emendationem Turnebi. Furlanus quoque legit λιθοκόλλητα pro λιθόκολλα. Pro κινουμένης denique legitur in MSto κενουμένης. Hunc locum ita extulit Plinius lib. 37. c. 5: *Proximam laudem habent, ſicut & ſedem, Bactriani, quos in commiſſuris Saxorum colligere dicuntur Eteſiis flantibus. Tunc enim tellure internitent.* pro quo Salmaſius, *tellure aperta nitent*: forte compendioſius, *tellurem inter nitent.) quia iis ventis maximè harenæ moventur. Sed hos minores multo Scythicis eſſe tradunt.* Ubi τὰ λιθόκολλα pro commiſſuris Saxorum accepit. De quo vide Salmaſium ad Solinum 197.

Τῶν σπουδαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ Μαργαρίτης καλούμενος. διαφανὴς μὲν τῇ φύσει. ποιοῦσι δ' ἐξ αὐτοῦ πολυτελεῖς ὅρμους· γίνεται δὲ ἐν ὀστρείῳ τινὶ, παραπλησίῳ ταῖς πίνναις. φέρει δ' ἥ τε Ἰνδικὴ χώρα, καὶ νῆσοι τινὲς τῶν ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ.

Ex pretioſis gemmis eſt & Margarita appellata, pellucida naturâ, ex qua faciunt & pretioſa monilia: naſcitur autem in Oſtreo quodam ſimili pinnis. Fert autem & Indica regio, & inſulæ quædam in Erythræo mari.

Pro eo quod hîc dicitur διαφανὴς, Salmaſius legendum cenſet οὐ διαφανής. quem vide ad Solin. 1114. De Margaritis Plin. lib. IX. cap. 35. Ubi & hoc habet: *Origo atque genitura Conchæ haud multum Oſtrearum Conchis differens.* Ita revera eſt, nam nihil commune habet cum Pinna. Ibidem: *Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Perſico ſinu maris Rubri.* Quod hodie notiſſimum eſt; quanquam longe plures repertæ ſuperioribus annis in America multis locis, præcipue ad Inſulam Margaritam & illam continentis oram: etiam in Mari pacifico haud longe à Panama. Addit ibidem: *at in Acarnania, quæ vocatur, pinna gignit. quo apparet, non uno Conchæ genere naſci.* Atque hoc quoque veriſſimum eſt, ſed laudatæ & alicuius pretii non naſcuntur niſi in Oſtreis.

Τὸ μὲν οὖν βέλτιστον σχεδὸν ἐν αὐταῖς. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι τινές. οἷον ὅ τε ἐλέφας ὁ ὀρυκτὸς, ποικίλος μέλανι (καὶ λευκῷ·) καὶ ἣν καλοῦσι Σάπφειρον. αὕτη γὰρ μέλαινα, οὐκ ἄγαν πόῤῥω τοῦ Κυανοῦ τοῦ ἄῤῥενος· καὶ Πρασῖτις· αὕτη δὲ ἰώδης τῇ χρόᾳ.

Præſtantia quidem pene in hiſce eſt. Sunt autem & aliæ quædam. Vti ebur foſſile varium nigro & candido: & quam vocant Sapphirum; ea enim nigra, nec multum diſtans à Cyano mare: & Praſius gemma, quæ eſt æruginei coloris.

Plin. lib. 36. c. 18. *Theophraſtus autor eſt, & ebur foſſile candido & nigro colore inveniri.* Quod autem hic dicit

dicit de Sapphiro, illam eſſe nigram, de ſaturo colore cæruleo accipiendum. Idem lib. 37. cap. 8. *vilioris eſt turbæ Praſius.*

Πυκνὴ δὲ καὶ Αἱματῖτις. αὕτη δ' αὐχμώδης, ἤ, κατὰ τοὔνομα, ὡς αἵματος ξηροῦ πεπηγότος. ἄλλη δὴ καλουμένη, οὐ Ξανθὴ μὲν τὴν χρόαν, ἔκλευκος δ', ὃ μᾶλλον καλοῦσι χρῶμα οἱ Δωρεῖς ξανθόν.

Denſa quoque Hæmatitis. ipſa autem arida, aut, ſecundũ nomen , velut è ſicco ſanguine concreta. alia item vocata Xanthe, non quidem colore; ſubcandida enim; quem colorem Dores vocant xanthum.

De Hæmatite vide Plin. lib. 36. cap. 20. Idem lib. 37, cap. 10, de Hæmatite agens: *Eſt & alia eiuſdem generis, quæ vocatur Henui ab Indis, Xanthos appellata Græcis, è fulvo candicans.* Quo loco tamen Cl. Salmaſius pro Henui legit *Menui* , & pro Xanthos Xuthos. quem vide ad Solinum pag. 410.

Τὸ γὰρ Κουράλιον (καὶ γὰρ τοῦθ' ὥσπερ λίθος) τῇ χρόᾳ μὲν ἐρυθρὸν, περιφερὲς δὲ, ὡς ἂν ῥίζα. φύεται δὲ ἐν τῇ θαλάττῃ. τρόπον δέ οὐ τινα πόρρω τούτου τῇ φύσει καὶ ὁ Ἰνδικὸς κάλαμος ἀπολελιθωμένος. Ταῦτα μὲν οὖν ἄλλης σκέψεως.

Corallium enim (nam & hoc inſtar lapidis) colore quidem rubrum, teres ſicuti radix. Creſcit autem in mari. Quodam modo non longe ab eo differt & Calamus Indicus in lapidem converſus. Hæc vero alterius contemplationis ſunt.

Τῶν δὲ λίθων πολλαί τινες αἱ φύσεις καὶ τῶν μεταλλευομένων. ἔνιαι γὰρ ἅμα χρυσὸν ἔχουσι καὶ ἄργυρον. περιφανὲς δὲ μόνον ἄργυρον· βαρύτεραι δὲ αὗται πολὺ καὶ τῇ ῥοπῇ καὶ τῇ ὀσμῇ.

Lapidum autem multa alia genera etiam metallicorum. Quidam enim ſimul aurum continent & argentum. manifeſtum autem ſolum argentum: graviores vero iſti multum & pondere & odore.

Καὶ Κυανὸς αὐτοφυὴς, ἔχων ἐν ἑαυτῷ χρυσοκόλλαν.

ἄλλη

ἄλλη δὲ λίθος ὁμοία τὴν χρόαν τοῖς ἄνθραξι. βάρος δ' ἔχουσι. τὸ ὅλον δὲ ἐν τοῖς μετάλλοις πλεῖσαι καὶ ἰδιώταται εὑρίσκονται τῶν τοιούτων. ὧν τὰ μέν εἰσι γῆς, καθάπερ Ὤχρα, καὶ Μίλτος. τὰ δ' οἷον ἄμμου, καθάπερ χρυσοκόλλα καὶ Κυανός. τὰ δὲ κονίας, οἷον Σανδαράκη καὶ Ἀῤῥενικὸν καὶ ὅσα ὅμοια τούτοις.

Et cæruleum nativum, habens in ſe Chryſocollam. & alius lapis ſimilis colore Carbunculis. Graves autem ſunt. In totum vero in metallis plura & inſignia genera inveniuntur iſtorum. Horum quædam è terra conſtant, ut Ochra & Rubrica; quædam quaſi ex arena, ut Chryſocolla & Cæruleum: quædam autem ex cinere, ut Sandaraca & Auripigemntum, & qualia his ſimilia.

Quod primo loco dicit author, de Armenio videtur intelligendum. De quo ita Plin. lib. 35. c. 6: *Armenia mittit, quod eius nomine appellatur. Lapis eſt hic quoque Chryſocollæ modo infectus.* Siquidem Lapis, quem hodie Armenium appellamus, manifeſtè in ſe continet Cæruleum & Chryſocollam.

Καὶ τῶν μὲν τοιούτων πλείους ἄν τις λάβοι τὰς ἰδιότητας. ἔνιαι δὲ λίθοι καὶ τὰς τοιαύτας ἔχουσι δυνάμεις, εἰς τὸ μὴ πάσχειν, ὥσπερ εἴπομεν. οἷον τὸ μὴ γλύφεσθαι σιδήροις, ἀλλὰ λίθοις ἑτέροις.

Atque talium quidem plures quis ſumere poſſet proprietates. quidam enim lapides eiuſmodi vires habent, ut non patiantur, quemadmodum diximus; uti non ſculpi ferreis inſtrumentis, ſed aliis lapidibus.

Plurimæ ſane gemmæ & lapides ſunt quæ à ferro nihil patiuntur, ſed aut aliis lapidibus ſculpendæ ſint, aut mutuo affrictu, ut Adamas.

Ὅλως μὲν, ἡ κατὰ τὰς ἐργασίας ἐπὶ τῶν μειζόνων λίθων πολλὴ διαφορά. ἄνοι πρισοὶ γάρ· οἱ δὲ γλυπτοὶ, καθάπερ ἐλέχθη, καὶ τορνευτοὶ τυγχάνουσι, καθάπερ καὶ ἡ Μαγνῆτις αὕτη λίθος. ἣ καὶ ὄψει περιττὸν ἔχουσα, καὶ, ὥς γε δή τινες θαυμάζουσι, τὴν ὁμοίωσιν τῷ ἀργύρῳ μηδαμῶς οὖσαν συγγενῆ.

In ſumma, quoad facturas, & maiorum lapidum magna differentia eſt. Alii ſiquidem ſectiles, alii ſculptiles, uti dictum, & tornatiles ſunt; quemadmodum Magnetis ipſa gemma, elegans aſpectu; &, ut quidam admirantur, cum argento ſimilitudinem habens, licet nullo modo ſit eiuſdem generis.

Manifeſtè patet, illum non agere de Magnete, ſed de alia gemma; cuius tamen Plinius hoc nomine non meminit. Niſi fortè ſit Argyradamas; vel Androdamas argenti nitorem habens. Neque tamen videtur Lapis ille, de quo Agricola dicit, argenti ſimilem eſſe, conſtareque ex cruſtis Lapidum ſpecularium inſtar: neque enim hic aut ſculpi aut tornari poteſt.

Πλείους δ᾽ εἰσὶν οἱ δεχόμενοι πάσας τὰς ἐργασίας. ἐπεὶ καὶ ἐν Σίφνῳ τοιοῦτός τις ἐστὶν ὀρυκτός. ὃς τρία στάδια ἀπὸ θαλάττης, στρογγύλος καὶ βολώδης. καὶ τορνεύεται καὶ γλύφεται διὰ τὸ μαλακόν. ὅταν δὲ πυρωθῇ [καὶ ἀποβαφῇ] τῷ ἐλαίῳ, μέλας τε σφόδρα γίνεται καὶ σκληρός. ποιοῦσι δ᾽ ἐξ αὐτοῦ σκεύη τὰ ἐπιτραπέζια. οἱ μὲν τοιοῦτοι πάντες ὑποδέχονται τὴν ἐκ σιδήρου δύναμιν. ἔνιοι δὲ λίθοις ἄλλοις γλύφονται, σιδήροις δ᾽ οὐ δύνανται, καθάπερ εἴπομεν. οἱ δὲ σιδήροις μὲν, ἀμβλέσι δέ.

Plures autem ſunt qui omnes facturas admittunt. Siquidem & in Siphno talis eſt foſſilis. qui tribus ſtadiis à mari eruitur, rotundus & gleboſus. & tornatur & ſculpitur propter mollitiem; quum uritur & diluitur oleo, admodum niger fit & ſolidus. faciunt autem ex eo vaſa menſaria. Tales quidem omnes admittunt ferri vim. quidam vero aliis lapidibus ſculpuntur, ferro autem nequeunt, ut diximus. quidam autem ferro quidem, ſed hebeti.

Plinius lib. 36. cap. 22: *Sed in Siphnio ſingulare, quod excalefactus oleo nigreſcit dureſcitque natura molliſſimus.* Vide quæ diximus de lapide Comenſi. Ferro autem hebeti etiam marmora ſecantur, ſed ſectura fit

non

non tam à ferro quam ab arena quæ affunditur. Obſervandum autem , καὶ ἀποβαφῇ additum è MSto.

Καί εἰσιν . . . . . παραπλησίως δὲ κατὰ τὸ μὴ τέμνεσθαι σιδήρῳ. καί τοι καὶ στερεώτερα καὶ ἰσχυρότερα τέμνει καὶ σίδηρος, λίθου σκληρότερος ὤν. ἄτοπον δὲ κἀκεῖνο φαίνεται, διότι ἡ μὲν ἀκόνη κατεσθίει τὸν σίδηρον, ὁ δὲ σίδηρος ταύτην μὲν δύναται διαιρεῖν καὶ ῥυθμίζειν, ἐξ ἧς δ' αἱ σφραγίδες, οὔ. καὶ πάλιν, ὁ λίθος, ᾧ γλύφουσι τὰς σφραγίδας, ἐκ τούτου ἐστὶν ἐξ οὗπερ αἱ ἀκόναι, ἢ ἐξ ὁμοίου τούτῳ. ἄγεται δὲ ἢ ἐξ Ἀρμενίας.

Furlanus: *quod perinde eſt atque ſi ferro non ſecarentur. Quanquam & duriora & ſolidiora ſecat ferrum, lapide durius exiſtens. Abſurdum autem hoc videtur; quod Coticula depaſcitur ferrum, ferrum autem illam non valet dividere & concinnare; eam ex qua ſigilla fiunt, nequaquam: & tamen lapis, quo ſigilla ſculpuntur , ex eodem eſt è quo & Coticulæ , aut ex ſimili. Affertur autem ex Armenia.*

Quomodo hanc lacunam ſuppleverit Furlanus, ex verſione licet intelligere. Facit & mentionem Turnebianæ emendationis; quam videre non potui. Quum autem animadverto , quid Philoſophus hìc agat; non poſſum Furlano aſſentiri: ſed magis credo, Theophraſtum hoc velle ; plures eſſe controverſias & diſceptationes de eo quod quidam lapides à ferro nihil patiantur: quandoquidem ferrum durius ſit lapide. Illud autem abſurdum videri: quod, cum ferrum & Cos à ſe mutuo patiantur , Cos in lapides, quibus gemmæ fotmantur , nihil poſſit ; ſiquidem lapis, quo gemmæ illæ ſcalpuntur, aut Cos ſit , aut ſimilis illi natura. Admirationis enim & abſurdi ratio in eo eſt, quod cum lapis, qui agit in ferrum, etiam à ferro viciſſim patiatur, non etiam idem fiat in gemmis. Plin. lib. 36. cap. 7: *ſignis è marmore poliendis,*

dis, gemmiſque etiam ſcalpendis atque limandis, Naxium diu placuit ante alia: ita vocantur Cotes in Cypro inſula genitæ. Vicere poſtea ex Armenia vectæ. De his agit Author in fine periodi.

Θαυμαστὴ δὲ φύσις καὶ τῆς βασανιζούσης τὸν χρυσόν. δοκεῖ γὰρ δὴ τὴν τοιαύτην ἔχειν τῷ πυρὶ δύναμιν. καὶ γὰρ ἐκεῖνο δοκιμάζει. διὸ καὶ ἀποροῦσί τινες, οὐκ ἄγαν οἰκείως ἀποροῦντες. οὐ γὰρ τὸν αὐτὸν τρόπον δοκιμάζει. ἀλλὰ τὸ μὲν πῦρ τῷ τὰ χρώματα μεταβάλλειν, καὶ ἀξιοῦν, ὁ δὲ λίθος, τῇ παρατρίψει. δύναται γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἐκλαμβάνειν τὴν ἑκάστου φύσιν. εὑρῆσθαι δὲ φασιν νῦν ἀμείνω πολὺ τοῦ προτέρου. ὥστε μὴ μόνον τὸν ἐκ τῆς καθάρσεως, ἀλλὰ καὶ τὸν χαλκὸν κατάχρυσον καὶ ἄργυρον γνωρίζειν, καὶ πόσον εἰς τὸν στατῆρα μέμικται. σημεῖα δ' ἐστὶν αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ ἐλαχίστου. ἐλάχιστον δὲ γίνεται κριθή. εἶτα κόλυβον. εἶτα τεταρτημόριον, ἢ ἡμιόβολος. ἐξ ὧν γνωρίζουσι τὸ καθῆκον.

Mirabilis autem eſt natura lapidis qui probat aurum: videtur enim eandem habere cum igne poteſtatem; nam & ille probat. quare & dubitant quidam, non ita opportune dubitantes. non enim ad eundem modum probat. Sed ignis quidem mutando colores & æſtimando: Lapis vero attritu. poteſt enim, ut videtur, excipere uniuſcuiuſque naturam. Inventum autem ferunt nunc multo meliorem, quam qui ante in uſu fuit. Ita ut non modo aurum perpurgatum, ſed & æs inauratum & argentum liceat experiri; & quantum in Staterem admixtum ſit. Signa autem ipſis ſunt à minimo: Minimum autem eſt granum, deinde Colybus, dein quadrans, aut ſemiobulus; ex quibus probant quod convenit.

Pro κόλυβον in Aldina editione fuit κόλυμβον. uti & Suidas videtur legiſſe. Salmaſius legit κόλλυβον; & pro ἡμιόλων ὀβολὸν (ut fuit in Aldina) εἶτα ἡμιοβόλια, εἶτα ὀβολόν. & annotat: ἡμιοβόλια ſunt quatuor Chalci, τεταρτημόριον ſunt duo Chalci: collubus pro Chalco accipitur.

Εὐ-

Εὑρίσκονται δὲ τοιαῦται πᾶσαι ἐν τῷ ποταμῷ Τμώλῳ. λεία δ᾽ ἡ φύσις αὐτῶν καὶ ψηφοειδής, πλατεῖα, οὐ στρογγύλη. μέγεθος δὲ ὅσον διπλασία τῆς μεγίστης ψήφου. διαφέρει δ᾽ αὐτῆς πρὸς τὴν δοκιμασίαν τὰ ἄνω πρὸς τὸν ἥλιον, ἢ τὰ κάτω. καὶ βέλτιον δοκιμάζει τὰ ἄνω. τοῦτο δέον, ὅτι ξηρότερα τὰ ἄνω. κωλύει γὰρ ἡ ὑγρότης εἰς τὸ ἐκλαμβάνειν. ἐπειδὴ καὶ ἐν τοῖς καύμασι τὸ δοκιμάζειν χεῖρον. ἀνίησι γάρ τινα νοτίδα ἐξ αὐτῆς, δι᾽ ἣν ἀπολισθαίνει. συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ ἄλλοις τῶν λίθων, καὶ ἐξ ὧν τὰ ἀγάλματα ποιοῦσιν. ὃ καὶ σημεῖον ὑπολαμβάνει ὡς ἴδιον τὸ τοῦ εἴδους.

Inveniuntur autem tales omnes in fluvio Tmolo. Lævis autem eorum natura & calculoſa; lata, non rotunda; magnitudine dupla maximi calculi. Differtunt autem ad probationem ſuperior eius pars, quæ Soli fuit expoſita, ab inferiore. & melius probat ſuperior. quod ratione fit, quia ſiccior ſuperior pars. prohibet enim humiditas in educendo: ſiquidem in æſtu peius probatur. emittit enim quandam humiditatem ex ſe, per quam fit ut non adhæreſcat & erret. Accidit autem hoc & aliis lapidibus , etiam eis ex quibus ſimulacra fiunt. Quod ſignum, eſt proprium eſſe ſpeciei.

Plin. lib 33. cap. 8: Auri argentique mentionem comitatur lapis quem coticulam appellant, quondam non ſolitus inveniri, niſi in flumine Tmolo, ut autor eſt Theophraſtus : nunc vero paſſim. quem alii Heraclium, alii Lydium vocant. Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis, binaſque latitudinis non excedentes. Quod à Sole fuit in his, melius quam quod à terra. His coticulis periti, cum è vena, ut lima, rapuerint experimentum, protinus dicunt, quantum auri ſit in ea, quantum argenti vel aëris, ſcrupulari differentia, mirabili ratione, non fallente.

Αἱ μὲν οὖν τῶν λίθων διαφοραὶ καὶ δυνάμεις σχεδόν εἰσιν

σιν ἐν τούτοις. αἱ δὲ τῆς γῆς, ἐλάττονες μὲν, ἰδιώτεραι δέ. τὸ μὲν τήκεσθαι, καὶ ἀλλοιοῦσθαι, καὶ πάλιν ἀποσκληρύνεσθαι, καὶ ταύτῃ συμβαίνει· τήκεται μὲν γὰρ τοῖς χυτοῖς καὶ ὀρυκτοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ λίθος. μαλάττεται δὲ, πλίνθους τε ποιοῦσιν, ὧν τάς τε ποικίλας, καὶ τὰς ἄλλας τὰς συντιθεμένας. ἁπάσας γὰρ πυροῦντες καὶ μαλάττοντες ποιοῦσιν.

Lapidum itaque differentiæ & vires in his conſiſtunt fere. Terræ autem, pauciores quidem, ſed magis propriæ. Nam & liquari & alterari & rurſus indurari & ipſi accidit. Liqueſcit enim cum fuſilibus & foſſilibus, quemadmodum & lapis. Mollitur etiam, & lateres ex ea faciunt: varios quidem & aliter atque aliter compoſitos: omnes autem urendo & molliendo faciunt.

Εἰ δὲ καὶ ὁ ὕελος ἐκ τῆς ὑελίδος, ὥς τινές φασι, καὶ αὕτη πυκνώσει γίνεται· ἰδιωτάτη δ' ἡ τῷ χαλκῷ μιγνυμένη· πρὸς γὰρ τὸ τήκεσθαι καὶ μίγνυσθαι καὶ δύναμιν ἔχει περιττὴν, ὥστε τῷ κάλλει τῆς χρόας ποιεῖν διαφοράν.

Si autem vitrum ex vitriaria terra fiat, ut quidam affirmant, & ipſum uſtione generatur; præſtantiſſimum autem ære admixto. Nam præterquàm quod liquatur & miſcetur, facultatē habet præſtantem, ita ut pulchritudine coloris differentiam conſtituat.

Suſpectum eſt quod hîc dicitur de ære. neque enim apud Plinium, lib. 36. cap. 26, ubi veteres novoſque vitri faciendi modos recenſet, æris mixti meminit: niſi forte Cyprium, quod iungit cum nitro, pro ære velimus accipere; quod tamen mihi non fit veriſimile. Malim legere τῷ χάλικι, id eſt, Calculis. nam eorum meminit Plinius capite ſupra dicto.

Περὶ δὲ Κιλικίαν ἐστί τις ἣ ἕψεται γῆ, καὶ γίνεται γλισχρά. Ταύτῃ δ' ἀλείφουσι τὰς ἀμπέλους ἀντὶ ἰξοῦ πρὸς τοὺς ἴπας. εἴη δ' ἂν λαμβάνειν καὶ ταύτας τὰς διαφορὰς ὅσαι πρὸς τὴν ἀπολίθωσιν εὐφυεῖς· ἐπεὶ αἵγε, τοὺς τούτων ποιοῦσαι χυ-

****

μοὺς

μοὺς διαφόρους ἀλλήλων, τιν᾿ ἔχουσαι φύσιν, ὥσπερ καὶ αἱ τὰς τῶν φυτῶν.

In Cilicia autem quædam eſt terra quæ coquitur & fit lenta: qua inungunt vites loco viſci contra convolvulos. Liceret utique ſumere & has differentias, quæ aptæ ſunt natura ad lapideſcendum, ſiquidem & hæ, quæ Succos edunt inter ſe diverſos, certam aliquam habent naturam, quemadmodum & quæ Succos ſubminiſtrant plantis.

Ἀλλὰ μᾶλλον ἄν τις τοὺς τοῖς χρώμασι διαριθμήσειε, οἷσπερ καὶ οἱ γραφεῖς χρῶνται. καὶ γὰρ ἡ γένεσις τούτων, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς εἴπομεν, ἤτοι συῤῥοῆς τινος ἢ διηθήσεως γενομένης. καὶ ἔνιά γε δὴ φαίνεται πεπυρωμένα καὶ οἷον κατακεκαυμένα, οἷον καὶ ἡ Σανδαράκη καὶ τὸ Ἀῤῥενικὸν, καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα. πάντα δ᾿, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀπὸ τῆς ἀναθυμιάσεως ταῦτα τῆς ξηρᾶς καὶ καπνώδους. εὑρίσκεται δὴ πάντα ἐν τοῖς μετάλλοις τοῖς ἀργυρείοις τε καὶ χρυσείοις. ἔνια δὲ καὶ ἐν τοῖς χαλκωρυχείοις.

Verum potius quis numeraverit qui ad colores faciunt, quibus & pictores utuntur. Horum enim generatio, uti ab initio diximus, aut confluxu quodam aut percolatione perficitur. Aliqua etiam videntur ambuſta & quaſi combuſta: uti Sandaraca, & auripigmentum, & cætera huiuſmodi. Omnia autem, ut ſimpliciter dicam, ab exhalatione & ſicca & fumida. Inveniuntur autem omnia in metallis argenteis & aureis, & in ærifodinis.

Οἷον Ἀῤῥενικὸν, Σανδαράκη, Χρυσοκόλλα, Μίλτος, Ὦχρα, Κύανος. ἐλάχιστος δὲ οὗτος, καὶ κατ᾿ ἐλάχιστα. τῶν δ᾿ ἄλλων μέν εἰσι ῥάβδοι. τὴν δ᾿ Ὤχραν ἀθρόαν πως φασὶν εἶναι. Μίλτον δὲ παντοδαπὴν, ὥστε εἰς τὰ ἀνδρείκελα χρῆσθαι τοὺς γραφεῖς, καὶ ὤχρᾳ ἀντ᾿ Ἀῤῥενικοῦ· διὰ τὸ μηδὲν τῇ χρόᾳ διαφέρειν, δοκεῖν δέ.

Quemadmodum Auripigmentum, Sandaraca, Chryſocolla, Rubrica, Ochra, Cæruleum: hoc tamen minimum, & rariſſime. Aliorum autem ſunt venæ. Ochram vero confertam interdum aiunt reperiri, Rubricam omnifariam, ut

illa

illa ad miſturam colorum pictores utantur, & Ochra auri-pigmenti loco, eo quod colore nihil differant, videantur autem.

Pro ἀνδρείκελα Palatinus codex habet ἀνδρίκελα. Vide quæ Furlanus ſcripſit de voce ἀνδρείκελα è Suida & aliis. Non puto tamen, hic pro colorum miſtura ſumi, ſed potius indicare Theophraſtum, pictores ea, utpote viliſſima, uti ad prima rudiméta imaginum delineanda. Cl. Salmaſius poſt δοκεῖν delet δέ.

Ἀλλὰ Μίλτου τε καὶ Ὤχρας ἐστὶν ἐνιαχοῦ μέταλλα. ἔστι κατὰ ταῦτα, καθάπερ ἐν Καππαδοκίᾳ, καὶ ὀρύττεται πολλή. χαλεπὸν δὲ τοῖς μετάλλοις φασὶν εἶναι τὸ συνίγεσθαι. ταχὺ γὰρ καὶ ἐν ὀλίγῳ τοῦτο ποιεῖν. βελτίστη δὲ δοκεῖ μίλτος ἡ Κεία εἶναι. (γίνονται γὰρ πλείους.) ἡ μὲν οὖν ἐκ τῶν μετάλλων. ἐπειδὴ καὶ τὰ σιδήρεια ἔχει μίλτον. ἀλλὰ καὶ ἡ Λημνία, καὶ ἣν καλοῦσιν Σινωπικήν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ Καππαδοκική. κατάγεται δ' εἰς Σινώπην. ἐν δὲ τῷ μικρῷ μεταλλεύεται καθ' αὑτήν.

Verum Rubricæ & Ochræ ſunt aliquot in locis fodinæ, atque ita, quemadmodum in Cappadocia, fodiuntur magna copia. Difficultatem autem his metallis eſſe quod ſuffocent; celeriter enim & brevi hoc facere. Optima autem videtur Cea eſſe, (naſcuntur enim plures,) & ipſa è fodinis. Siquidem & ferrariæ habent Rubricam. Sed & Lemnia, & quæ vocatur Sinopica: hæc autem eſt Cappadocica, & portatur Sinopem. In Lemno autem effoditur per ſe.

Pro ἐνιαχοῦ Palat. Cod. ἐνιοχοῦ. pro eo autem quod in Ald. Edit. erat, ἐν δὲ τῷ μικρῷ, Furlanus ſubſtituit, ἐν δὲ τῇ Λήμνῳ: coniecturâ haud malâ. Suſpecta autem vox Κεία. nam Plinius, diligenter de ſpeciebus Rubricæ agens, eius non meminit: Sed lib. 35, cap. 6, tantum dicit: *quæ Saxis adhæſit, excellit.* Sed locum eius poſtea dabimus.

Ἔστι δὲ αὐτῆς γένη τρία. ἡ μὲν ἐρυθρὰ σφόδρα. ἡ δὲ ἔκλευ-

λευ-

λευκός. ἡ δὲ μέση. ταύτην αὐτάρκη καλοῦμεν, διὰ τὸ μὴ μίγνυσθαι. τὰς δὲ ἑτέρας μιγνύουσι.

Sunt autem eius tria geneta. una quidem valde rubra. altera ſubcandida. tertia media: quam vocamus ſibi ſufficientem; quia non miſcetur; cæteras enim miſcent.

Plinius loco ſupra dicto: *ſpecies Sinopidis tres; rubra, & minus rubens, & inter has media.* Et paulo poſt: *Palmam Lemniæ dabant.* Et mox : *Ex reliquis rubricæ generibus, fabris utiliſſima Aegyptia & Africana, quoniã maxime ſorbentur picturis.* (ut corrigit Salmaſius in Solinum pag. 1156.) *Naſcitur autem & in ferrariis metallis, & Cea.* Ita enim legendum, ut ſtatim dicam.

Γίνεται δὲ ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης. ἀλλὰ χείρων. τὸ δ' εὕρημα Κυδίου. συνεῖδε γὰρ ἐκεῖνος, ὥς φασι, καταπρησθέντος τινὸς πανδοχείου, τὴν ὤχραν ἰδὼν ἡμίκαυστον καὶ πεφοινιγμένην. τιθέασι δ' εἰς τὰς καμίνους χύτρας κενὰς, περιπλάσαντες πηλῷ. Ὀπτῶσι γὰρ διάπυροι γινόμεναι. Ὅσῳ δ' ἂν μᾶλλον πυρωθῶσι, τοσούτῳ μᾶλλον μελαντέραν καὶ ἀνθρακωδεστέραν ποιοῦσι. μαρτυρεῖ δ' ἂν ἡ γένεσις αὐτό. δόξειε γὰρ τὸ ὑπὸ πυρὸς ἅπαντα ταῦτα μεταβάλλειν· εἴπερ ὁμοίαν ἢ παραπλησίαν δεῖ τὴν ἐνταῦθα τῇ φυσικῇ νομίζειν.

Fit etiam ex Ochra combuſta ; verum deterior. hoc autem inventum Cydiæ: animadvertit enim ille, combuſta quadam taberna, Ochram videns, ſemiuſtam rubeſcere. Ponunt autem in fornacibus ollas novas, circumlinentes luto: aſſant enim ubi canduerint: quo autem magis canduerint, eo magis ſaturam & Carbonibus ſimiliorem efficiunt. Teſtatur autem & generatio hoc. videntur enim ab igne cuncta hæc mutari ; ſiquidem ſimilem aut proximam oportet hanc naturæ cenſere.

In Aldina Edit. erat, χύτρας λενὰς. pro quo Palat. Codic. κενὰς. Sed ſcribendum fuerat καινὰς; nam κενὰς ſignificat vacuas ; quod huic loco non

con-

convenit. Plinius lib. 35, cap. 6: *Picturis autem aptè naſcitur & in ferrariis metallis. Ex ea fit Ochra exuſta rubrica in ollis novis luto cricumlitis. quo magis arſit in caminis, hoc melior.* Locus corruptus. quem Salmaſius in Solinum, pag. 1156, ita reſtituit: *Sorbentur picturis. Naſcitur autem & in ferrariis metallis Ochra. Ex ea fit exuſta rubrica.* Nam certum eſt, Plinium hæc ſumſiſſe è Theophraſto, itaque non eſt veriſimile, contrarium voluiſſe dicere. Verum puto, hic aliud mendum hærere in. *Ex ea.* Et venit in mentem quod ante dixit Author, βελτίστη δὲ δοκεῖ μίλτος ἡ Κεία εἶναι: pro quo in Palat. Cod. ἡκεία: Unde conjicio, in Plinio legendum: *Naſcitur autem in ferrariis metallis & Cea. Fit Ochrâ exuſtâ rubricâ* &c. Nota autem Inſula Cea vel Ceos. de qua Plinius lib. IV. cap. 12.

Ἔστι δ' ὥσπερ καὶ μίλτος, ἡ μὲν αὐτόματος, ἡ δὲ τεχνική. καὶ κυανὸς ὁ μὲν αὐτοφυὴς, ὁ δὲ σκευαστὸς, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ. γένη δὲ κυανοῦ τρία· ἡ Αἰγύπτιος, καὶ Σκύθης, καὶ τρίτος ὁ Κύπριος. βέλτιστος δ' ὁ Αἰγύπτιος εἰς τὰ ἄκρατα λειώματα. ὁ δὲ Σκύθης εἰς τὰ ὑδαρέστερα. Σκευαστὸς δὲ ὁ Αἰγύπτιος. καὶ οἱ γράφοντες τὰ περὶ τῶν βασιλέων, καὶ τοῦτο γράφουσι, τίς πρῶτος βασιλεὺς ἐποίησε τεχνητὸν κυανὸν, μιμησάμενος τὸν αὐτοφυῆ· δῶρά τε πέμπεσθαι παρ' ἄλλων τε καὶ ἐκ Φοινίκης φόρον κυανοῦ, τοῦ μὲν, ἀπύρου, τοῦ δὲ, πεπυρωμένου.

Quemadmodum autem rubrica alia quidem nativa eſt, alia factitia; ita & cæruleum unum quidem nativum eſt, alterum artificioſum; ut in Aegypto. Genera enim Cærulei tria, Aegyptium, Scythicum, & tertium Cyprium. Optimum autem Aegyptum ad meraciores inductiones. Scythicum autem, dilutiores. Facticium autem Aegyptium. Et qui ſcribunt de regibus, hoc etiam ſcribunt, quis Regum primus artificiale Cæruleum fecerit, nativum imitatus. Munera etiam miſſa & ab aliis & è Phœnicia tri-

butum Cærulei, tum ignem non paſſi, tum paſſi.

In Ald. Edit. erat χυτὸν κυανόν. pro quo Furlanus ſuppoſuit τεχνικόν. Poſſet tamen legi χυτελινὸν; Vitruvius enim, de hoc agens lib. 7, cap. 11, maſſam ſcribit componi in urceo fictili &c. Plinius lib. 37, cap. 9, de Cyano gemma agens: *Optima Scythica, dein Cypriæ, poſtremò Aegyptia. Adulteratur maximè Tinctura; idque in gloria regis Aegyptii aſſcribitur, qui primus eam tinxit.* Idem de Cæruleo lib. 33, cap. ult. *Cæruleum harena eſt. Huius genera tria fuere antiquitus; Aegyptium; quod maxime probatur: Scythicum; hoc diluitur facile; cumque teritur, in IV colores mutatur, candidiorem nigrioremve, craſſiorem tenuioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium.* E quibus proclive videre eſt, Plinium primo loco perperam ad gemmam retuliſſe quæ Author de colore dixerat. Λειώματα autem (ut nos docuit Salm. in Solin. pag. 202.) non ſunt *Lomenta*, ut vertunt Interpretes, ſed politiones & inductiones è pictura in parietibus; & ἄκρατα quæ meracioris & magis ſaturi ſunt coloris; ὑδαρέστερα, quæ dilutioris. Vide & Vitruv. lib. VII, cap. 9.

Φασὶ δὲ οἱ τὰ φάρμακα τρίβοντες, τὸ μὲν κυανὸν ἐξ ἑαυτοῦ ποιεῖν χρώματα τέτταρα. τὸ μὲν πρῶτον, ἐκ τῶν λεπτοτάτων λευκότατον. τὸ δὲ δεύτερον ἐκ τῶν παχυτάτων μελάντατον. Ταῦτά τε τέχνῃ γίνεται, καὶ ἔτι τὸ ψιμύθιον. τίθεται γὰρ μόλιβδος ὑπὲρ ὄξους ἐν πίθοις. ὅταν δὲ λάβῃ πάχος ἡλίκον πλῆθος, (λαμβάνει δὲ μάλιστα ἐν ἡμέραις δέκα) τότ᾽ ἀνοίγουσιν, εἶτ᾽ ἀποξύουσιν ὥσπερ εὐρῶτά τινα ἀπ᾽ αὐτοῦ, καὶ πάλιν (τιθέασι,) καὶ πάλιν, ἕως ἂν καταναλώσωσι. τὸ δὲ ἀποξυόμενον ἐν τριπτῆρι τρίβουσι, καὶ ἐφθοῦσιν ἀεί. τὸ δὲ ἔσχατον ὑφιστάμενόν ἐστι τὸ ψιμύθιον.

Aiunt autem qui pigmenta terunt, Cyanum ex ſe facere quatuor colores: primum ex tenuiſſimis partibus candidiſſimum; ſecundum vero ex craſſiſſimis nigerrimum. Hæc autem arte fiunt; quemadmodum & Ceruſſa. Ponitur enim plum-

plumbum ſuper acri aceto in fictilibus; poſtquam autem craſſitiem acceperit aliquanta magnitudo, (accipit autem ut plumirum diebus decem) tunc aperiunt; deinde deradunt veluti ſitum quendam ab eo; & iterum atque iterum ponunt, donec penitus diſſolverint. deraſum vero in tudicula terunt, & continuo coquunt; quodque denique ſubſidet, eſt Ceruſſa.

Pro ἐφθοῦσιν Pal. Cod. legit ἀψιθοῦσιν.

Supra attulimus locum Plinii de cæruleo; qui quatuor genera facit ad eundum modum, quanquam Theophraſtus tantũ duo deſignet, mediis relictis. Quod autem Furlanus negat, ſe intelligere, quis ſit craſſior & tenuior color; non ſatis attendit, Plinium dicere, Cæruleum eſſe harenam. quare illud *craſſior & tenuior*, non de colore ſed de harena accipiendum. Plin. lib. 34. cap. 18. De Ceruſſa: Fit & alio modo, addito in urceos aceti plumbo, obturatos per dies x, deraſoque ceu ſitu, ac rurſus deiecto, donec deficiat materia. quod deraſum eſt, teritur & cribratur, & coquitur in patinis, miſceturq; rudiculis donec rufeſcat, & ſimile Sandarachæ fiat. Dein lavatur dulci aqua, donec nubeculæ omnes eluantur. Siccatur ſimiliter: poſtea & in paſtillos dividitur. Vitruvius lib. VII. cap. 12: Rhodii enim in doliis Sarmenta componentes, acetum ſuffundunt, & ſupra Sarmenta plumbeas maſſas collocant: deinde dolia operculis obturant, ne Spiramentum obturata emittant; poſt certum tempus aperientes inveniunt è maſſis plumbeis ceruſſam. Vide & Dioſcorid. lib. v. cap. 53.

Παραπλησίως δὲ καὶ ὁ ἰὸς γίνεται. Χαλκὸς γὰρ ἐρυθρὸς, ὑπὲρ τρυγὸς τίθεται, καὶ ἀποξύεται τὸ ἐπιγινόμενον. οὕτω ἐπιφαίνεται τιθέμενος.

Furlan. *Simili fere modo & ærugo fit. Aes enim rubrum ſuper amurca ponitur, & quod inſuper genitum ſit,*

abraditur. Sic enim apparet quod ponitur.

De ærugine vide Plin. lib. 34, cap. XI & XII. Vitruv. ibid. Eadem ratione lamellas æreas collocantes, efficiunt æruginem, quæ æruca appellatur. Mirum autem cur Furlanus ὑπὲρ τρυγὸς verterit ſuper amurcam; nam τρὺξ eſt vinum recens; aut etiam fæx vini:licet interdum & pro fæce olei ſumatur:Sed oleum hîc non habet locum, ſed potius acetum, ut liquet è Plin. & Vitruvio. Neque commodum ſenſum habent, *ſic enim apparet quod ponitur.* Vertendum; *ita demum ſuper apparet poſita.* Videlicet *ærugo:* aut, *ubi ſuperapparet,* &c.

Γίνεται δὲ ἡ κιννάβαρι, τὸ μὲν αὐτοφυές, τὸ δὲ κατ᾽ ἐργασίαν. αὐτοφυὲς μὲν τὸ περὶ Ἰβηρίαν, σκληρὸν σφόδρα καὶ λιθῶδες. καὶ τὸ ἐν Κόλχοις. τοῦτο δέ φασιν εἶναι κρημνῶν. ὃν καταβάλλουσι τοξεύοντες. τὸ δὲ κατ᾽ ἐργασίαν, ὑπὲρ Ἐφέσου μικρὸν ἐξ ἑνὸς τόπου. μόνον δ᾽ ἐστὶν ἄμμος, ἣν συλλέγουσι λαμπυρίζουσαν, καθάπερ ὁ κόκκος· ταύτην δὲ τρίψαντες ὅλως ἐν ἀγγείοις λιθίνοις λειοτάτην πλύνουσιν ἐν χαλκοῖς, μικρὸν ἐν κάλοις. τὸ δ᾽ ὑφιστάμενον πάλιν λαβόντες πλύνουσι καὶ τρίβουσιν. ἐν ᾧπέρ ἐστι τὸ τῆς τέχνης. οἱ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ ἴσου πολὺ περιποιοῦσιν, οἱ δὲ ὀλίγον ἢ οὐθέν· ἀλλὰ πλύσματι ἐπάνω χρῶνται, ἓν πρὸς ἓν ἀλείφοντες. γίνεται δὲ τὸ μὲν ὑστάμενον κάτω, Κινναβαρι· τὸ δ᾽ ἐπάνω, καὶ πλεῖον, πλύσμα. καταδεῖξαι δέ φασι καὶ εὑρεῖν τὴν ἐργασίαν Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων. ὃς οἰόμενος ἔχειν τὴν ἄμμον χρυσίον διὰ τὸ λαμπυρίζειν, ἐπραγματεύετο καὶ συνέλεγεν. ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ὅτι οὐκ ἔχει, τὸ δὲ τῆς ἄμμου κάλλος ἐθαύμαζε διὰ τὴν χρόαν, οὕτως ἐπὶ τὴν ἐργασίαν ἦλθε ταύτην. οὐ παλαιὸν δ᾽ ἐστίν. ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστ᾽ ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι.

Eſt & minium aliud nativum, aliud factitium. Nativum quidem in Iberia durum valde & lapidoſum; uti & in Colchis; hoc autem dicunt eſſe in rupibus ſeu præcipitiis, quod ſagittarii deiiciunt. Factitium autem, ſupra Epheſum

paucum

paucum ex uno loco. Eſt tantum arena, quam colligunt ſplendentem inſtar Cocci. hanc terentes omnino in vaſis lapideis læviſſimam lavant in æneis, raro in ligneis vaſis. quod autem ſubſidet, rurſus accipientes lavant & terunt. In quo ars verſatur Quidam enim ex pari materia multum conficiunt, quidam autem pauxillum aut nullum. Sed lotura ſuperiori utuntur ſingulatim illinentes. Fit autem ſubſidens Cinnabari. quod autem ſupernatat, & plus eſt, lotura. Oſtendiſſe & inveniſſe facturam aiunt Calliam quendam Athenienſem ex argentifodinis; qui opinatus arenam habere aurum, quia ſplendebat, comparavit & collegit. poſtquam autem ſenſit non habere, & harenæ pulchritudinem admiraretur propter colorem, ad artificium hoc tranſiit. Non eſt autem antiquum inventum; ſed circiter annos nonaginta, Praxibulo iam Athenis magiſtratum gerente.

Plinius lib. 33. c. 7: Theophraſtus xc annis ante Praxibulum Athenienſium Magiſtratum (quod tempus exit in urbis noſtræ CCXLIX annum) tradit inventum minium à Callia Athenienſe, initio ſperante aurum poſſe excoqui harena rubente in metallis argenti: hanc fuiſſe originem eius. Reperiri autē iam tum in Hiſpaniis, ſed durum & harenoſum: item apud Colchos in rupe quadam inacceſſa, ex qua iaculantes decuterent: id eſſe adulterum: optimum vero ſupra Epheſum Cilbianis argis. Harenam Cocci colorem habere: hanc teri, dein lavari; farinam, & quod ſubſidat, iterum lavari. Differentiam artis eſſe, quod alii minium faciunt prima lotura: apud alios id eſſe dilutius, ſequentis autem loturæ optimum.

Obſervandum autem, mendum eſſe in numero Pliniano Urbis Cond., & legendum CCCXLIX: ut probat Salmaſius in Solin. pag. 349. *Praxibulus*, inquit, *Archon extitit anno ſecundo Olympiadis ſextæ decimæ & centeſimæ; ſi nonaginta annos inde ſubducamus incidemus in annum quartum Olympiadis nonageſimæ tertiæ, qui*

fuit Vrbis annus trecenteſimus quadrageſimus nonus; ita enim ſcribendum apud Plinium, CCCXLIX, *non* CCXLIX.

In ἹΣΤΟΡΙΩ͂Ν ΣΥΝΑΓΩΓῆ, ὈΛΥΜΠΙΆΔΩΝ ἈΝΑΓΡΑΦῆ, edita à Ioſ. Scaligero, ad ΟΛ. ΡΙϛʹ. Βʹ. ΠΡΑΞΙΒΟΥΛΟΣ. Θεόφραστος τὸ περὶ Λίθων βιβλίον ἔγραφε. Furlanus, cum non animadverteret mendum in loco Pliniano, perperam credidit, à Calliæ inventoris tempore ad Theophraſtum fuiſſe ann. CXCI. debuiſſet ſcire, Theophraſtum hìc deſignare tempus quo ſcribebat; nam quid opus erat Praxibulum nominare, ſi ille C annos ante Theophraſtum vixiſſet? Porro de minio videndus & Vitruvius lib. VII, cap. 8 & 9. & è recentioribus Agricola. & alii.

Φανερὸν δ' ἐκ τούτων, ὅτι μιμεῖται τὴν φύσιν ἡ τέχνη, τὰ δὲ ἴδια ποιεῖ. καὶ τούτων τὰ μὲν χρήσεως χάριν, τὰ δὲ μόνον φαντασίας, ὥσπερ τὰς ἀλιπεῖς. ἔνια δ' ἴσως ἀμφοῖν. ὥσπερ χυτὸν ἄργυρον. ἔστι γάρ τις χρεία καὶ τούτου. ποιεῖται δ' ὅταν τὸ (κιννάβαρι) τριφθῇ μετ' ὄξους ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ καὶ δοίδυκι χαλκῷ. Τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα τάχ' ἂν τις λάβοι πλείω.

Manifeſtum autem ex his, quod naturam ars imitatur, & aliqua peculiaria facit. Et horum quidem aliqua uſus gratia, alia tantum propter oſtentationem; ut ..... nonnulla par.ter utriuſque gratia: uti fuſile argentum; eſt enim & huius aliquis uſus. Fit autem cum minium teriter cum aceto in vaſe æneo, piſtillo æneo. Atque horum fortaſſis plura quis ſumat.

In Aldina Edit. pro ἀλιπεῖς erat ἄλπεις. Sed è neutra lectione commodus ſenſus exprimi poteſt: omnium autem minime ex ἀλιπεῖς, id eſt, ut Furlanus vertit, *macilentas.* Salmaſius cenſet legendum, τάτ' ἀλοιφεῖα: id eſt, *tectoria opera:* Veteres enim parietes non modo calce tegebant, ſed etiam variis coloribus inungebant; quod maxime ad φαντασίαν pertinet, & manet intra limites factitiorum colorum. Proverbiũ notum, Δύο τοίχους ἀλείφεις: pro quo Latini, *duos parietes*

rietes de una fidelia dealbas. Atque hoc non modo ad ſimplicem dealbationem, ſed etiam variorum colorum inductionem pertinet.

Τῶν δὲ μεταλλευτῶν τὰ ἐν τοῖς γεωφανέσιν ἔτι λοιπά· περὶ ὧν ἡ γένεσις, ὥσπερ ἐλέχθη, κατ' ἀρχὰς ἐκ συῤῥοῆς τινος καὶ ἐκκρίσεως γίνεται, καθαρωτέρας καὶ ὁμαλωτέρας τῶν ἄλλων. χρώματα δὲ παντοῖα λαμβάνουσιν, καὶ διὰ τὴν τῶν ὑποκειμένων τε, καὶ διὰ τὴν τῶν ποιούντων διαφοράν· ἐξ ὧν τὰς μελαντῶντες, τὰς δὲ τήκοντες καὶ τρίβοντες, συντιθέασι τὰς λίθους τὰς ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς ταύτας ἀγομένας.

Furlan. *Mox ex foſſilibus adhuc reſtant inſignes terræ, quarum generatio, ut initio diximus, ex affluxu aliquo & percolatione fit, puriori & æquabiliori quã alia. Accipiũt vero colores varios, tũ propter efficientiũ, tũ etiã propter ſubiectorũ differentiã. Harum itaq; alias molliunt, alias liquant & terunt, & inde cõponunt maſſas quas ad nos ex Aſia deferunt.*

In Edit. Aldina poſt ὑποκειμένων lacuna eſt. quam Furlan. explet per καὶ. dein poſt διὰ τὴν τῶν maior lacuna erat. quã explet per ποι; ſequebatur enim ούντων. pro μελαντῶντες ſubſtituit μαλάττοντες. Intereà mihi nondũ videtur hic locus perſanatus. Γεωφάνιον, inquit Heſych. μέταλλον τῆς κεραμίτιδος ἢ ἄλλης ἐργασίας. Quare hęc authoris ita vertenda fuerint: *Metallicorũ autẽ adhuc reſtant quæ in fodinis figulinæ terræ,* &c. Agit autem hic deinceps de terris quibuſdã quæ conſtant ex puriori & æquabiliori materia: & quæ varios uſus habent.

Αἱ δὲ αὐτοφυεῖς, καὶ ἅμα τῷ περιττῷ τὸ χρήσιμον ἔχουσαι, σχεδὸν τρεῖς εἰσιν, ἢ τέτταρες· ἥτε Μηλιάς, καὶ ἡ Κιμωλία, καὶ ἡ Σαμία καὶ ἡ Τυμφαϊκή. καὶ τετάρτη παρὰ ταύτας ἡ γύψος.

Nativæ autem, & ſimul cum præſtantia utilitatẽ habentes, fere tres ſunt, aut quatuor; Melina, & Cimolia, & Samia ſive Tymphaica, & quarta præter has gypſum.

In Editis erat Μηλία, pro quo Cl. Salmaſius legendũ cenſet Μηλιὰς, in Solin. pag. 256. Item, καὶ ἡ Τυμφαϊκὴ τετάρτη παρὰ ταύτας ἡ γύψος. Nam ſi diſiunctim

legas,

legas, omnino quinq; efficientur. Nam Plinius l. 36, c. 24. de gypſo: *è ſumma tellure & Tymphacium eſt.*

Χρῶνται δ' οἱ γραφεῖς τῇ Μηλιάδι μόνον, τῇ Σαμίᾳ δ' οὔ, καίπερ οὔσῃ καλῇ, διὰ τὸ λίπος ἔχειν καὶ πυκνότητα καὶ λειότητα. τὸ γὰρ ἀραιὸν, ἤρεμον, καὶ τραχῶδες καὶ ἀλιπὲς, ἐπὶ τῆς γραφῆς ἁρμόττει μᾶλλον. ὅπερ ἡ Μηλιὰς ἔχει ἐν τῷ Φαρίδι. εἰσὶ δὲ ἐν τῇ Μήλῳ καὶ ἐν τῇ Σάμῳ διαφοραὶ τῆς γῆς πλείους.

Vtuntur autem pictores Melina ſolum, Samia vero non, licet pulchra ſit, quia pinguedinem habet & denſitatem & lævorem. quod enim rarum, mite, aſperũ, & pinguedinis expers, picturæ magis covenit: quod Melina habet in Pharide. Sunt autem & in Melo & in Samo differentiæ terræ plures.

Non bene videtur hunc locũ cepiſſe Plin. l. xxxv. c 6. *Melinum candidum & ipſum eſt, optimum in Melo inſula. In Samo quoque naſcitur; ſed eo non utuntur pictores propter nimiam pinguitudinem.* Nam etiamſi in Samo etiam naſcatur terra candida, non tamen poteſt Melina appellari. Vitruv. l. VII. c. 7: *Parætonium vero ex ipſis locis, unde foditur, habet nomen. Eadem ratione Melinum, quod eius vis metalli inſulæ Cycladi Melo dicitur eſſe.*

Ὀρύττοντα μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ὀρθὸν στῆναι ἐν τοῖς ἐν Σάμῳ, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἢ ὕπτιον, ἢ πλάγιον. ἡ δὲ φλὲψ ἐπὶ πολὺ διατείνει τὸ μὲν ὕψος ἡλίκη δίπους, τὸ δὲ βάθος πολλῷ μείζων ἐφ' ἑκάτερα δ' αὐτὴν λίθοι περιέχουσιν, ἐξ ὧν ἐξαιρεῖται. διαφυὴν ἔχει διὰ μέσου καὶ ἡ διαφυὴ βελτίων ἐστὶ τῆς ἔξω. καὶ πάλιν ἑτέραν καὶ ἑτέραν ἄχρι τεττάρων ἐστὶν ἔχουσα. ἡ ἐσχάτη καλεῖται Ἀστήρ.

Foſſor equidem non poteſt rectus ſtare in fodinis Samiis, ſed neceſſe aut ſupinum iacere, aut in latus. Vena enim in longum extenditur, altitudine quidem duorum pedum, latitudine paulo maiori. Vtrimque lapides concludunt vel interveniunt, è quibus eximitur. Interſtitium autem habet in medio. Interſtitium exterius optimum eſt. Rurſuſq; aliud atque aliud uſque ad quatuor. Extremũ autẽ vocatur Aſter.

Plin. lib. 35, c. 6: *Accubantes effodiunt ibi inter ſaxa*

venas

venas ſcrutantes. Cap. autem 16: *Samiæ duæ ſunt, quæ Syropicon, & quæ Aſter appellatur.* Cl. Salmaſius legit *Collyrium.* Vide autem quæ annotat ad Solinum pag. 256, & 257.

Χρῶνται δὲ τῇ γῇ πρὸς τὰ ἱμάτια [μάλιστα ἢ μόνον· Χρῶνται δὲ τῇ Τυμφαϊκῇ πρὸς τὰ ἱμάτια] καὶ καλοῦσι γύψον οἱ περὶ Τυμφαίαν καὶ τοὺς τόπους ἐκείνους.

Furl. *Vſus eius præcipuus in veſtibus. Vtuntur & in veſtibus Tymphaica. Vocant hanc gypſum qui Tymphæam & ea loca habitant.*

Corruptiſſimus eſt hic locus. Salmaſius illa, quæ incluſa ſunt, reiicienda iudicat, quia in optimo libro non habentur. Pro γύψον autem in libris legitur ψῦχον. Nihil autem Plinius de Samiæ uſu in veſtibus. Quare ſuſpicor, hîc aliud mendũ hærere; nihil enim addit Author de Cimolia, quæ forte in illis hæret quæ incluſa ſunt. Nam Plinius lib. 36, c. 17; *Eſt & alius*, inquit, *Cimoliæ uſus in veſtibus*. Et paulo poſt: *Græcia pro Cimolia Tymphaico utitur gypſo.* Quare fortè locus ita legendus: χρῶνται δὲ τῇ γῇ πρὸς τὰ ἱμάτια μάλιστα Κιμωλίᾳ. Χρῶνται δὴ καὶ τῇ Τυμφαϊκῇ πρὸς τὰ ἱμάτια &c. Id eſt: *utuntur autem terra ad veſtes, potiſſimum Cimolia. Vtuntur quoq; & Tymphaica ad veſtes,* &c. Coniectura eſt, quam Doctioribus probandam aut improbandam relinquo. Sequitur iam de gypſo.

Ἡ δὲ γύψος γίνεται πλείστη μὲν ἐν Κύπρῳ, καὶ περιφανεστάτη· μικρὸν γὰρ ἀφαιροῦσι τῆς γῆς ὀρύττοντες. ἐν Φοινίκῃ δὲ καὶ ἐν Συρίᾳ καίοντες τοὺς λίθους ποιοῦσιν. ἔπειτα δ' ἐν Θουρίοις. καὶ γὰρ ἐκεῖ γίνεται πολλή. τρίτη δ' ἡ περὶ Τυμφαίαν καὶ περὶ Περραιβίαν, καὶ καθ' ἄλλους τόπους. ἡ δὲ φύσις αὐτῶν ἰδία. λιθοδεστέρα γὰρ μᾶλλόν ἐστιν ἢ γεώδης.

Gypſum autem gignitur plurimum quidem in Cypro, & apertiſſimum; parum enim terræ auferunt foſſores. In Phœnicia autem & Syria faciunt urendo lapides. dein in Thuriis; nam & ibi plurimum fit. Tertium vero circa Tymphæam,

& in Perrhæbis, & aliis locis. Natura autem horum ſingularis: eſt enim magis lapidoſa quam terrena.

Plin. lib.xxxvi, cap. 24: *Cognata calci res gypſum eſt. Plura eius genera. nam & è lapide coquitur, ut in Syria ac Thuriis; & è terra foditur, ut in Cypro & Perrhæbis, e ſumma tellure: & Tymphaicum eſt.*

Ὁ δὲ λίθος ἐμφερὴς τῷ Ἀλαβαστρίτῃ· μέγας δ' οὐ τέμνεται ἀλλὰ χαλικώδης. ἡ δὲ γλισχρότης καὶ θερμότης, ὅταν βρεχθῇ, θαυμαστή. χρῶνται γὰρ πρός τε τὰ οἰκοδομήματα τοῦτον τὸν λίθον περιχέοντες κἄν τι ἄλλο βούλωνται τοιοῦτο κολλῆσαι. κόψαντες δὲ, καὶ ὕδωρ ἐπιχέοντες, ταράττουσι ξύλοις. τῇ χειρὶ γὰρ οὐ δύνανται, διὰ τὴν θερμότητα. βρέχουσι δὲ παραχρῆμα πρὸς τὴν χρείαν, ἐὰν μικρὸν πρότερον ταχὺ πήγνυται· καὶ οὐκ ἔστι διελεῖν ἅμα. ἔστι δὲ καὶ ἰσχύς· ὅτε γὰρ οἱ τοῖχοι ῥήγνυνται καὶ διαφθείρονται, ἡ δ' ἄμμος ἀνίησι. πολλάκις δὲ καὶ τὰ μὲν πέπτωκε καὶ ὑφήρηται. τὰ δ' ἄνω κρεμάμενα καὶ συνεχόμενα τῇ κολλήσει. δύναται δὲ καὶ ὑφαιρουμένη, πάλιν καὶ πάλιν ὀπτᾶσθαι, καὶ γίνεσθαι χρησίμη. περὶ μὲν οὖν Κύπρον καὶ Φοινίκην εἰς ταῦτα μάλιστα. περὶ δὲ Ἰταλίαν καὶ εἰς τὸν οἶνον. καὶ οἱ γραφεῖς ἔνια τῶν κατὰ τὴν τέχνην. ἔτι δ' οἱ κναφεῖς ἐμπάττοντες εἰς τὰ ἱμάτια. διαφέρειν δὲ δοκεῖ καὶ πρὸς τὰ ἀπομάγματα πολὺ τῶν ἄλλων εἰς ὃ καὶ χρῶνται μᾶλλον, καὶ μάλισθ' οἱ περὶ τὴν Ἑλλάδα, γλισχρότητι καὶ λειότητι.

Lapis autem (è quo nimirum gypſum conficitur) *ſimilis Alabaſtritæ: magnus vero non cæditur, ſed minutus. Viſciditas & caliditas, ubi madefactus fuerit, mira. Vtuntur enim & ad ædificia, hunc lapidem circumdantes; aut ſiquid aliud velint ferruminare: tundentes autem & aquam affundentes agitant lignis; manu enim nequeunt, propter calorem. Madefaciunt autem ſtatim ad uſum, ſiquidem paulo ante celeriter coit: nec licet ſimul diſpeſcere. Eſt autem & validus. quando enim parietes rimas agunt & vitiantur, & arena diffluit. Sæpe autem & pars aliqua cadit & ſeparatur, altera vero ſuperius ſuſpenſa, & contenta ferruminatione, manet. Poteſt autem gypſum ſubductum & ablatum iterum*

iterum atque iterum torreri & utile reddi. In Cypro quidem & Phœnicia ad hæc potiſſimum utuntur: in Italia vero & ad domeſtica. Pictores quoque aliquo utuntur ad artem: quemadmodum & fullones, inſpergentes veſtibus. Hic autem præ aliis & ad effigies exprimendas multùm excellere videtur. Ad quod & utuntur potiſſimum, & præſertim in Græcia, propter lentitudinem & lævorem.

Pro εἰς τὸ οἰκεῖον legendum cenſet Salmaſius εἰς τὴν κονίασιν, id eſt, ad dealbationem parietum. Κονίασις enim Græcis eſt, albarii ſeu tectorii operis inductio, loricatioque: ſicut iis κονιαταὶ vocantur, qui tectoriis parietes inducunt. Furlanus cum in textu edat, περὶ δὲ Ἰταλίαν καὶ εἰς τὸ οἰκεῖον; in Notis tamen habet, εἰς τὸν οἶνον. quod & in verſione ſecutus eſt, nullam correctionis reddens rationẽ. quod mirum; præſertim cũ fateatur, ne Plinii quidem ævo in Italia gypſo vina fuiſſe condita.

Plin. lib. 36, c. 24, pergens de gypſo: *Qui coquitur lapis, non diſſimilis Alabaſtritæ eſſe debet, aut marmoroſo. In Syria duriſſimos ad id eligunt, coquuntque fimo bubulo, ut celerius urantur. Omnium autem optimum fieri compertum eſt è lapide ſpeculari, ſquamamve talem habente. Gypſo madido ſtatim utendum eſt, quoniam celerrime coit ac ſiccatur: tamen rurſus tundi & in farinam reſolvi patitur. Vſus gypſi in albariis, ſigillis ædificiorum, & coronis, gratiſſimus.*

Ἡ μὲν δύναμις ἐν τούτοις καὶ τοῖς τοιούτοις. ἡ δὲ φύσις ἔοικεν ἀμφότερά πως ἔχειν, καὶ κατὰ τὰ τῆς κονίας, καὶ κατὰ τὰ τῆς γῆς, θερμότητα καὶ γλισχρότητα. μᾶλλον δὲ ἑκατέρας ὑπερεχούσας. θερμοτέρα γὰρ τῆς κονίας, γλισχροτέρα δὲ πολὺ τῆς γῆς. ὅτι δ' ἔμπυρος, κἀκεῖθεν φανερόν. ἤδη γάρ τις ναῦς ἱματηγὸς, βρεχθέντων ἱματίων, ὡς ἐπυρώθησαν, συγκατεκαύθη καὶ αὐτή. καίουσι δὲ καὶ ἐν Φοινίκῃ καὶ ἐν Συρίᾳ, καμινεύοντες αὐτὴν καὶ καίοντες. καίουσι δὲ μάλιστα τοὺς μαρμάρους καὶ ἁπλουστέρους· στερεωτάτους μὲν παραλιθέντες, διὰ τὸ θᾶττον καίεσθαι καὶ μᾶλλον. δοκεῖ γὰρ θερμότατον εἶναι πυρωθὲν,

θὲν, καὶ πλεῖστον χρόνον διαμένει. ὀπτήσαντες δὲ κόπτουσιν ὥσπερ τὴν κονίαν. ἐκ τούτου δ᾽ ἂν δόξειεν εἶναι φανερὸν, ὅτι πυρώδης τις ἡ γένεσις αὐτῆ τὸ ὅλον ἐστίν.

Gypſi vis ergò in his & talibus. Natura autem videtur quodammodo habere utrumque ſimul, & calcis & terræ calorem & tenacitatem. magis vero utraſque excellentes. Calidius enim eſt calce, multo autem tenacius terra: unde & quod igneum ſit, hinc ſit manifeſtum: iam enim quædam navis, quæ veſtes portabat, madefactis veſtibus, cum illæ ignem concepiſſent, & ipſa igne conſumta eſt. Vrunt autem & in Phœnicia & Syria, fornacibus indentes, & torrentes, lapides potiſſimum marmoroſos & ſimpliciores; duriſſimos quidem illis imponentes, quia citius & magis uruntur. Apparet enim, uſtum & eſſe calidiſſimum & plurimum tempus durare. Vbi autem toſtum fuerit, tundunt inſtar calcis. Ex quo videatur manifeſtum, igneam quandam generationem eius in totum eſſe.

Mirum videri poterat quod hîc dicit de navi quæ veſtibus erat onuſta, quod veſtibus madefactis & ipſę arſerint, & navem una conſumſerint: ſed obſervandum eſt, veteres conſueviſſe veſtibus cretã, gypſum & calcem aſpergere. cum itaque harum rerum natura ſit, aquâ aſpersâ fervere, atque adeo incendi, non caret ratione quod hîc dicit Author.

LIBER

LIBER PRIMUS

De
GEMMIS PELLUCIDIS
ET SEMIPELLUCIDIS.

CAPUT I.

De Adamante.

PRIMUM locum etiam hodie inter gemmas ſibi vendicat *Adamas*, omnium duriſſima, totaque pellucida & inſtar aquæ puriſſimæ nitens. Virtus illius eſt nullum colorem notabilem habere; vitium, aliqua albedine, flavedine aut nigredine, aliove colore vel leviter tinctam eſſe. Summa illi dignitas & pretium, cui tamen multum decedit, ſi arenulis albis aut nigris, ſit interſparſa aut nubeculâ aliquâ ſuffuſa. Pretium pro magnitudine & pondere, atque perfectione in immenſum augetur: mediocris magnitudinis ob copiam ſuperioribus annis multum viluerunt, minorum pretium fere conſtans, quia magna copia hodie in monilibus uſurpantur. Eſt & aliud vitium huic gemmæ, centra quædam habere longe duriſſima, quæ nulla pene arte perpoliri poſſunt, aut ſaltem artificis induſtriam & operam diutiſſime exercent. Vocant eiuſmodi *Venoſos*, quia ductus illi pertinaces inſtar venarum corpus ambiunt aut penetrant: quod vitium à peritis artificibus facile deprehenditur, ideoque tales oderunt.

Hæ gemmæ in ſola India naſcuntur. In *Decan* ultra *Balagattam* prope oppidum *Biſnagar*, aliquot

montes ſunt illis fœti, quorum fodinæ ſe dulo à Regibus Biſnagar cuſtodiuntur: locant enim illas quotannis magno pretio, atque ea inſuper conditione, ut gemmæ quæ xxv mangelinos ſuperant (quorum mangelinorum ſinguli pendunt quinque grana noſtratia) Regi cedant, pœna capitis in illos ſancita, qui tales occultaverint aut ſubduxerint. Eſt & mons in eodem Regno; qui à Luſitanis appellatur *Rocca velha*, id eſt, Petra vetus, in quo optimæ, perfectiſſimæ atque adeo duriſſimæ gemmæ reperiuntur. Porro harum omnium gemmarum forum celebratur in oppido *Liſpor*, provinciæ *Decan*, inter Goam & Cambaiam, maximo mercatorum concurſu, præſertim Banianum & Guzeratarum, qui illas Goam deferunt, callidiſſimi mortales & rei gemmariæ imprimis gnari, ita ut Europæis, etiam peritis, non raro imponant. Iuxta fretum *Taniapuræ* haud longe ab Emporio celeberrimo *Malacca*, alia earumdem gemmarum fodina eſt, unde vulgo Malacenſes appellantur. Superioribus quoque annis (uti ab Anglis accepi) in regno *Golcondæ*, cuius littus ad ſinum Gangeticum iacet, caſu fuere inventæ opulentiſſimæ Adamantum fodinæ, ad radices vaſti cuiuſdam montis, haud procul à flumine *Criſtena*, in agro valde ſterili atque aſpero, circiter cviii mill. Anglica à principali huius regni Emporio Muſalapatan. Rex has ſolebat elocare tercentum millib. pagodum, ea item conditione, ut adamantes omnes pondus x Caratiorum excedentes in ærarium Regis inferrentur. Anno autẽ ciↃ iↃc xxxii foſſoribus fuit interdictum ne ultra ſcrutarentur; cuius interdicti cauſam reddunt, alii ne hæ gemmæ nimia copia vileſcerent; alii, Imperatoris Mogolis poſtulatum, qui per legatum tres libras præſtantiorum adamantum ſibi tributi nomine à Rege Golcondæ pendi imperaverat:

tat : Sed magis veriſimile videtur nimia foſſorum avaritia fodinas iam pene exhauſtas eſſe. Narrat enim *VVilhelmus Metholdius* Anglus ſe fodinas haſce adiiſſe & inſpexiſſe: improbo labori, prout à gnaris accipiebat, tum inſudabant ſupra triginta millia operarum, quorum alii glebam egerebant, alii aquam exhauriebant longa & permoleſta methodo, certis vaſis, de manu in manum, illam attollentes; nam machinarum hi barbari omnino imperiti ſunt. Agebant autem puteos rectos in terræ viſcera, ad decem aut duodecim orgiarum altitudinem; & egeſtam glebam (quæ fere rubet, luteæ & candidæ cretæ vel potius calcis venæ permixta) areæ ad hunc uſum complanatæ inducunt quatuor aut quinque pollicum craſſitudine, eamque à ſolis æſtu arefactam & induratam ſaxis comminuunt, rejiciuntque ſilices illi permixtos, & cribrant reliquum pulverem: hac opera interdum plures, interdum pauciores gemmas deprehendunt, non raro & nullas. Inveniuntur in fodinis quædam, ſed rariſſime, pondere centum, centum & triginta, atque adeo ducentorum Caratiorum : plures octo, decem & quindecim: minoris & minimi ponderis longe plurimæ; ita ut innumeræ reperiantur, quarum octo, decem, ſedecim, etiam viginti, tantum unum Caratium pendant. Refert denique Linſchotanus noſter, puteos, poſtquam ad humanam altitudinem egeſti fuerint atque exhauſti, relinqui, & poſt triennium aut quadriennium denuo refodi, novis adamantibus rurſus fœtos. Quod tamen illum barbaris temere crediſſe opinor.

Forma naturalis ſive figura huic gemmæ diverſa eſt; alia enim ſexangularis eſt, & æquali octo triangularium laterum lævore undique turbinata; interdum tam perfecte, ut arte factæ videantur. Sed ſæ-

pius paulum in hunc vel illum angulum inclinant & nonnihil compreſſæ ſunt & à ſymmetria illa exacta deviant: priores illæ, quæ iam raró comparent, à Portugallis appellãtur *Naiffos*: (quare inſigniter hallucinatur Cæſalpinus lib. 2. cap. 20. dum ſcribit: *At ſponte utrimque turbinatos oriri non puto, ſed artificio confingi*:) & ab artificibus gemmariis optimæ, perfectiſſimæ atque adeo duriſſimæ iudicantur. His proximæ ſunt, quæ tabellæ in modum ſternuntur, varia figura & craſſitudine; quo autem quadratiores & craſſiores ſunt, eo meliores & magis expetitæ; vocant *Laſques*. Tertia denique ſpecies rotundior eſt & multis veluti teſſulis variegata, vocant *Reboludos* & Malaccenſes à loco natali. Atque hæ quidem communes huius gemmæ nativæ figuræ, nam vix ullas figuras reſpuit, præſertim ſi maioris ſit ponderis aut etiam minimi.

Ad eundem modum & formæ variant, quas artifices illis conciliant: aliis enim figura illa ſexangularis relinquitur; addito tantum lævore & exacta laterum & angulorum ſymmetria; quæ quo exactior fuerit, eo maioris fiunt: aliis mucro ſuperior deteritur, & ſternitur menſæ in modum; uti & inferior mucro, ſed parcius, lateribus utrobique ad certam normam & menſuram ſubductis: vulgo vocant menſas, ſicut ſuperiores puncta: atque ea forma hodie maximi fit, præſertim ſi menſa bene quadrata ſit & quatuor ſuos angulos habeat acutos, & latera editiora & bene coagmentata: nam ſi quis angulus obtuſior ſit aut præruptus, ſi tabula ſit oblongior, ſi denique latera hac aut illac inclinent, ſtatim multum illius dignitati decedit. Atque has fere figuras (licet & alias patiantur) accipiunt primæ & tertiæ ſpeciei adamantes; tertiæ autem quia omnes anguli & latera efformanda ſunt plurimum de ſuo pondere amit-

amittunt: Secundæ vero ſpeciei, cum iuſtam craſſitudinem non habeant, in imperfectas menſas & tenues conformantur, aut roſæ, cordis, trianguli, parmulæve in modum contrahuntur, multiſque triangulis, rhombiſve, ſuperficie tenus variegantur; qui inſignem illis gratiam conciliant, & longe maius quam habent pondus mentiuntur. Olim quum rariores adhuc in Europam inferrentur hæ gemmæ, eas formabant & poliebant ea pene figura, qua inveniebant, ut quam pauxillum ponderis ſui amitterent, uti videre eſt in antiquioribus monilibus, inter quæ videre eſt naves cum malis & antennis & alia opera miro artificio facta : hodie in tanta copia id minime curant, ſed ſectantur perfectionem.

Formantur, poliunturque atque adeo perforantur hæ gemmæ, tum mutuo attritu, tum pulvere adamantino cum oleo mixto (ita ut neque alii lapides, neque gemmæ, quod temere aliqui credunt, quicquam in illas poſſint.) Pulvis ille colligitur ex adamantibus attritis, aut etiam ex impuris adamantibus, qui nulli alii uſui ſunt. Noſtrates gemmarii vocant *Boordt* ; quod genus arenulis & ſcobe ſua repletum eſt. Procedunt autem artifices hoc ordine : duas gemmas, ſingulas bacillis tenaciſſima & duriſſima paſta aptant ; ea componitur è latere rubro in tenuiſſimum pulverem trito, reſinaque , ita tenax & dura poſtquam refriguit, ut non aliud cæmentum ipſi poſſit comparari: deinde ita aptatas ſuper æneam pyxidem, quæ pulverem excipit, inter ſe committunt & fricant donec angulos & latera rudi normâ conformaverint. Tertiò ita mutuo attritu formatas (vel etiam à principio integras, quum metus eſt ne attritu vitium aliquod & imprimis vomicam contrahant, quod interdum fit cum magno damno, præſertim ſi maiuſculæ ſint gemmæ:) firmant in conca-

vo inſtrumento rotundo æneo, idque maſſa quadam è plumbo & ſtanno mixta, liquefactaque; quæ ubi paululum refrigerata fuerit, latus adamantis quod poliendum eſt, detegunt cultello, atque ita detectum una cum inſtrumento imponunt orbi è ferro perfectiſſimo facto, quem illinunt oleo, cui pulvis ille adamantinus mixtus eſt, addito pondere ut firmius incumbat, orbemque circumagunt. Ex quo ſatis apparet, quam temere quidam crediderint adamantes à plumbo lædi aut ſolvi. Longæ interdum operæ res eſt, quum gemmæ venoſæ ſunt, ut ante dixi.

Solent quoque artifices gemmarii, ut in gemmis maioribus atque etiam mediocribus prius experimentum capiant, quantum ponderis formatione & politura illis ſit deceſſurum, & quæ forma illi convenientiſſima ſit futura, è plumbo fundere maſſam forma & mole rudi adamanti parem, eamque induſtrie variis modis formare, dein ex certa inter plumbum & gemmam ponderis proportione rationem inire, & ſequi quod convenientius & utilius deprehenderint. Denique gemmariorum horum artificum induſtria ſuperioribus annis plurimum profecit, ita ut non tantum eiuſmodi operoſis machinis, quales à Cl. V. *Anſelmo Boëtio* delineantur, minime opus habeant, ſed etiam modum invenerint adamantes diſſecandi in duas aut plures partes; atque adeo, felici ut plurimum audacia, findendi, quoties uſus ita poſtulat aut lucri ſpes ſuadet: etenim hac arte ex una gemma binas & tres interdum, utili compendio producunt; & vitium, quod intus latet & gemmam integram corrupturum erat, eximunt. Diſſecant autem illas filo ferreo tenuiſſimo, cui oleũ cum pulvere adamantino allinunt, idque ſerræ in modum reciprocant, inſtrumento elegantiſſime ad-

hanc

hanc operam comparato. Findendi paulo compendioſior eſt ratio, ſed periculoſior: quanquam hodie quidam illius artis ita periti ſunt, ut rariſſime errent.

Adamantes autem ab aliis gemmis ita dignoſci tradunt. Proprium eſt veræ & legitimæ, iam formatæ & perpolitæ, tincturam ad ſe rapere, ſibique ita applicare & unire, ut nitentes micanteſque ſuos radios procul iaciat; quod aliæ gemmæ haud ita faciunt. Tinctura autem hæc fit è maſtiche mundata, cui paululum eboris aduſti & in pollinem triti miſcetur ut nigreſcat. Hæc calefieri nonnihil debet, uti & gemma, ut ſtatim uniantur: hanc unionem reſpuunt cæteræ gemmæ diaphanæ, unde facile à peritis dignoſcuntur. Verum falſarii ut hoc diſcrimen tegant & ſimplicioribus imponant, varia commiſcuntur: alii ferro candēti è grano frumenti exprimunt oleum, tinguntque fuligine aut atro eboris aduſti polline, ſubſternuntque ita pſeudo-adamanti ut ſpacium aliquod inter tincturam & gemmam vacet: alii particulam nigri holoſerici ſubdunt; alii denique aliud. Præter autem pſeudo-adamantes, uſurpant ad hæc adulteria topazios, amethyſtos aut ſimiles gemmas; aut etiam cryſtallum, furto plane improbo. Quia autem *Boëtius* noſter accurate de pſeudo-adamantibus egit, nihil de illis addam; niſi hoc unum, inter Anglicas maxime probari Cornubienſes, & vidi quaſdam gemmas in menſas compoſitas, quæ difficulter admodum à veris diſcerni poterant: quæ iuxta Briſtolium ſuper rupem S. Vincentii, ut vocant, reperiuntur, nullatenus cum illis comparandæ ſunt; reperiuntur autem in tellure rubicante, quod & de Orientalibus obſervatum. De Cornubienſibus ita Camdenus: *Nec ſtannum hic ſolum reperitur, ſed una etiam aurum & argen-*

argentum, adamanteſque ab ipſa natura in angulos efformati & lævigati, quorum nonnulli vel iuglandem magnitudine adæquant, & Orientalibus nigrore & duritie tantum cedunt. De Briſtolienſibus ita: *Rupes S. Vincentii Adamantum ita fœcunda eſt, ut quis modios inde impleat. Exiſtimationem vero copia apud noſtrates invidit, nam præterquam quod colore ita tranſlucido Indicos provocant, ita duritie ſolummodo cedunt. Quod vero laterum ſex angulo vel quadrangulo lævore à natura ipſa turbinati ſunt, magis admirandos puto. Altera vero rupes ad occiduam ripam etiam adamantum eſt ferax, quos cavi & rufeſcentes ſilices (rubet enim hîc terra) ceu fœtu gravidi, in ſe mira naturæ ſolertia continent.* Adamas ab igne nullam iniuriam patitur, ſed potius melior evadit: quare falluntur qui tradunt, quod calor corrumpat ſplendorem, colorem & vires adamantis: & ridiculum eſt quod propterea putant annulos quibus incluſæ hæ gemmæ, cum dormitum itur detrahi &c. Si quid huius faciendum, id non ipſius gemmæ gratia ſed tincturæ quæ ipſi ſuppoſita eſt fit, nam ſi illa corrumpatur ſitu ob nimiam humiditatem, aut conſumatur ob nimium calorem, efficit ut vitium aliquod in ipſa gemma eſſe videatur.

Malleum ferre crediderunt Antiqui, quod tamen hodie ſecus deprehenditur: neque eſt quod propterea quiſquam opinetur, nos hodie deſtitui genuina gemma adamantis, ſiquidem plura talia atque etiam abſurdiora Antiquos nimis temere crediſſe conſtat in aliis. Magneti quoque illam vires adimere nulla experientia probatur; licet hoc crediderit Iul. Scaliger Exercit. cx. uti & ab Adamante ferrum trahi. Non minus quoque frivolum eſt quod quidam tradiderunt; Adamantē capiti mulieris, ipſa ignara, ſuppoſitum, ſi illa fidelis ſit marito, efficere ut dormiens in amplexus illius ruat, ſin adultera ſit, eos

averſe-

averſetur. Neque habet viroſam qualitatem, ut rectè obſervat Zacutus Med. libro II obſervat. XVI. Quid multa? nullæ Adamantis occultæ facultates ex vero hactenus obſervatæ. Cæterum Veterum & Recentiorum hallucinationes non eſt mihi propoſitum refellere; vera & ſcitu neceſſaria hactenus retuli.

Pretii augmenta pro ponderis ratione, quæ Clariſſ. Vir *Anſelmus Boëtius* diligenter in tabulas retulit, hodie non obſervantur; quæ à vendentiũ & ementium arbitrio pendent: potiſſimum autem à perfectione & exacta formæ conformatione. *Illud ſæpius expertus ſum* (inquit Garzias ab Horto lib. I. cap. 43.) *Adamantes exquiſitos mutuo attritu glutinari, ut facile ſeparari non poſſint. Sic etiam Adamantem vidi, ubi incaluiſſet, feſtucas trahere haud ſecus atque electrum.* Et paulo ante: *maximus quem vidi* CXL *mangelin. pendebat.* Id eſt ſi rationes bene ſubduco centum ſeptuaginta quinque caratia. *Majorem vero Adamantem in Belgio conſpectum haud puto* (inquit Car. Cluſ. in commentariis ad Garziam) *quam Philippus* II *Hiſpaniarum Rex ducturus* Elizabétham *Henr.* II, *Gall. Regis filiam majorem natu emit de Carolo Affetato Antvverpiæ Anno* 1559. *octogies millenis coronatis: pendebat autem Car.* XLVII *cum ſemiſſe, id eſt, grana* 190. Sunt tamen & ipſi Regi Hiſpan. & aliis Regibus longe majores & ſupra ſeptuaginta Caratia pendentes jam formatæ. Credo autem Garziam loqui de rudibus: majores autem rudes maxime informes ſunt & raro ſine aliquo vitio, quod demendum eſt; ita ut non raro dimidium pondus atque etiam amplius amittant, antequam exactè formari poſſint.

Cap. II.

De Carbunculis.

PLinius lib. 37. cap. 7. inter ardentes, ut vocat, gemmas, principatum dat Carbunculis à ſimilitudine ignium ſic appellatis, quos alii vocant pyropos. Quorum varia genera recenſet: *Indicos,* inquit, *& Garamanticos, & quos carchedonios vocavere propter opulentiam Cartaginis magnæ, Aethiopicos & Alabandicos: omnium autem generum alios eſſe maſculos, alios fœminas; quorum illi acrius, hæ languidius refulgeant. Maſculorum quoque alios eſſe liquidioris flammæ, alios nigrioris: alios ex alio lucidos ac magis in ſole flagrantes: optimos autem eſſe Amethyzontas, hoc eſt, quorum extremus igniculus* (id eſt, ſplendor & lux quam fundit gemma) *in Amethyſti violam exeat: proximos vocat Syrtitas* (Cl. Salmaſius legendum putat *Autitas*) *innato fulgore radiantes.* Subiicit deinceps Plinius veterum ſcriptorum de ſingulis hiſce ſpeciebus diverſa iudicia, concluditque; nihil difficilius eſſe quam has ſpecies diſcernere, tanta in iis eſt occaſio artis, ſubditis per quæ tranſlucere cogantur. Ita eſt, ſubiiciuntur enim omnibus hiſce gemmis bracteæ, de quibus Agricola lib. VI. de natur. Foſſil. *Tranſlucidis autem gemmis,* inquit, *non ſolum maioris perſpicuitatis gratia datur figura angulata, ſed cum annulis clauduntur, ſubdi ſolent eiuſdem fere coloris bracteæ per quas tranſlucere cogantur. Hæ fiunt hoc modo: maſſa prima conflatur ex auro, argento, ære: deinde ducitur in tenuiſſimas bracteas, tum hæ ſic forcipe tenentur, ut ardentes carbones non attingant, ſed paulum ſublatæ eorum excipiant ardorem, qui illas variis imbuit coloribus, prout aurum pondere vicerit argentum & æs: vel argentum aurum & æs: vel æs reliqua duo.* Artifices noſtrates vocant *foëlie.* Quia autem Carbunculi, Pyropi & An-

Anthraces à veteribus nominantur, vulgo creditum fuit, carbonis inſtar in tenebris lucere, quod tamen in nulla gemma hactenus deprehenſum, licet à quibuſdam temere iactetur. Peritiſſimis autem gemmariis haud dubium eſt Plinium & alios veteres ſub Carbunculorum titulo deſcripſiſſe gemmas omnes tranſlucidas rubri coloris & quaſi ardentis, quales noſtro ævo appellantur Rubini, Granati, Almandini & Hyachinti rubentes : de quibus ordine agemus. Iulius Scaliger Exercit. cxviii ſcibit: *Rubinorum colorem igni intendere incolas Zeylan, in quo diu coqui ſinant*: (in quo tamen illum falli opinor, nam ignis potius colorem detrahit; quemadmodum in Sapphiro, & aliis liquet:) *Maruca* vocare eos qui ſunt dilutiores, quas vero nos Spinellas, in Pegu appellare *Carab*. optimos Rubinos à Malabaris dici *Nunpucli*.

De Rubinis.

Inter tranſlucidas rubentes gemmas, primum locum flagitat, quæ hodie ab Europæis vocatur *Rubinus*: Indi vocant *Tokes* vel *Manica*, Arabes & Perſæ *Iacut*: quam vocem Cl. Salmaſius detortam putat ex Hyacintho: adeoque Rubinum noſtrum eſſe veterum Hyacinthum: Epiphanius enim inter Hyacinthi ſpecies ſecundo loco numerat Ροδωπὸν; è quo infima Latinitas fecerit Rubinum. Eſt autem gemma tranſlucida, rutilans, rubenſque, exigua autem portiuncula, ut Plinius loquitur, Amethyſtizans, id eſt, extremo ſuo igniculo in violam Amethyſti exiens. Rubedo enim illius non eſt puri minii vel cinnabaris, ſed ſanguinis potius, Cocci aut Laccæ Indicæ: & quo minus cærulei aut violacei ſortitur & exquiſitius rubet, eo nobilior æſtimatur. Hodie autem Rubinorum quatuor ſpecies conſtituuntur: Rubinus verus, Rubacellus, Ballaſius & Spinellus.

Excellit inter has ſpecies, dignitate, elegantia & pretio

pretio Rubinus abſolute & per excellentiam dictus, cocci vel laccæ colorem referens: extremo tamen igniculo (ut Plinius loquitur) nonnihil violacei coloris habet admixtum, quod quo minus aut languidius fuerit, eo præſtantior hodie gemma iudicatur: nam ſi intenſius cæruleum colorem iaciat, aut nubeculis violaceis ſuffundatur, id illi vitio vertitur. Exigui ingenti reperiuntur copia, in India vocant Luſitani *Rubinos de Coria*, qui viceni ſimul emuntur: mediocres rariores ſunt, rariſſimi grandes. Garſias ab Orto obſervat eos qui XXIV Caratia aut ſupra pendent recte Carbunculos appellari; & ſe talem vidiſſe apud Magnatem quendam in *Decan*, quem æſtimabat vicies mille aureis Luſitanicis. Annotat Carolus Cluſius à Philippo II Hiſp. Rege longe maximum emtum vicies millib. coronatorum. Eſt & ſatis magnus magnæ Britanniæ Regi, quem ſæpe vidi in tabulam exacte conformatum, ſed ponderis haud memini.

Reperiuntur autem & candicantes & è purpureo candicantes, vel potius ceraſum matureſcens referentes: Item media parte rubentes altera candicantes, denique media parte Rubini, media Sapphiri; quos ſi pulchriores ſint, in India appellant *Nilacandi*, à Nil quod cæruleum colorem ſignificat, quod vulgo Indicum vocamus. Hanc varietatem indicat Garſias illi accidere ab origine: Rubinum enim in ſua rupe ſive matrice recenter conceptum candicare, & ruborem maturitate acquirere, quare ſi immaturus extrahatur plus minuſne candicare: & cum Sapphirus & Rubinus in eadem matrice naſci credantur, hinc fieri ut interdum coniugentur.

Naſcuntur autem in rupibus, in regione Cambaia, Calecuto & Biſnagar, optimi vero & nobiliſſimi in Inſula Ceylon, unde *Candi* nomen manaſſe autumo, quod ſupra expreſſimus in Nilacandi: denique in regno Pegu.

Forma

Forma naturalis ipſis varia, uti & Adamantibus, rariſſime tamen ſunt angulati, ſed ut plurimum globulares aut ovales, inferiori tamen parte magis plani quam convexi. Conformantur ut plurimum ab artificibus in tabulas, concluduntutque fundis, ſubditis bracteis: licet etiam quam plurimi infecti annulis indantur & ad mundum muliebrem applicentur, ſecus quam Adamantes gemmæ, quarum nulla eſt gratia niſi formentur & poliantur, cum Rubini etiam ſine ulla arte placeant. Superiori ætate & noſtra adhuc memoria ſolebant ſponſis donati, aut novis nuptis à ſuis maritis duo annuli, quorum uni Adamantis alteri Rubini tabula erat incluſa; vocabant *Mariage*: Sed mos iſte iam obſelevit. Rubinis quoque iam à multis annis admodum levis fuit authoritas, quæ iam renatura videtur, mortalium luxu iam Adamantum copiam & vilitatem faſtidiente.

Formantur autem Rubini hi primum crebro rotatu ſuper orbem plumbeum cui pulvis ſmiridis aſperſus: deinde poliuntur exactè, ſuper orbiculum æneum, terrâ quam vocant Triplam. Fabricam inſtrumenti videre eſt apud Boëtium, quam tamen artifices noſtrates paulo aliter iam diſponere animadverti, creſcente indies hominum induſtria.

Huic quoque gemmæ virtutes haud ſpernendæ tribuuntur: geſtatam enim aut pulverem eius hauſtum reſiſtere venenis prędicant & alexipharmacum eſſe contra peſtem: cor exhilarare & triſtitiam eliminare: libidinem coërcere, ſomniorum terriculamenta avertere; quinimo corpus incolume conſervare & illum qui geſtat, mutatione coloris, periculi inſtantis admonere, eoque averſo priſtinum colorem recuperare: Verum ſomnum minuere, & ſanguinem nonnihil exagitare & geſtantes iracundiores facere. Quæ omnia vana eſſe iudico, è magicis tra-

traditionibus primum hauſta, & poſtea ab authoribus repetita, & temere credita ab iis qui fortaſſe numquam hanc gemmam tractarant aut viderant. Quod non videbitur dubium iis qui vel ſemel Ludovici Dulcis, & Camilli Leonardi nænias inſpexerint.

Quibus autem modis hæc gemma ab improbis artificibus adulteretur, & quomodo fraus deprehendatur, accuratiſſime à Boëtio eſt obſervatum.

De Balaſio.

Secunda ſpecies & priori dignitate atque pretio (niſi inſignem magnitudinem habeat) impar, à gemmariis appellatur Balaſius, vulgo *Balais*: quidam nominant *Palais*, putant enim, verum Rubinum in hoc veluti in matrice formari, atque inde nominis etymon derivant, tanquam palatium eſſet dignioris illius: Nugæ: nomen enim eſt Indicum aut Perſicum, & forte deſcendit à Bala, quod altitudinem & faſtigium ſonat, à forma quam plerumque habet, ut ſtatim dicetur. Geſnerus: *In Ballenæo monte Phrygiæ gignitur lapis Aſter nomine: qui ſolet nocte profunda ignis inſtar ſplendere ſub initium Autumni, cognominatur autem indigenarum nomine Ballen, βαλλὴν, id eſt, Rex, ut tradit Hermeſianax Cyprius ſecundo Phrygiacorum, ex Plutarchi libro de fluviis. Robertus Conſtantinus in Lexico ſuo Græco-Latino, vulgo hanc gemmam Rubis Balleus à Gallis nominari ſcribit, ſolerti coniectura, ex nominis varietate, cui res ipſa convenit.* Hæc ille. Sed non video quid huic gemmæ commune ſit cum Aſtere, præterquã quod fabuloſa ſunt quæ hic traduntur. Omnes autem gemmæ & lapides ad ſpeciem ſtellæ relucentes iure & proprie ἀστῆρες vel ἄστερα dici poſſunt. Marcus Paulus Venetus in Itinerario ſuo meminit Regionis Balaheiæ, in qua hanc gemmam naſci tradit. Atque hæc etymi ratio mihi vel maxime arridet. Gemma

autem

autem hæc remiſſius atque dilutius rubet, parumque cærulei rubedini admixtum habet, & roſeo quodam fulgore nitet, adſpectu admodum grata. Putant eiſdem locis naſci quibus priorem, ſæpiuſque in venis Sapphiri, cuius tinctura huius rubedinem dilui putant, perperam meo quidem iudicio, trahit enim potius aliquid ab Amethyſto, uti crediderim hunc eſſe Carbunculum quem Plinius vocat Amethyſtizonta.

Forma illius naturalis fere oblonga eſt & faſtigiata, adeo ut pirum aut ficum aut ſimilem fructum pulchre imitetur; quare ut plurimum tantum perforatur ut auriculis commode appendi poſſit, aut coronis pyramidum forma ſuperaddi: rarius autem in tabellas formatur & politur, licet etiam ſic inſignem habeat gratiam. Sed notant artifices, omnium difficillime exactum lævorem accipere; qua nota fere à cæteris Carbunculis diſtinguitur. Vitiis hæc gemma haud ita obnoxia eſt, præterquam vomicis occultis, atque interdum ſalibus, rariſſime glarea aliqua infeſtatur: vomicas autem has eſſe in cauſa opinor cur rarius formetur.

Indi maximi faciunt has gemmas, & memini magna copia & opulento commercio ex Europa undique corradi & in Syriam atque ita porro in Indiam traduci: quia forte fodinæ ibidem iam exhauſtæ. Certe in Theſauris Imperatoris Indiæ, quem vulgo vocant magnum Mogorem, magno numero ſervari vulgo proditur, & Principes illos has gemmas ſummoperè diligere, præſertim maioris molis; reperiuntur enim quæ centum Ceratia & ſupra pendant. Vires eaſdem tribuunt quas Rubino, ſed debiliores. Corrigunt & adulterant has gemmas eiſdem fraudibus, quibus Rubinos veros, difficiliuſque fraus primo intuitu deprehenditur.

De

De Spinello.

Tertiam Rubini ſpeciem vocant *Spinellum*; intenſius & auſterius rubentem quam Balaſius, minus tamen ſplendentem quam Rubinus. Pauci eorum tam eleganter rubent, adeoque ſunt perfecti ut Rubinos veros æmulentur: quidam rurſus ita dilute rubent ut fere candidi videantur: Sed hi admodum ſunt rari, & formati in tabulas atque politi inſignem habent gratiam: non pauci denique, quos vocant de rupe veteri, Hyacinthorum ſunt æmuli & forte eiuſdem generis, difficulter enim diſtinguuntur: ſolentque gemmarii in hiſce ſpeciebus nonnumquam ſtudio hallucinari.

Naſcuntur in iiſdem locis, quibus cæteri: adulteranturque facilius: licet non ſit tantum operæ pretium.

Vitia quibus obnoxii, ſunt vomicæ & ſales: nebulis rariſſime aut numquam fere infuſcantur.

Hos quoque difficillime poliri affirmant periti artifices, licet facillime formentur: unde quidam pyriten ſeu marcheſitam poliendo uſurpant (quemadmodum & in Balaſio) in pollinem tenuiſſimum tuſum & oleo mixtum: ſed ſumma cautione opus eſt, nequid vitii accedat: atque adeo in iis qui planâ formâ ſunt hæc politura omnino cavenda eſt. Quid multa? Duæ hæ gemmæ ingenia artificum hodieque exercent, ob inſignem fragilitatem quæ in utraque deprehenditur.

De Rubacis & Rubacellis.

Quarta deniq; ſpecies Rubini, vulgo à gemmariis nominatur *Rubacus* vel *Rubacellus*: gemma itidẽ rubẽs, ſed cuius extremus igniculus in quandam flavedinem exit, ita ut ambigatur, utrum ad Rubinorum an Chryſolithorum claſſem ſit referenda: color enim videtur ex utroque mixtus. Ad granatorum Bohe-

micorum ſpecies referri non poſſe arguunt, quia granatus ignem fert abſque vel minima coloris ſui mutatione aut iactura; Rubacus vero colorem ſuum aut mutat aut amittit.

Pretium his longe minus quam cæteris Rubinis; & obſcura admodum fama.

CAP. III.

De Granato.

INter Carbunculorum ſpecies recenſet & Plinius [a] Garamanticos, quos & Carchedonios vocavere, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Theophraſtus de lapidibus: ἄλλο δέ τι γένος λίθων ἐστὶ, ὥσπερ ἐξ ἐναντίων πεφυκὸς, ἄκαυστον ὅλως, ἄνθραξ καλούμενος. ἐξ οὗ καὶ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν. ἐρυθρὸν μὲν τῷ χρώματι, πρὸς δὲ τὸν ἥλιον τιθέμενον ἄνθρακος καιομένου ποιεῖ χρόαν. τιμιώτατον δ' ὡς εἰπεῖν μακρὸν καὶ σφόδρα τετταράκοντα χρυσῶν. ἄγεται δὲ οὗτος ἐκ Καρχηδόνος καὶ Μεσσαλίας. Hos gemmarii hodie appellant *Granatos*. Eſt autem notiſſima & vulgatiſſima gemma Granatus, & cui optimè conveniunt Carchedonii Carbunculi notæ, præſertim illa quam notat Archelaus, nigrioris nimirum eſſe aſpectus, ſed igne vel ſole & inclinatione acrius quam cæteros excitari: item umbrante tecto purpureos videri, ſub cœlo flammeos, contra ſolis radios & ſcintillare. Tales enim ſunt noſtri granati, rubent ex flavedine inſtar ignis, vel minii, tam nativi quã facticii, colore, quo ignis pingi ſolet: quare pulcherrima eorumdem ſpecies noſtris & Gallis quoque univerſum genus *Vermeille* dicitur, eodem pene quo minium nomine.

Sunt autem plures Granatorum ſpecies; & quidem primo alii Orientales, alii Occidentales.

a *Lib.* 37. *c.* 7.

Orientalium tres ſtatuunt differentias: prima eſt eorum qui cæteris nigriores ſanguinis atri vel aduſti colorem referunt. rutilo nihilominus ſplendore, (Ferrandus Imperatus haud male comparat moris maturis) ita ut bractea candidiore ſuppoſita carbonis igniti ſpeciem referant: hi magna mole inveniuntur, atque adeo interdum ovi gallinæ magnitudine & figura. Secunda eſt illorum quibus Hyacinthi color cum intenſa rubedine ineſt, quos *Boëtius* ſcribit vulgo *Sorranas* vocari: quanquam ſi nimia adſit flavedo (loquitur ergo de Hyacinthis qui hodie perperam ita vocantur, ut poſtea dicemus) ex granatorum claſſe expungendos putet & potius Hyacinthorum eſſe illam ſpeciem, quæ Italis dicitur *Hyacintha la bella.* Eſt autem hæc elegantiſſima gemma. Tertia eſt eorum qui cum rubedine martiæ violæ colorem oſtentant: Italis vulgo *Rubino de la Rocca.* Occidentalium ad eundem modum, alii ſunt dilutioris coloris, qualis reperitur in acinis Mali granati (unde univerſis haud dubio nomen:) tales ſunt Hiſpanici: alii admodum ſaturi quales Bohemici: tam intenſa enim his eſt rubedo ut nigreſcant; niſi excaventur, bracteaque iuventur, exiguam habent gratiam. His autem peculiare eſt ignem ferre quam diutiſſime ſine ulla coloris imminutione: atque id ſine dubio eſt, quod dicit Theophraſtus & Plinius ignem non ſentire. Alii denique ſcabri, vitiis pleni & raro tranſlucidi, quos *Iſerinos* vocant quia in finibus Sileſiæ ad Iſerim inveniuntur. Principatum itaque hodie inter omnes dant Bohemicis, quia vomicis, nebulis, aliiſque vitiis omnino carent, quibus cæteri admodum obnoxii ſunt.

Orientales, ut ſcribit Garſias, reperiuntur in Calecut, Cananor, Cambaia & Balagatta; quibus alii addunt & Æthiopiam, unde Garamanticos opinor

dictos:

dictos: Occidentales in Luſitania, quare & Oliſiponis in illo capite meminit Plinius. In Miſnia ad Zeblitiam prope Marienburgum, itemque Rochlitzium: in Bohemia denique maxima copia, in valle Ioachimica ad ſecundum lapidem à Leimeritzio, & aliis locis multis; in Sileſia quoq; & Sudetis montibus paſſim.

Naſcuntur autem in Miſnia in nigro & duriſſimo ſaxo (quod propterea Mater vel matrix granatorum appellatur) è quo eximuntur: in Bohemorum & Lygiorum agris ſua ſponte occurrunt aut aratro excitantur: Denique inter Regiam ſpeculam & Planam ex fontis cuiuſdam arenis eluuntur, ut ſcribit Georg. Agricola lib. VI de Nat. foſſilium.

Forma his naturalis aut rotunda aut ovalis, interdum & una parte plana aut concava, altera convexa, & quæ interdum renis bovilli imaginem referat. Magnitudo ut plurimum piſi, interdum & fabæ, raro maior: formantur autem ab artificibus in tabellas, ſæpius tamen in globulos perforantur; qui Rhombis affabre diſtinguuntur.

Viliſſimi hodie ſunt pretii, & præ nimia copia in nulla pene authoritate; niſi forte quidam maiores & exquiſitæ rubedinis, qui fere ut nati ſunt bractea ſuppoſita auro includuntur. Memini in tabellas conformatos & bractea concluſos candida, è Bohemia maxima copia in omnes Europæ partes inferri, ut non mirum cuiquam videri debeat, quod *Boëtius* tam anxie pretii quantitatem ad certas formulas comparaverit. Apud quem vide quæ de viribus vulgo creduntur.

Cap. IV.

De Alabandicis, Trœzeniis: Sandaſtro & Sandareſo.

MEminit & Plinius,[a] illo capite de Carbunculis, Alabandicorum, eoſq; cæteris nigriores eſſe ſcribit, ſcabroſque: Boëtius, ambigere inter Granatos & Rubinos, ita ut Rubini nigriori colore tincti videantur, hodieque à Gemmariis appellari *Almandinos*. Hos in Orthoſia caute naſci prodit Plinius, perfici Alabandis, atque inde illis nomen. Viliores multo ſunt Rubinis, pretium tamen ferunt Granati Orientalis, ut ſcribit Boëtius. Scribit Cardanus[b], Alabandicū lapidem inventum Fribergi ſimiæ formâ; & alium ex eodem genere qui ſcutulum habuit rubrum, quod quatuor lineæ ambibant, quarum prima tertiaque albæ, ſecunda & quarta erant rubræ: Annębergæ autem alium qui formã habuit Crucis. Verum Agricola lib. v de Nat. Foſſil. è quo ſua ſumſit Cardanus, dicit hos lapides fuiſſe tertii generis fluorum, id eſt, lapillorum qui in ardentes fornaces cõiecti fluunt, & ſilice minus duros eſſe, ita ut ignis ex illis elici non poſſit, neque translucere: ut mirum ſit Cardano veniſſe in mentem, Alabandicos vocare. Meminit quidem Agricola paulo ante Alabandicorum, nam quum dixiſſet; *primi generis lapilli non pellucent modo, ſed etiam refulgent, eiſque inſidet color idem qui gemmis*: Subjicit poſt pauca: *Huius primi generis fuit lapis alabandicus, ſi modo fuit alius à Carbunculo Alabandico; nã liquatur, inquit Plinius, igni, & funditur ad uſum vitri. niger eſt, ad purpuram tamen magis adſpectu declinante. Naſcitur in Caria ad Alabandam & in eadem Mileti.* Alius haud dubio fuit lapis, alius

a *Lib.* 37. *c.* 7. b *Lib.* 7. *de ſubt.*

Car-

Carbunculus Alabandicus, quem liquari non potuiſſe ipſa Carbunculi deſcriptio arguit. Nam illum deſcribit Plinius lib. 36. c. 8. Hunc lib. 37. c. 7. Itaque caute diſtinguendi ſunt. Et nihil hic lapis Alabandicus facit ad Carbunculum.

Ad Carbunculorum quoque claſſem refert Plinius *Trœzenios*, varios, intervenientibus maculis albis; itemque Corinthios, pallidiores & candidiores. Theophraſt. καὶ ὁ τροιζήνιος. οὗτος δὲ ποικίλος. τὰ μὲν φοινικοῖς τὰ δὲ λευκοῖς χρώμασι. Hos gemmarii noſtri vocant *Amandinos*; ſicut ſuperiores *Almandinos*. Iul. Scaliger Exercitat. CVIII. Sect. 2. *Apud Turcas habetur in pretio gemma Almandina nomine, longe vividiore luce atque fulgore quam Granata. Ab eo redditur imago velut à ſpeculo.* Quod à Plinio accepit, qui ſcribit: *Theophraſtus autor eſt & in Orchomeno Arcadiæ inveniri, & in Chio: illos nigriores, è quibus & ſpecula fieri.* Theophraſtus: αἱ δὲ ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἀτελεστέρας. Οἷον τὸ ἀνθράκιον τὸ ἐξ Ὀρχομενοῦ τῆς Ἀρκαδίας. ἔστι δ' οὗτος μελάντερος τοῦ Χίου. κάτοπτρα δὲ ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσι, &c. Nullius authoritatis aut pretii ſunt apud nos, atque adeo paucis notæ hæ gemmæ.

Ad ardentium gemmarum claſſem etiam *Sandaſtrum* refert Plinius. Quæ gemma hodie videtur ignorari. nam qui diligentiſſime de gemmis ſcripſerunt, verba quidem Plinii aut citant aut explicant, ſed nullus, quem quidem viderim, recte indicat quę ſit aut quo nomine hodie appelletur. Plinius ſcribit cognatam eſſe *Anthraciti* (quam dixerat carboni ſimilem:) naſci autem partim in India & Garamantiten appellari: partim in Arabia quæ meridiem ſpectat; ſummamque eius commendationem eſſe, quod velut in tranſlucido, ſtellantes intus fulgent aureæ guttæ, ſemper in corpore numquam in cute: ſtellari autem fere Hyadum numero, & diſpoſitione; &

quantum numero ſtellarum accedat, tantum pretio accedere. Porro & hîc à fœminis mares diſtingui auſteritate, quæ vigore quodam appoſita tingat: eamque tantam reperiri in Indicis ut etiam viſum dicatur hebetare: fœminis blandiorem eſſe flammã, quæ magis allicit, quam accendit. Præferri à quibuſdam Indicis Arabicas licet fumido Chryſolitho ſimiles. Iſmeniam autem negare Sandaſtros poliri propter teneritatem & ob id in magno errore eſſe qui Sandareſon vocant. Locus autem hic, prout apud ipſum legitur, obſcurus eſt, quem ita corrigendum & diſtinguendum puto: *Iſmenias negat Sandaſtros poliri propter teneritatem: inter omnes conſtat quantum numero ſtellarum accedit, tantum pretio accedere; & ob id in magno errore ſunt qui Sandareſon vocant: affert errorem aliquando ſimilitudo nominis, Sandaſer, quod Nicanor Sandaſerion vocavit, alii Sandareſon: quidam vero hanc Sandaſtron, illam Sandareſon, in India naſcentem,* &c. Ut ſenſus ſit, à veteribus gemmarum deſcriptoribus duas prodi, unam quæ Sandaſtros, alteram quæ Sandaſer, Sandareſon & Sandaſerion appelletur; quoſdam autem ſimilitudine nominis deceptos, Sandaſtron gemmam quantivis pretii, vocaſſe Sandareſon quæ vilior fuerit. Geſnerus de figur. Lapid. cap. 11. *In ipſo quidem,* inquit, *Sandaſtri nomine, Barbaricæ vel Hebraicæ originis, ut videtur, primam ſyllabam coloris ardentis ſignificationem habere conjicio ut in Sandaracha quoque & Sandyce: ad quã &* accendere *verbum apud Latinos & apud nos* zunden *accedit.* Et poſt pauca: *Puncta varie diſpoſita in ſuperficie alicuius corporis, ſtellæ quandoque nominantur apud veteres Græcos, præſertim ſi ſplendeant,* &c. Fuerint itaque hæ ſtellæ, non quod figuram referant qua ſtellæ pinguntur, ſed quia micant inſtar ſtellarum inerrantium: ſed illæ ſunt in corpore non in cute aut ſuperficie. Quicquid ſit

de

de nomine, apparet Sandaſtron Plinii fuiſſe gemmam ardentis coloris aureis punctis ſive guttis in corpore refulgentem & veluti ſtellantem. Agricola lib. 6. Nat. Foſſil. ſcribit quoſdam Gemmarios falſo crediſſe eſſe Hyacinthum (nimirum recentiorum qui eſt crocei coloris; quam poſt alios Franciſcus Imperatus ſcribit olim Sandaſtron dictam ſeu Rubinum flavum; quo nihil dici potuit ineptius.) Verum in hiſce Hyacinthis nullæ ſunt aureæ ſtellantes guttæ. Non explicat autem Agricola neque Boëtius quænam hodie ſit gemma quæ veteribus dicta fuit Sandaſtros. Allatæ ſunt ſuperioribus annis ex India gemmæ haud ita magnæ molis, ſubrubentis ſeu fulvi ſaturi coloris, in quibus veluti arenulæ quędam per totum corpus internitent, gratiſſimo aſpectu: quas uti non auſim certo affirmare Veterum Sandaſtros eſſe, ita plane credo nullas alias gemmas hodie propius ad deſcriptionem accedere, præſertim cum & teneritate ſimiles ſint Opalis. Allatæ & aliæ, olei viridis colore in quibus nullæ aureæ guttæ, duritie pene Smaragdorum, (& forte ad illam claſſem referendæ) quæ Sandareſorum nomen tueri poſſint, niſi color diſſuaderet. Quod autem ſcribit Plinius lib. 37. c. 7. Arabicas Sandaſtros fumidæ Chryſolitho (alibi vocat Capniam) ſimiles videri; ita accipit Agricola, quaſi veluti fumo obſcuratæ nigricaſſent; non animadvertens Indicis fuiſſe prælatas; quum hoc tantum voluerit Plinius, Chryſolitho ſimiles videri, ſed coloris ſaturi & veluti fumo aliquo afflati; quo haud dubio fiebat, quod aureæ illæ guttæ magis in corpore ſtellarent. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 132. *In Sandareſo gemma,* inquit, *aureæ quoque inſunt guttæ, ſed ignis obtentu tralucent celantque ſeſe, & ſic minime impediunt quo minus in pellucidarum numero habeatur Sandareſus. Sic autem eius de Sandareſo*

verba legenda ſunt. Summa eius commendatio, quod velut in tranſlucido, ignis intus celantiſque ſeſe transfulgent aureæ guttæ; ſemper in corpore numquam in cute. *Hinc ſummopere commendari ait quod aureæ guttæ quas intus habēt, velut in tralucido & ſeſe celantes transfulgeant. Non ex toto tamen pellucidum illum lapidem eſſe propter illas guttas res ipſa oſtendit.* Sed hæc de Sandaſtro intelligenda ſunt, de eo enim loquitur Plinius.

Cap. V.

De Amethyſto.

NUnc de purpureis gemmis dicendum, inter quas principatum tenet Amethyſtus: hæc gemma Græcis dicitur τὸ ἀμέθυσον, Latinis Amethyſtus. *Cauſam nominis,* inquit Plinius lib. 37. c. 9, *afferunt, quod uſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, deſinat in violam; fulgorque quidam in illa ſit purpuræ, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens.* adfert & aliam: *Magorum vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit & inde appellatas.* Priorem & Theophraſtus videtur agnoſcere, quum inquit, τὸ δ' ἀμέθυσον, οἰνωπὸν τῇ χρόᾳ. Amethyſti autem omnes veterum, ut ſcribit Plinius, perlucent violaceo colore: Indicæ quidem abſolutum felicis purpuræ colorem habent, atque ad hanc tingentium officinę dirigunt vota; fundit autem eum aſpectu leniter blandum, neque in oculos, ut Carbunculi, vibrat. Hinc veterum purpura Amethyſtina nomen accepit, quam etiam ianthinam ſeu violaceam appellabant. Plin. lib. 9. *Non ſatis eſt abſtuliſſe gemmæ nomen Amethyſtum, rurſus abſolutus inebriatur Tyrio, ut ſit ex utroque nomen improbum Tyriamethyſtus.* Idem: *Purpura violacea me iuvene vigebat*, inquit, Cornelius Nepos, *qui D. Auguſti principatu obiit.* Erat

ergo in Amethyſto Vinoſus color, ſed parcior: ut ſcribit Iul. Scaliger Exercitat. 325.

Porro Amethyſti quinque genera enumerat Plinius. Primum Indicum de quo iam diximus: alterum quod deſcendit ad Hyacinthos (de quibus proximo capite.) Hunc colorem, inquit, Indi *Sacon* vocant, talem gemmam *Sacodion*. Tertium dilutiorem ex eodem, *Sapirion*: quæ & *paranites* dicitur, in contermino Arabiæ gentis nomine. Quartum genus colorem vini habet. Quintum ad viciniam Cryſtalli deſcendit albicante purpuræ deiectu: credo legendum; albicante purpura in deiectu. Utitur enim & alibi hac voce Plinius; ut cum de Sardonyche ſcribit; *neque in receſſu gemmæ aut in deiectu renitente, ſed in ipſis umbonibus nitente:* ubi deiectum opponit umbonibus; hic autem extremo gemmæ. Pergit Plinius: *Hoc minime probatur, quando præcellens debet eſſe in ſuſpectu velut ex Carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roſeus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alii anterotas, multi veneris gemmam, quod maxime videtur decere & ſpecie & colore extremo gemmæ.*

Atque hæc quidem Amethyſti genera etiam hodie reperiuntur, licet rarius Indicum & præcellens illud: vidi tamen eius generis ſatis magnam gemmam in tabulam octangulam formatam, cui omnes notæ Plinianæ ex aſſe conveniebant. Reliqua genera præ nimia copia viluerunt. Perperam autem ſcribit Boëtius lib. 2. cap. 32. Indicos Amethyſtos *flavedinem immixtam habere*, quod haud dubio maximum in illis eſſet vitium: nihil enim, ut loquitur Plinius, in ſua ſede alieno interpellari placet; quum itaque, ut Boëtius fatetur, color violaceus, qui proprius Amethyſto Indico, ex mixtione rubri & cærulei emanet, flavedo omnis exulet neceſſe eſt.

Natales Amethyſto aſſignat Plinius, Indiam, Ara-

biam Petræam, quæ Syriæ proxima eſt, Armeniam minorem, Aegyptum, Galliam. (niſi legendum ſit Galatiam, uti videtur legiſſe Agricola lib. 6. de Nat. Foſſil.) Agricola addit: *Eadem in Miſena Volcheſteini eruitur è fodina, quæ ex Amethyſto nomen invenit: magnæ autē effodiuntur glebæ, quarum radices ſunt ſexangulæ mucronibus Cryſtallinis aſſimiles: cavatur & è plerisque eiuſdem & Bohemiæ argentariis: colligitur etiam in Miſenæ rivo ſuper Hœſteinam arcem, diſtantem à Stolpa ad v. M. paſſ. reperitur præterea in Gombeſano tractu à Germanis, qui in Alpinas Sedunorum valles immigrarunt. Sed Amethyſtos viliſſimas Thaſus & Cyprus mittunt: mediocres, regiones cæteræ, optimas India: etſi ubique terrarum quæ ſaturo colore lucent, inveniuntur perraro.* Hæc ille. Addit Petrus Albinus in Metallica hiſtoria Miſniæ Titul. 18. cap. 7. Amethyſtos quoque reperiri in Geode vel Aëtite lapide ad Motshenam oppidum, quandragula & ſexangula forma, tranſparentes & colore ſaturo. Obſervat denique, Amethyſtos Miſniæ & Bohemiæ ut plurimum eſſe dilutioris coloris & candidioris inſtar Cryſtalli, & multis vitiis obnoxias, veniſque Cryſtallinis permixtas, quæ tamen Venetiis poliantur & Conſtantinopolim vehantur, ubi avide appetuntur à fœminis Turcicis ad mundum muliebrem. Porro Amethyſti omnes teneriores ſunt, præter Indicas, quæ admodum duræ, ita ut pulvere Smiridis lapidis formentur & tripla poliantur, haud ſecus quam Rubini & aliæ eiuſdem duritiæ gemmæ. Dant autem Artifices, inquit Agricola, figuram plerumque angulatam, ut earum fulgor magis excitetur; ſed & interdum concavam, qualem natura dare ſolet Smaragdo. Vertuntur in Adamantes eodem modo quo Sapphiri; de quo vide Boetium.

Gemmis hiſce hodie exigua eſt authoritas & viliſſimum pretium, exceptis Indicis, quibus pro magnitu-

gnitudine pretium pónitur. Veteres autem, cum adhuc in pretio eſſent, Succino adulterabant, ut ſcribit Plinius lib. 37. cap. 2. Succino enim bracteas ſubjiciebant per quas tranſluceret, cuius exempla quotidie videmus non modo in hac ſed & in aliis gemmis, præſertim Smaragdis & Rubinis: ſed Succinum admodum exquiſitum eſſe neceſſe eſt.

Putatur hæc gemma geſtata ebrietatem prohibere, quod ut magicam vanitatem ridet Plinius: Addunt & alias virtutes recentiores authores: quæ omnia cum à Plinio, non ſine contemtu & irriſu generis humani, à magis prodita notentur, mirum eſt à Chriſtianis toties eſſe repoſita.

CAP. VI.

De Hyacintho.

DE Hyacintho iam videndum, in cuius deſcriptione recentiores plurimum à Veterum ſententia receſſerunt: atque ipſa nominis indicatione. *Multum ab Amethyſto,* inquit [a] Plinius, *diſtat Hyacinthus, tamen è vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in Amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in Hyacintho, primo quoque aſpectu gratus, evaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat, marceſcens celerius nominis ſui flore.* Ad eundem modum Iſidorus in originibus: *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Aethiopia reperitur cæruleum colorem habens.* Epiphanius quoque: ἔοικε δ' ὑάκινθος τῇ ἐρέᾳ ἢ ὑποπορφυρίζων ποσῶς. In Vet. Cod ἤγουν. deinde relictum eſt unius vocis ſpatium, poſt quod ſequitur ὑποπορφυρίζων. Prodit autem quinque illius ſpecies, θαλασσίτην, Ῥοδηνὸν, Νάπτεον, ὑδαρέστερον, quem & χαυναῖον dicit appellari & πελίδνον. Ad θαλασσίτην alludit Mar-

[a] *Lib.* 37. *c.* 9.

Martianus: *nec flucticolor Hyacinthi credebatur abeſſe profunditas.* Quid autē ſibi velit Νάλβος, ita explicat Cl. Salmaſi⁹: Epiphanio quoq; inter Hyacinthos ὁ Νάπβος. qui inter roſeū eſt & dilutiorē. Hic proprie color paſtelli rubri, ἀπὸ φοινικοπαςέλλου τοῦ ἐρυθροῦ (ut ſcribit Zoſimus Panopolitanus) τοῦ λεγομένου Νάτηφ παρ' Ἄραψι. Natef enim vel Natif Arabibus paſtillus. Fuit itaque Hyacinthus veterum colore violaceo & Hyacinthino. Recentiores autem talem gemmam referunt ad ſpecies Amethyſti : pro Hyacintho autem deſcribunt alias gemmas in quibus flavedo varia proportione deprehenditur, quas veteres haud dubio Chryſolithos appellarunt, ut poſtea dicam. Errorem inde natum ſuſpicor, quod Plinius loco ſupra citato addat; *Hyacinthos Aethiopia mittit & Chryſolithos aureo colore tranſlucentes.* Puto autem locum illum ita diſtinguendum; *marceſcens celerius nominis ſui flore Hyacinthus. Aethiopia mittit & Chryſolithos*, &c. Aut ſi non placet diſtinctionem moveri loco, quo libri editi ponunt, ne ſic quidem neceſſarium fuerit, aureum colorem ad utramque gemmam referre, nam Plinius ſibi ipſi contradiceret, ſiquidem Hyacintho violaceum colorem tribuit, licet dilutiorem quam in Aemethyſto, qui nihil commune poteſt habere cum aureo.

Anſelmus [a] Boetius: *Quatuor Hyacinthorum ratione coloris genera ſtatuo. Primo genere continentur qui ignis inſtar rutilant ac cocci colorē referunt, minii nativi aut ſanguinis bilioſi inſtar. Hos galli Iacinte la bella vocant, atque proxime granati Bohemici colorem referunt, ſed dilutiorem abſque ulla nigredine intermixta. Hi cæteris omnibus præferuntur, ac ad Carbunculi genera referri poſſunt.* Recte. neque enim ullo modo ad veterum Hyacinthi ſpecies referri poſſunt, uti ex iis quæ ſupra dixi liquido patet.

[a] *Lib. 2.c.30*

patet. *Secundo*, inquit, *genere continentur, qui rubebine Croci flaveſcunt, planeque vitri è ſtibio concinnati, aut plumbi cum lateribus ter in laminam ferri fuſi & vitrificati colorem repræſentant.* Neque hi quicquam cum veterum Hyacintho commune habent, ſed ad optimas Chryſolithos forte referri poſſent, quæ, ut loquitur Plinius, in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt: id eſt, ut ego autumo, auri colorem ita ſuperant ut aurum præ illis argentum videatur. *Tertio qui Succini flavi colorem ita exacte oſtendunt ut dignoſci à Succino niſi duritie non poſſint. Hi omnium ſunt viliſſimi neque omnino pellucent propter atomos & corpuſcula quæ in ſe continent.* Hi ſane fuerint Chryſolithi illæ Arabicæ Plinii, aut Chryſelectri. *Quarto qui nihil rubedinis in ſe habent, quique albi Succini pellucidi colorem referunt.* Utique genuini Plinii Leucochryſi. Atque hanc ſententiam fere hodierni gemmarii ſequuntur. Recentiorum itaque Hyacinthi ſunt flavo colore, interdum ſimplici, eoque aut ſaturo aut diluto, vel cum rubedine quadam mixto intenſius vel remiſſius: ita ut iam veris Hyacinthis nomen ademerint. Qui autem ſaturo ſunt colore, multis ut plurimum vitiis laborant, unde neque tranſlucent plene, neque fulgent, ſed tantum pingui quodam lævore nitent. Nobiliores ex Oriente deferuntur, naſcunturque in Calecut & Cananori, deteriores in Luſitania apud Prelas haud procul ab Oliſipone, & multis Hiſpaniæ locis. Ad Iſeram quoque (inquit Boetius,) in confinibus Sileſiæ & Bohemiæ, torrentemque Georgii prope Hirſpergam. Sed hæc nihil ad Hyacinthum veterum.

Huic quoque gemmæ multas virtutes tribuunt, de quibus videndus Cardanus de ſubtilit. Lib. VII. ſed merito virtutem illam contra fulgura ridet Iul. Scaliger Exercit. CXII.

Credo

Credo autem me habere veram Veterum Hyacinthum (cui icon inſculpta) annulo incluſam, nam omnes notæ probe conveniunt: & eſt violacei coloris diluti.

CAP. VII.

De Sapphiro.

INter pellucidas gemmas unica eſt plane cærulea, Sapphirus, quæ elegantiſſimo ſuo colore oculos mirum in modum afficit. Indi vocant *Nilah* vel potius *Nilia*, voce Arabica quæ cæruleum denotat; nam ad eundem modum , glaſtum quod vulgo *Indicum* vocant, quo tinctores optimum & pertinaciſſimum colorem cæruleum exprimunt, vocant in India *Anil* & *Nil*.

Hanc gemmam antiquis Scriptoribus hoc Saphiri nomine ignotam fuiſſe mihi perſuaſum eſt, (niſi forte ſub Amethyſti aut Hyacinthi generibus cenſa fuerit, quod quis haud fruſtra ſuſpicetur) licet & ipſi Sapphirum inter gemmas numeraverint & quidem à Cyano diverſam. Theophraſtus de lapidibus: primo numerat inter eas ; quæ ſunt σπάνιοι πάμπαν καὶ σμικραί: deinde ait , καὶ ἣν καλοῦσι Σαπφείρον, αὕτη γὰρ μέλαινα, οὐκ ἄγαν πόῤῥω τοῦ Κυανοῦ τοῦ ἄῤῥενος. & alibi: Σάπφειρος, αὕτη δ' ἐστὶν χρυσόπαστος. id eſt, ut Cl. Salmaſius interpretatur, aureas guttas habens in cute, non in corpore. Plinius lib. 37. cap. 9. de Cyano, *ineſt ei aliquando & aureus pulvis. non qualis in Sapphirinis. Sapphirus enim & aureis punctis collucet. Cæruleæ & Sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nuſquam tamen perlucidæ.* Quem locum Cl. Salmaſius ita corrigit: In Sapphiris enim aurum punctis collucet. Cæruleæ Sapphirorum cum purpura optimæ apud Medos, nuſquam tamen perlucidæ.

Pergit

Pergit Plinius: *præterea inutiles Scalpturæ intervenientibus Cryſtallinis centris. Quæ ſunt ex eis Cyanei coloris, mares exiſtimantur.* Vetus quoque auctor de Sapphiro: λίθος ὡραῖος ἔχων σπιλάδας χρυσίου, ὡς ἐν στίγμασι. In quorum deſcriptione hoc obſervandum; primo, quod in Sapphiro requirant aurea puncta, ſecus quam in Cyano, cui aureus ineſt pulvis: Secundo, quod negant pellucidam; tertio quod Scalpturæ inutilem dicant, non quidem abſolutè, ſed intervenientibus Cryſtallinis centris. At Sapphirus noſtra, nulla habet aurea puncta: egregieque pellucida eſt, & Scalpturæ vel maximè idonea, neque in illa interveniunt Cryſtallina centra, quare non poteſt eſſe illa gemma quam Antiqui nominarunt Sapphirum. Epiphanius c. v. Λίθος Σάπφειρος πορφυρίζων, ὡς βλάττης πορφύρας τῆς μελαίνης τὸ εἶδος. πολλὰ δὲ τούτου γένη ὑπάρχουσιν· ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς, χρυσοστιγής. οὐ πάνυ δὲ οὗτος θαυμαζόμενος, ὡς ὁ διόλου πορφυρίζων. Ex quo apparet, unam puncta aurea habuiſſe, alteram nulla, ſed plane purpuream fuiſſe; quam & Cl. Salmaſius in Solin. pag. 133. indicat tranſlucidam fuiſſe, cariorem, & Plinio ignotam.

Boetius ſcribit, Sapphirum noſtram florum myoſotidis aut ſcorpioidis colorem referre. Iulius Scaliger, Thalaſſium colorem qui & venetus dicatur, Sapphirinum effici ſi fulgor addatur. Quare quis ſuſpicari poſſit, Sapphirum hanc noſtram ab Epiphanio vocari Hyacinthum Thalaſſiten ὑδαρέστερον. Nam ut Garſias ab Orto ſcribit, atque ad eundem modum alii, & res ipſa probat; duo hodie obſervantur huius Sapphiri pellucidæ genera: unum ſature admodum cyaneum; alterum dilute cæruleum & ſplendens, Sapphirum aqueam vulgo vocant gemmarii. Prius marem, poſterius fœminam appellant. Quibus accedunt ita albicantes & prorſus omni cæ-

rulco

ruleo colore vacuę ut adamantes mentiantur: quanquam & arte tales è cæruleis fiant: nam Sapphiris haud difficulter igne detrahitur color. Denique & quartũ genus, pellucidũ quidem & ipſum, ſed mollius & lactei coloris cui aliquid cærulei admixtum; omnium viliſſimum.

Invenitur hæc gemma in Calecut, Cananor & variis locis regni Biſnagar: præſtantiores in Inſula Ceylon; omnium autem laudatiſſimæ è Pegu adferuntur. Boetius ſcribit & ſatis præſtantes reperiri ad limites Sileſiæ & Bohemiæ. Diſtingui itaque poſſunt in Orientales & Occidentales; quæ tamen multò viliores.

Tametſi vero oculis adeo grata ſit hæc gemma, nullius tamen, (inquit Garſias) quantumvis magnæ & vividi coloris, pretium mille Luſitanicos aureos ſuperaſſe invenietur. Cæterum pro coloris elegantia, mole & perfectione pretium ponunt; & ſunt qui poſt Adamantem, Rubinum & uniones, quartam inter gemmas dent dignitatem. Eſt autem paulo tenerior Rubino, quemadmodum à perito artifice accepi: formatur ſmiridis pulvere, politurque tripla ſuper orbem æneum. Scalpitur quoque nonnumquam, ſed non niſi pulvere adamantino.

Ea autem quæ candidior eſt vel aquea à natura vel arte, colore Indico ſublinitur ut cæruleam veram & præſtantem mentiatur: quamquam gemmariis hoc ſit vetitum, niſi gemmæ aliquid inſculptum ſit, quo dignoſcatur. Nullam autem gemmam maioris eſſe in medicina uſus, omnes pene ſcriptores prædicant, eique tribuunt virtutes plane admirabiles, quas prolixe explicat Boetius: medici viderint, nobis non eſt propoſitum eas excutere: hoc tantum dicimus, non levem ſcrupulum oboriri, quod eas pleraſque ex antiquis ſcriptoribus hauſerint, qui de

alia

alia gemma loquuti ſunt, ut iam ſupra oſtendi. Vide quæ poſtea dicentur de Cyano.

Adulteria huius gemmæ prætereo, quia Boetius accurate illa notavit.

CAP. VIII.

De Smaragdo.

SMaragdus notiſſima gemma eſt, Σμάραγδος græcis; Perſis & Indis, ut notat Garzias, *Pachee*, Arabibus *Zamarrut*, nō *Zabarget*, ut habet vulgatus Serapionis codex, aut *Tabarget*, ut pandectarius: ubi tamen Ioſephus Scaliger legendum putat *Zamardun*; & dici quoque Zamargedun; nomine proxime accedente ad Græcum: Epiphanius ſcribit à nonnullis Praſinon appellari; ab aliis Neronianum vel Domitianum: cuius nominis cauſas addit haud admodum veriſimiles.

Theophraſtus numerat eam inter eas quæ ſunt raræ & admodum parvæ. Scribitque reperiri in Inſula quę adiacet Carthagini: pro qua tamen Cl. Salmaſius tam hîc quam apud Plinium legendum cenſet Chalcedoni: Furlanus ſervat Carthagini, putatque Cotonen intelligi, in qua ærariæ fuerint: Hanc quidem Strabo lib. 17. Carthagini obiacere dicit, ſed non meminit ærariarum; neque ibidem fuiſſe autumo, niſi aliquis idoneus author producātur.[a] Plinius author eſt, à veteribus tertiam authoritatem Smaragdis perhibitam, nimirum poſt Adamantem & Margaritas: nullius enim, inquit, coloris aſpectus iucundior eſt, nihil omnino viridius illis comparatum viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata aſpectu Smaragdi acies recreatur. Scal-

 penti-

a Lib. 37. c. 5.

pentibus gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt, ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent. Prǫterea longinquo amplificantur viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aerem, non ſole mutati, non umbra, non lucernis, ſemperque ſenſim radiantes & viſum admittentes, ad craſſitudinem ſui facilitate tranſlucida. Numerat autem Smaragdorum genera duodecim.

I *Nobiliſſimi*, inquit, *Scythici, ab ea gente in qua reperiuntur appellati. nullius maior auſteritas, minus vitii.* Unde Smaragdus à Martiano appellatur Scythides. *Nam neque Schytidis vireta*, inquit, *nec Cerauniorum vibrans fulguranſque lumen, nec flucticolor Hyacinthi credebatur abeſſe profunditas.* Martialis vocat Smaragdos Scythicos ignes:

Gemmatum Schyticis ut lucet in ignibus aurum,
Adſpice quot digitos exuit iſte calix.

Atque hi forte Neroniani, vel à feritate & crudelitate gentis apud quas inveniebantur, vel quia Neronem gladiatorum pugnas ſpectaſſe Smaragdo ſcribit Plinius. Diſtichon in ſeculum Conſtantini alludit ad utrumque, tam gemmam quam agnomen.

Saturni aurea ſecla quis requirat?
Hæc ſunt gemmea, ſed Neroniana.

Ubi oblique notatur Conſtantini crudelitas in uxorem & filium.

II. *Proximam*, inquit Plinius, *laudem habent ſicut & ſedem Bactriani.* De quibus Theophraſtus; in MSto erat, τῶν ἐκ † ανων: Turnebus hanc lacunam explens legit Τανῶν, quia Plinius Tanon Smaragdis inſeri ſcribit: verum alii melius, τῶν ἐκ Βακτριάνων; nam eorum etiam poſtea meminit Theophraſtus: Invenitur, inquit, & in Cypro Smaragdus in æris (non auri ut Furlanus) metallis: quibus vero utuntur ad λιθόκολλα, è Bactrianæ deſertis feruntur: legunt au-

tem

tem egreſſi equites Eteſiis flantibus, hinc enim fiunt conſpicui, arena à ventorum vehementia ſummota. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 197. ad locum Plinii quo dicit reperiri in commiſſuris ſaxorum, &c. iudicat illum τὰ λιθόκολλα pro commiſſuris ſaxorum perperã accepiſſe. Atq; deinceps oſtendit differentiam inter τὸ λιθόκολλον & τὴν λιθοκόλλαν, hæc, inquit, ita dicitur, quæ lapides conglutinat: illud quod è lapidibus vinctum eſt & coagmentatum. Τὰ λιθόκολλα igitur vaſa ſunt lapidibus pretioſis vincta, quæ & λιθοκόλλητα dicebantur. Smaragdis autem ut plurimum utebantur ad pocula inſignienda. nec alia fere gemmis ornabant niſi aurea; unde *aurum gemmatum.* & quia viridis color optime cum auro convenit, gemmas viridantes in oculandis poculis ut plurimum adhibebant, inter quas Smaragdus tenet principatum, &c. Atque hoc veriſſimum eſſe liquet: Vidi nuperrime apud amicum gemmarium, poculum elegantiſſimũ ex Orientalibus Smaragdis compoſitum; gemmis perpolitis & ad capacitatem poculi excavatis, & puriſſimo auro inter ſe commiſſis, opere plane admirabili: ita ut antiquiſſimum eſſe ſatis appareret, & Martialis ſententiam confirmaret.

III. Tertium locum Aegyptii habent, qui eruuntur circa Copton Thebaidos oppidum, in collibus & cautibus.

IV. Reliqua genera in ærariis metallis reperiuntur: *Principatum,* inquit, *in his obtinent Cyprii, quorum dos eſt in colore, nec liquido nec diluto, verum humido pingui, quaque perſpicitur, lucidum mare imitante: tranſlucet pariter & nitet.* Horũ varia ſunt vitia, ſecundum quæ & varia genera diſtingui ſcribit Plinius. Ea autem partim ſunt in corpore, partim in colore gemmæ. Coloris vitia ſunt, quod varie glauci, in eodem Smaragdo,

ragdo, aliis partibus magis minuſve non ſemper cuſtodiant tenorem illum Scythicæ auſteratatis. Ad hoc quibuſdam intercurrit, umbra, ſurduſque fit color, qui improbatur, etiam dilutior. Unde aliqui ſunt obſcuri, quos vocant cœcos: alii denſi nec è liquido tranſlucidi; quidam varia nubecula improbati: qua fit ut aſpectus non pertranſeat; ſed candor aut intus occurrat aut in fine excipiat viſum. Corporis vitia ſunt, capillamentum, ſal, plumbago.

V. Aethiopici, qui trium dierum itinere à Copto eruuntur, ut auctor eſt Iuba, acriter quidem virides, ſed haud facile puri aut concolores.

VI. Herminei, pinguiter extumeſcentes.

VII. Perſici, non tranſlucidi, ſed iucundi tenoris, ita ut viſum expleant, quem non admittunt, felium pantherarumque ſimiles: in Sole hebetantur, umbra refulgent, & longius nitent quam cæteri: in Sole dilucidi quidem & liquidi, ſed non virides.

VIII. Attici, in argentariis metallis reperti, ſemper minus (forte cominus) pingues, è longinquo ſpecioſiores. frequens illis vitium plumbago, id eſt, ut in Sole plumbei videantur. Illud vero peculiare, quod quidã ex iis ſeneſcunt, paulatim viriditate evanida, & Sole læduntur.

IX. Medici. hi plurimum viriditatis habent, interdum & è Sapphiro; fluctuoſi ac rerum imagines complexi, ut verbi gratia papaverum aut avium, &c. qui non omnino virides naſcuntur, vino & oleo meliores fiunt; neque eſt aliorum amplior magnitudo.

X. Carchedonii (vel ut Cl. Salmaſius iudicat Chalcedonii) fragiles, coloris incerti virentium plumarum in caudis pavonum aut columbarum ſimiles, ad inclinationem magis aut minus lucidi, venoſi, ſquamoſique, viliſſimi denique & minimi. Hos

iam

iam ſuo ævo defeciſſe unà cum ærariis ſuſpicatur Plinius. Sed inducor ut credam, omnes quos in ærariis metallis inveniri prodit, potius fluores fuiſſe, quam veras gemmas.

XI. Qui cholon vel cholun appellantur, quos in Arabia ædificiorum ornamentis includi, auctor eſt Iuba.

XII. Laconici & Siculi, quorum illi in Taygeto monte eruuntur Medicis ſimiles.

Inſeritur & Smaragdis Tanos gemma è Perſis veniens, ingrate viridis ac intus ſordida. Uti & Chalcoſmaragdos è Cypro, turbida æreis venis. Habeo talem dilute viridem, & veluti æris ſcobe refertam, qua auri inſtar ſcintillat. Atque hæc quidem genera Smaragdorum à Plinio produntur, quæ licet hodieque maximam partem haberi haud dubium ſit, non tamen tam operoſe diſtinguuntur; ſiquidē iam vulgo dividūtur in Orientales:&Occidētales:quorū illi duriſſimi ſunt & perfectiſſimi, ita ut Scythicorū notæ omnes exactè conveniant. Periti gemmarii hanc differentiam inter utroſque ſtatuunt; quod illorum viriditas quodam modo videatur exire in flavedinem quandam, horum vero in Cyaneum. Adferuntur ad nos ex India, ſed incertis natalibus, aut ſaltem qui ab auctoribus non produntur. Obſervatum quinetiam à gemmario imprimis celebri, in Aegypto ad oppidum Cairo clanculum ab Aethiopibus Smaragdos venales adferri, unde proclive opinari, haud longe ab illa urbe reperiri: nam quum ille narret ſe ab agreſti homine aliquot extra urbem emiſſe, qui ſe protinus ſurripuerit, non eſt veriſimile ex India commercio quæſitos.

Inter Occidentales excellunt Americani: in illa enim parte orbis variis locis inveniuntur, auſteri coloris atque etiam amæniſſimi, ita ut nonnumquam

Orientales ſuperare credantur, imprimis nitore quodam præcellenti: potiſſimum autem in Peruvia haud longè à Promontorio Helenæ in provincia *Manta:* Unde ſuperiori ſeculo tanta copia in Europam fuerunt illati, ut non modo ipſi viluerint, ſed & multum de Orientalium auctoritate & pretio detraxerint. Eruuntur & in Braſilia, nuperque eorum fodina inventa haud longe ab oppido Spiritus Sancti; uti didici è literis Ieſuitarum, qui illam ſtuduerunt ſibi vindicare.

Notant præterea periti gemmarii, in Smaragdo vitiũ quoddã peculiare reperiri, quod neque vomica neq; nebula dici poſſit, ſed coloris quibuſdam partibus magis eminens & veluti contracta auſteritas, vomicæ haud abſimilis, ſine tamen continui ſolutione; atque hoc tam familiare illis eſſe ut etiam præſtantiſſimi, ſi bene advertas, raro admodum illo careant: huic vitio ſi vomica, aut nebula aut ſal accedant, fit gemma plane iniucunda & lugubris aſpectu: cæterum hoc vitium inter formandum aut poliendum minime deprehenditur aut remoratur artificem, uti cætera; vomicis interdum ita manifeſtis uti lithocolla vulnera conſolidata videantur. Geſnerus ſcribit Smaragdos Braſilienſes eſſe cylindri ſpecie, ſtriatos, vitro, ſimiles porracei coloris & perſpicuos; quorum & Iconem exhibet.

Europæi autem ſunt viliores, quos & in Britannia reperiri ſcribit Boëtius: ſed Camdenus horum non meminit, neque quicquam ibidem de illis comperi. Theophraſtus ſcribit Smaragdum ex Iaſpide videri naſci: ferunt enim, inquit, inveniri aliquando in Cypro gemmam, cuius dimidium Smaragdus, dimidium Iaſpis, tanquam nondum ab aqua plane mutata gemma. Vidi, inquit Boëtius, lapidibus metallicis angulares ita innaſci ut politi ac impoſiti arte non

natura

natura viderentur. Certè in Peruvia & aliis Americæ provinciis duris innaſcuntur petris, unde inter excidendum, vomicas illas, quæ ipſis vitia eſſe diximus, contrahant.

Naſcuntur autem variis formis: Plinius dicit plerumque eſſe concavos ut viſum colligant, (quanquam hodie ab artificibus non raro ita formentur ut vitia exſcalpant aut melius tegant.) *quapropter*, inquit, *decreto hominum iis parcitur ſculpi vetitis.* Quanquam Scythicorum, Aegyptiorumque *duritia tanta eſt, ut nequeant vulnerari.* Ita viſum antiquis. hodie nulla tam dura eſt gemma, cuius ſcalpendæ modum artifices non invenerint. *Quorum vero corpus extenſum eſt, eadem qua ſpecula ratione ſupini imagines rerum reddunt.* Nero princeps gladiatorum pugnas ſpectabat Smaragdo. Americani autem, naſcuntur fere columnari forma, ſexangulis ut plurimum lateribus licet raro æqualibus; in matrice dura, è candido cinerea, ſemiopaca, quæ diffracta non pellucet & ad Chalcedonium videtur accedere : licet multi opinentur non omnes in tali matrice naſci.

Smaragdi raro reperiuntur magni: Theophraſtus tamen tradit, in Aegyptiorum commentariis reperiri (ſi tuto, inquit, ipſis credatur) Regi eorum à Rege Babylonio miſſum Smaragdum munere IV cubitorum longitudine & trium latitudine. Et fuiſſe apud illos in Iovis delubro obeliſcum è quatuor Smaragdis XL cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum. Eorum autem qui Bactriani dicuntur , longe maximus in Tyro: pila enim prægrandis viſitur in templo Herculis, niſi forte pſeudo-Smaragdus fuerit, nam & hoc genus reperitur. *Aiunt*, inquit, [a] Iul. Scaliger, *Venetiis patinam eſſe inſigni magnitudine ſolidam è Smaragdo;*

a Exerc. 136.

ragdo; etiam apud Genuenſes neſcio quid. Agricola lib. VI de Nat. Foſſil. *Smaragdi aut plani ſunt aut concavi, qualis in Liguria nobiliſſimus ille Genuenſium, catino ſimilis, quem acceperunt à Balduino Syriæ rege, Tripoli & Cæſarea à Saracenis liberata; & alter in Galliæ Narbonenſis Cœnobio, quod eſt in agro Lugdunenſi: atque hi quidem permagni. nec parvus in Bohemia Pragæ conſpicitur in Sacello d. Venceſlai, dodrante enim maior eſt: quo etiam longior Magdeburgiis quem continet pars aurea capſulæ turritæ, in qua Euchariſtia geſtatur. Ottonis I capulum cultelli fuiſſe dicunt, nam perforatus eſt.* Alioquin, ut iam dixi, Smaragdi haud magni ſunt, qui autem maiores celebrantur potius marmora ſunt, aut arte concinnati. Legi clariſſimi gemmarii qui ſuperiori ſeculo vixit, obſervationes: is narrat, anno 1540 Smaragdos in ſummo apud magnates & opulentiores cives pretio fuiſſe, ita ut cum adamantibus de gloria certarent: maximum tamen quem ipſe viderit non ſuperaſſe pondus XXV c erat. anno 1571, adhuc æſtimatum XX mill. coronatis, quum ante triplo maiori pretio venundari potuiſſet. De Orientalibus loquitur; nam Peruviani longe maiores reperti, ita ut nonnumquam ovum columbinum ſuperent.

Cæterum Smaragdi Orientalis eadem eſt durities quæ Sapphiri, ad quam proxime accedit Braſilienſis: Americanus omnium tenerrimus eſt. Formantur autem pulvere Smiridis, in pollinē tuſi ſuper plumbeum orbem, & poliuntur tripla; cui interdum & aliquid plumbi aduſti additur, quum paulo durior eſt gemma. Adulteria huius gemmæ vide apud Boëtiū.

Plures & inſignes virtutes Smaragdis attribuuntur & magni in Medicina uſus: Ioannes Langius ſcribit Smaragdum in Diamargariti Meſuæ compoſitione primas habere: Viperarum morſibus mederi, hæmorrhoides ſiſtere femoribus alligatam, partum ac-

celerare. Huius novem grana levigata & per cribrum excreta in aqua calida ieiuno ſtomacho hauſta profluvium ventris, ex acrimonia pharmaci vel humorum putridorum excitatum ſiſtere; ut Avenzoar in prologo conſilii ſui Soldanum docet; & Averr. approbat. Eadem habet & Boëtius. Confirmat & hoc nobili exemplo Zacuthus in Praxi admirabili. lib. III Obſervat. 87. *Malum*, inquit, (loquitur de ventris fluxu diuturno) *ſolum Smaragdo ex Avenzoaris decreto tenuiſſime trita, & conſerva Cydoniorum obvoluta, conquievit. Hanc alternis diebus ieiuno ventriculo aſſumebat. Superbibita aqua in qua tragacanthum prius erat incoctum. Smaragdi quantitas erat pondus* XII *granorum, quam cum quinquies devoraſſet, à fluxu immunis evaſit.* Verum Garſias putat, eos plurimum halucinari qui in Electuariis de gemmis Smaragdum præſcribi putant, exiſtimantes per Ferruzegi Smaragdũ intelligi. Feruzam enim Arabibus eſſe Turcheſiam noſtram. Ad quæ Ioſephus Scaliger annotat: Garziam in eo falli quod Feruzegi vel Feruza idem eſſe crediderit; Se quidem neſcire quid ſit Feruzegi; ſed paraphraſim Perſicam Hebræorum Noſech explicare per Firuza: Onkelon autem idem Noſech interpretari Smaragdum. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 1130. Iiſdem Perſis *Feruza* aut *Firuza* nomen eſt gemmæ. Ea noſtra eſt Turcheſia. Sed ex Græco ſumptum vocabulum. Iaſpis ἀερόεσσα vel ἠερόεσσα & contractè ἠεροῦσα. Unde Perſicum *Firuza*. Ἀερόεσσα autem Iaſpis quæ cælini coloris eſt, plane eadem cum noſtra Turcheſia. Inde etiam factum Arabicum. *Feruzegi* ex ἀερίζουσα corruptum. Quidam Smaragdum interpretantur, alii Sapphirum. Verum iidem Arabes Smaragdum vocant Zamardum ex græco infimæ ætatis Ζμάραγδος. De Braſilianis Smaragdis adhuc quædam dicenda: horum color ſa-

turè virens, quaſi fuligine quadam videtur infectus, ingrato aſpectu: Geſnerus porraceum colorem tribuit; ſed perperam. Forma, ut ante dictum, ut plurimum ſunt cylindri, tribus lateribus fere æqualibus: non raro tamen ſingula latera convexitatem quandam in medio produnt, tanquam natura plura latera fuiſſet molita : Sæpe etiam latera nonnihil ſubſident velut ſulco per medium ducto : reperiuntur & plurium laterum, nulli plani. Latera autem omnia oblongis lineis perducta ſunt veluti arte & runcina factis. Formabantur ſuperiori ſeculo ut alii, ſed poſtquam præſtantiſſimum genus tantopere viluit, de his hodie vix ſermo eſt, quum ne ante quidem, quum adhuc in uſu eſſent, pretium granatorum æquarent, aut ſaltem non ſuperarent.

Cap. IX.

De Praſo & Chryſopraſo.

PRaſus ſive Praſius, Theohraſto πρασίτης, ex viridantium eſt genere, ſed vilioris, ut Plinius loquitur, turbæ: porracei eſſe, coloris nomen indicat, ſed remiſſioris, neque plane praſini; unde Theophraſtus ſcribit ; αὕτη δ' ἰώδης τῇ χρόᾳ, id eſt, æruginei coloris: noſtrique gemmarii colori illius viridi ſemper aliquid flavi admixtum putant. *a* Plinius tria illius genera agnoſcit : Praſium ſimplicem: alterum ſanguineis punctis obhorrentem; tertiam virgulis tribus candidis diſtinctum. Boetius qui accuratè huius gemmæ naturam & differentias animadvertit, differentias illius, ratione coloris, facit tres: primam eorum qui exacte viridis porri colorem æmulantur: ſecundam eorum qui multum flavedinis habent ac filicis fere areſcentis colorem: tertiam eorum qui

exigua

a *Lib.* 37. *c.* 8.

exigua viriditate, maiorique flavedine pene lacteſcunt: hos tamen potius ad Nephriticorum claſſem ablegandos putat, utpote ſemiperſpicuos. Creditur autem Praſius eſſe mater Smaragdi, quia aliquando in illo reperitur.

Annaſcitur autem ut plurimum Iaſpidi, aliiſque gemmis, etiam Cryſtallis, unde & ſæpe aliquid rubri vel albi vel etiam atri ab illis mutuatur: reperitur vero non tantum in India, ſed etiam in Europa, potiſſimum in Bohemia viciniſque provinciis. Vilis eſt gemma, & tanta interdum reperitur mole, ut ſtatuæ ex illa fieri poſſint.

Paulo maioris dignationis eſt Chryſopraſus (non Cryſopaſſus ut quidam ſcribunt.) præfertur enim Praſiis. Hæc quoque gemma porri colorem refert, ſed paulum declinat à Topazio in aurum, ut loquitur Plinius: qui quum ante dixiſſet capite quinto, de Chryſoberillis agens, paulo pallidiores eſſe, ſed in aureum colorem exeunte fulgore; addit; vicinum huic genus eſt pallidius, & à quibuſdam proprii generis exiſtimatur, vocaturque Chryſopraſus. Et cap. XI Colos appellavit Chryſopraſum herbaceũ. Chryſopaſus itaque, ut ſcribit Boetius, eſt Praſius aureum ſplendorem porri viriditate immixtum habens. Grata admodum adſpectui gemma & iiſdem cum Praſio viribus; quas opinantur eaſdem eſſe quæ Smaragdi, ſed debiliores: hoc tamen Praſio proprium aſſcribunt, quod præſente veneno colorem amittat, & non niſi lotus recuperet.

Ad hanc claſſem quoque pertinet gemma, quam gemmarii noſtri vocant Smaragdo-praſum, quia inter utramque ambigit. Graminis enim, inquit Boetius, virorem habet, neque tantum flavedinis in eo reperitur, quantum in Praſio, paulo tamen plus quam in Smaragdo. Accedit quod pene opaca

ſit

ſit gemma, & tantum aliquando perſpicua. Boetius dubitat an ſit [a] Chlorites Plinii. *Chlorites*, inquit, *herbacei coloris eſt, quam dicunt Magi reperiri in motacillæ avis ventre, congenitam ei.* Nihil hæc ad noſtram quam tractamus. Rectius ad Nephritici lapidis ſpecies referri opinor, ſiquidem & eiſdem viribus dicitur pollere.

Invenitur tam in America quam Bohemia.

Cap. X.

De Berillo.

Βήρυλλος Græcis, Beryllus Latinis, id nomen hodieque apud multos obtinet; licet à pleriſque præſertim Italis, *Aqua marina* appelletur. Boetius ſcribit Hebræis vocari *Iaſchpeck*, atq; inde quoſdam opinari à Iaſpide nomen eſſe deductū; malè utrumque: nam ut recte iudicavit ſummus Vir Ioſephus Scaliger, è duodecim gemmis quæ rationali ſummi Sacerdotis aſſcribuntur, tantum duæ hodie ſuo nomine illo ſunt notæ, Sapphirus & Iaſpis. Idem putat Berylli nomen commune fuiſſe pene omnibus gemmis, quæ Cryſtalli inſtar diluto aliquo colore tinctæ ſunt, atque Italos ad hunc modum vocare Cryſtallos qui multiplici angulorum reflexu aliquos colores videntur in ſe habere. Verum neque illius ſignificationis veſtigium apud veteres inveni; neque huius video Italos qui de gemmis ſcripſerunt meminiſſe: Berillus itaque gemma fuerit ſui generis. *Eandem multis naturam*, inquit [b] Plinius, aut certè ſimilem habere videntur Berylli; ſcilicet quam Smaragdi; eſt ergo color illis quodammodo viridis: ſed hæc differentia eſt, quod Berylli viriditas pallidior ſit quam Smaragdi. Glauci enim ſunt Berylli & virides,

a *Lib.* 37. c. 10. b *Lib.* 37. c. 5.

rides,ſicut purum mare; Smaragdi vero herbaceum virorem habent & auſterum. Græci enim optimam vocant γλαυκλὼ. Plinius: probatiſſimi autem *qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi, qui vocantur Chryſoberylli, & ſunt paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore.* Id eſt, ut Iſidorus interpretatur, Chryſoberyllus dictus, quod pallida eius viriditas in aureum colorem reſplendeat. *Vicinum huic genus eſt pallidius & à quibuſdam proprii generis exiſtimatur, vocaturque Chryſopraſius* (de quo iam dixi.) His adiicit Hyacinthizontas, aëroides, cerinos, oleagineos, colore nimirum ceræ & olei; qui haud dubio alterius ſunt generis, aut in hoc valde vitioſi: nam quibus nihil viroris eſt, meo iudicio non ſunt ad Beryllorum claſſem referendi. Omnes gemmæ quæ hodie Berylli aut aquæ Marinæ nomine appellantur, magis minuſve virore quodam marino pellucent: licet quidam non multum à Cryſtallo differant, præterquam duritie: de Natalibus huius gemmæ, vitiis & virtutibus ſatis accurate ſcripſit Boetius. Obſervat Plinius ſuo ævo ab artificibus politos fuiſſe ſexangula figura, quoniam hebeſcunt, ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur: Indoſque mire delectatos longitudine eorum, & prædicaſſe ſolas eſſe gemmarum, qui auro carere malint, ideo perforatos Elephantorum ſetis religaſſe.

Gemma hæc hodie in nulla eſt authoritate, licet amæniſſimo ſit aſpectu. Vidi ſexangula plana forma factas, quibus hominum facies erant inſcalptæ: quæ à poſtica parte, quæ nonnihil convexior eſt, melius ſpectantur; & habeo ipſe talem, cui formoſiſſimæ fœminæ facies inſcalpta.

Quia autem hæc gemma viluit, non eſt operæ pretium differentias illius excutere, aut de adulteriis eius laborare.

Hoc

Hoc tamen non prætereundum, veteres etiam Beryllos ad pocula aurea inſignienda adhibuiſſe; uti docet Cl. Salmaſius ex illo Iuvenalis:

& inæquales Beryllo
Vitro tenet phialas.

id eſt, Beryllo textas & per hoc inæquales, aſperitate & extuberantia gemmatum. Sic enim locus legendus, cum in editis ſit *Beryllos*.

Cap. XI.

De Topazio veterum, quem recentiores perperam vocant Chryſolithon.

Antequam viridantibus gemmis defungamur, explicanda eſt Topazii natura, quam gemmam hodie gemmarii perperam vocant Chryſolithon, ſicut vice verſa Chryſolithon veterum dicunt Topazium; quem errorem & Boetius notavit. *Topazio,* inquit [a] Plinius, *apud antiquos egregia fuit gloria, quam gemmam veteres omnes conſentiunt primum repertam in Inſula Arabiæ obiecta, quæ vocatur Chitis. in illa cum Troglodytæ prædones, diutius fame tempeſtate preſſi, herbas radiceſque effoderent, eruerunt Topazion. Iuba vocat ipſam Inſulam Topazon in mari rubro ccc ſtadiis à continenti, nebuloſam & ideo ſæpius quæſitam à navigantibus, unde & nomen acceperit à Topazin, quod Troglodytarum lingua ſignificet quærere.* Verum τοπάζειν græcum eſt, & ſignificat coniectura aliquid indagare. [b] Strabo ſcribit; poſt ſinum in cuius gremio ſita eſt Berenice eſſe Ophiodem inſulam (hinc Chitis corrupta videtur) ab anguibus ita dictam, in qua hæc gemma primum fuerit reperta. Quicquid ſit de loco natali: λίθος ἐςὶ, inquit Strabo, διαφανὴς χρυσοειδὴς, ἀπολάμπων φέγγος. Ad eundem modum conſentiunt anti-

a *Lib.* 37. *c.* 8. b *Lib.* 16.

antiqui, hanc gemmam ſuo genere virentem eſſe, ut loquitur Plinius. Alexander Polyhiſtor apud Stephanum: ὅμοιον τῇ χρόᾳ τῇ τοῦ νέου ἐλαίου. id eſt, habere virorem olei recentis, quod ita viride eſt ut ex aureo colore aliquid trahat. Agatharcides: ὑάλῳ προσεμφερὴς λίθος. Diodorus: ἐπιτερπὴς, ὑάλῳ παρεμφερὴς, καὶ θαυμαστὴν ἔγχρυσον πρόσοψιν ἀποδιδοὺς. Orpheus, ὑαλοειδέας τοπάζους vocat. Virgilius: Hyali *ſatura fucata colore.* Servius vitreum & viridem interpretatur. Ad eundem modum antiqui omnes quos quidem viderim, huic gemmæ quam appellant Topazium virorem quendam ſuum tribuunt, licet aureo fulgore renitentem. Solus Epiphanius: λίθος Τοπάζιος, ἐρυθρὸς τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν ἄνθρακα. At gemmarii noſtri ævi in Topazio ſuo nihil viriditatis agnoſcunt, aureum colorem illi proprium indicantes: & gemmas omnes quæ cum virore aureum ſplendorem habent vocant Chryſolithos: verum Topazium recentiorum nullo modo eſſe eundem cum Topazio veterum, è collatione notarum quæ à Plinio illi tribuuntur liquet: primo dicit, ſuo virere genere: deinde ampliſſimam eſſe gemmarum; adeo ut ſtatua ex illa facta fuerit Arſinoæ Ptolomæi Philadelphi uxori & quidem quatuor cubitorum: noſtrorum vero Topaziorum moles vix adamantes æquat: tertio addit, eandem ſolam nobilium limam ſentire & quidē ipſo uſu atteri: quod hodierno minime competit, ſiquidē proximam duritiem obtinet poſt Rubinum & Sapphirum. Unde recte iudicavit Boetius, gemmam quæ hodie Chryſolithus audit, eſſe Antiquorum Topazium, optimè enim conveniunt notæ, præſertim durities omnium infima: quanquam perperam iudicet Chryſolithi nomen commune fuiſſe pluribus gemmis, uti ſtatim dicturus ſum.

De præcipuis natalibus huius gemmæ iam dictum

eſt: *Recentiſsimi authores*, inquit Plinius, *& circa Thebaidos oppidum Alabaſtrum naſci dicunt: & duo eius faciunt genera, praſoeiden atque Chryſopteron ſimilem Chryſopraſio; eius enim tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur*: E quibus rurſum patet, quod ante dictum, in veterum Topazio porracei ſucci ſimilitudinem requiri; atque inde quidem primam ſpeciem praſoeiden dictam à cognatione cum Praſio; alteram vero à fulgore in colorem auro ſimilem exeunte Chryſopteron. Quanquam Cl. Salmaſius Chryſopetron legendum exiſtimet, quia eſt, (ut ſtatim ſequitur) ampliſſima gemmarum. Verum notandum, auri fulgorem in hac gemma accidentarium, porri ſimilitudinem propriam: quod Plinius manifeſte docet in ſequentibus, cum Callainam gemmam è viridi pallentem, Topazio ſimilitudine propiorem fuiſſe ſcribit, quam authoritate. Cæterum hodie Chryſolithis noſtris, quos veterum Topazios fuiſſe non dubito, nulla plane eſt authoritas & pretium admodum vile; quia paſſim in Germania & Bohemia reperiuntur, & quidem tanta interdum mole, ut Boetius ſcribat ſe vidiſſe duarum ulnarum longitudine, ſemiulnæ latitudine, licet hoc de Europæis ſcribat. Quare polituræ operam, pretium haud multum excedit.

Mirum autem quas non virtutes huic gemmæ tam ambigui nominis attribuerint medii & ſuperiores ævi ſcriptores; quas commemorare minime neceſſarium eſt; non magis quam caſtigare quæ Boetius noſter in huius gemmæ deſcriptione peccavit, dum in lapicidinis Alabaſtri reperiri, & à Iuba Mauritaniæ rege, teſte Plinio, nomen accepiſſe ſcribit.

Cap.

CAP. XII.

De Chryſolitho veterum, recentiorum Topazio.

DIximus ſuperiori capite Topazium veterum non recte à recentioribus vocari Chryſolithũ, & contra Chryſolithum veterum nunc appellari Topazium: explicanda itaque iam Chryſolithi veterum natura, in qua à Neotericis multis modis peccatum eſt, nam præter id quod iam notavimus, etiam cum Hyacintho confuderunt, ex occaſione quam ſupra apervimus.

Colos, inquit [a] Plinius, *appellavit Chryſolithum aureus.* Item: *Aethiopia mittit & Chryſolithos aureo colore tranſlucentes.* quibus aureum colorem tam peculiarem aſſignat, ut optimas earum dicat, quæ in collatione aurum quadam argenti facie cogant albicare: quod eſt, aurum fulgore ſuperare. Epiphanio autem dicitur χρυσίζων. Recte quoque iudicat Agricola, Chryſolitho unum eſſe colorem aureum, uti & Sandaſtro. Credo autem cum multæ gemmæ ab accidenti Chryſo agnominationem accipiant, hanc per excellentiam Chryſolithum dictam, utpote quæ aureo colore ſolo tranſluceat: ſi quis alius color accedat, id ab accidenti eſt vel potius vitio: cum cæteræ à fulgore in alio aliquo colore id agnomẽ ſortiantur.

Plinius illi natales tribuit in Aethiopia; ſed præſtantioribus in India, & ſi variæ non ſint, id eſt, vitio careant, in Bactriana; deterrimis autem in Arabia, quoniam ſunt variæ, & fulgoris nubilo macularum interpellati; atque adeo quæ limpidæ contigere, veluti ſcobe ſua refertæ. Addit & quaſdam reperiri quæ in Electri colorem declinent & propterea Chryſelectri dicantur; fieri & Leucochryſos, intervenien-

a *Lib.* 37. *c.* 11.

veniente candida vena;item vitriis ſimiles veluti croco refulgentes: denique melichryſos, veluti ſincero melle per aurum tranſlucente. Atque ita varias ſpecies hic ſimul accipimus, ſed ita confuſim,ut non potuerit non varios errores, in medii & quodammodo barbari ævi ſcriptoribus, & noſtris gemmariis hominibus ut plurimum illiteratis, parere. Ut hæc explicemus paulo accuratius, hanc methodum ſequemur. Præſtantiſſimi & veri Chryſolithi ſunt, quos ſolus auri color & fulgor commendat, ſine vitiis aut ſaltem paucis, (ſine quibus vix gemmæ naſcuntur,) quas gemmas hodie appellant Topazios Orientales, omnibus pene gemmis duriores, præter adamantes: hi inſtar puriſſimi auri rutilant: nonnumquam tamen ita tincti ſunt, ut nimium crocei in illis accuſetur, alias ita diluti, ut ad adamantes quamproxime accedant; modus aurei coloris inprimis in illis laudatur. Quas ex hoc genere in Electri, id eſt, Succini colorē ſcribit declinare, omnino ſunt Hyacinthi Neotericorum, quibus & cætera illa vitia accidunt, vena candida, vitrum & melleus ſtupor, de quibus dictum in VI. capite de Hyacintho. His addunt hodie Topazios, ut vocant, Europæos, inſtar Cryſtalli molles, quique cum aureo colore vel multum vel parum nigricant, ut loquitur Boetius; qua nigredine dilutiores à Cryſtallis diſtinguuntur; elegantiores autem qui puro aureo colore ſplendent, non niſi duritie ab Orientalibus differunt. Porro Orientales Topazii & veri antiquorum Chryſolithi, antequam tanta adamantum copia eſſet & vilitas, nonnullam authoritatem tuebantur, præſertim ſi omni vitio carerent; nunc in nullo ſunt uſu; niſi quod inſigni fraude quidam illos urunt, quemadmodum & Sapphiros, ut ita adamantes mentiantur; quæ fraus non facile animadvertitur niſi

niſi ab admodum peritis. Adulterari poſſunt & ipſæ, ſicuti cæteræ gemmæ.

Denique & magnificæ virtutes tribuuntur huic gemmæ, quas non eſt operæpretium referre; ocioſorum hominum commenta ſunt , & quibus non fuit curæ rectè deſcribere gemmas, quarum virtutes commendabant. Nam ut hoc obiter dicamus, *Camillus Leonardi*, qui virtutes gemmarum magnifice prædicat in ſpeculo lapidum, agens de Chryſolitho, vocat Criſoletum, atque derivat à *Criſis* Græce, Latine aurum, & oletus, totum, unde *Cryſoletus* totus aureus: plures tales ineptias in illo authore eſt obſervare, qui tamen hoc ſeculo ſcripſit in tanta luce literarum; & tamen ſtatim ſubiungit Cryſolitum quaſi alium lapidem.

Ad hanc claſſem haud dubio referendum *Xyſtion* (ut habent editiones Plinianę) vel potius Xanthiũ, (ut recte corrigit Cl. Salmaſius) quam gemmam Indiam quoque parere ſcribit [a] Plinius, plebeiam ibi gemmam. Theophraſtus lib. de lapidibus: ἄλλη δὲ καλουμένη Ξανθὴ, οὐ μὲν τὴν χρόαν, ἔκλευκος δὲ, ὃ μᾶλλον καλοῦσι χρῶμα οἱ Δῶρες Ξανθόν. Ex quibus apparet Xantham vel Xanthion fuiſſe gemmam non plane luteam, ſed è luteo pallidam: atque hæc ſine dubio hodie referenda eſt ad claſſem Hyacinthorum, uti à Neotericis vocantur, de quibus iam egimus. Alia longe ab hac fuit quam [b] Plinius vocat *Zanthenem: Zanthenem*, inquit, *in Media naſci Democritus tradit, electri colore, & ſiquis terat in vino palmeo & croco, ceræ modo lenteſcere, odore magnæ ſuavitatis.* quæ non poteſt eſſe Theophraſti Ξανθὴ, & ne quidem gemma, ſi quidem adeo mollis eſt & friabilis.

a *Lib.* 37. *c.* 9. b *Lib.* 37. *c.* 10.

Cap. XIII.

De Opalo.

OPalus gemma hodieque nomen ſuum ſervat, licet non eandem authoritatem; Veteres enim, ut liquet è [a] Plinio, primum inter gemmas locum tribuebant Adamanti, proximum Margaritis, tertium Smaragdis, quartum Opalis: nunc autem & Rubinis & Sapphiris & aliis quoque gemmis poſtponitur. Licet elegantiſſima ſit gemma; etenim, ut ille ſcribit, *eſt in illis Carbunculi tenuior ignis, eſt Amethyſti fulgens purpura, eſt Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia.* Non videntur tamen (ut obſervat Boetius) omnes hi colores ineſſe gemmæ, ſed ex reflexione unius aut duorum oriri, quemadmodum & in Iride & triangulo Cryſtallino; quia ſi frangatur opalus pereunt, ſecus quam in cæteris gemmis, in quibus etiam particulæ ſingulæ coloris ſui ſervant tenorem. Notat Plinius, pleroſque gemmam hanc propter eximiam gratiam appellare pæderota: quanquam ſint qui pæderota privatum genus faciant, ab Indis *Sangenon* appellatum: quod opali quidem gratiam habet, ſed mollius nitet, raro non ſcabrum: ſumma coloris ex ære (vel ut recte Cl. Salmaſius legendum iudicavit ex aëre) & purpura, ſed deeſt viriditas Smaragdi: conſtatque melior ille color, cuius fulgor vini colore fuſcatur, quam qui aqua diluitur. Hanc tradunt præter Indiam, & in Aegypto naſci & in Arabia, & viliſſimas in Ponto, nec non in Galatia ac Thaſo (alibi dicit Thracia) & Cypro: idem. [b] Plinius denuo de hac gemma agens, dicit candidarum gemmarum ducem eſſe Pæderota: *coeunt,* inquit, *in tranſlucidum Cryſtallum, viridis ſuo*

more

a *Lib.* 37. *c.* 6. b *Lib.* 37. *c.* 9.

more aër: ſimulque purpura & quidam vini aureus nitor, (Cl. Salmaſius legit vini & croci nitor) *ſemper extremus in viſu, ſed purpura coronatus, madere* (alii legunt radiare) *ſingulis videtur his & pariter omnibus.* Porro laudatiſſimã naſci in Indis, apud quos *Argenon* vocãt (ſupra dixit *Sagenon*, melius autem *Argenon* vel potius *Argevon*, Perſis enim argevã purpureũ ſignificat) proximã apud Aegyptios, ubi *Scenires;* (Cl. Salmaſiꝰ legit *Tenites*,) tertiam in Arabia, verum ſcabram. Obſervandum enim, Plinium ſæpe eadem aut non multum diverſa referre de eadem re, prout è diverſis authoribus illa hauſit. Mollius autem radiare Ponticam & Aſiaticam, molliores his eſſe Galaticam, Thraciam & Cypriam. Ita ut appareat illum utrobique de eadem gemma loqui. Pæderotis autem nomen etiam aliis gemmis ob pulchritudinem fuit tributum, quẽadmodum à Plinio cuidam ſpeciei Amethyſti; atque adeo etiam aliis rebus. Licet autem alii Pæderota ſui generis gemmam faciant, quum deſcriptio plane conveniat, omnino credendum, unum atque idem genus opalorum fuiſſe, pro natalium tantum differentia & colorum varietate in ſpecies diſtinctum, nominibus quoque variaſſe apud diverſas gentes.

Præter loca autem à Plinio indicata, obſervat Boetius, & in Hungaria naſci. Matrix eius eſt lapis mollis, albus quidem, ſed nigris venis, flavis quoque vel fuſcis, diſtinctus, & interdum eiſdem coloribus perſpicuus: à quibus gemma pro cocturæ atque mixturæ proportione, fulgorem illum iucundæ varietatis magis minuſve trahit & oculis objicit.

Genera opali apud Boetium videre eſt.

Opali autem cum ſint omnium gemmarum molliſſimæ ac tenerrimæ, aut poliuntur tantum, aut uti natæ ſunt auro comprehenduntur, aut interdum, præſert[illegible] minores, concluduntur.

Cap. XIV.

De Oculo Felis.

GEmma hæc , quæ Italis *Occhio de Gatta* appellatur, quia illius animalis oculum probe refert, & ſi invertatur,in altera ſemper parte candidior, & lucidior apparet. Conſtare enim videtur duobus coloribus, lacteo pene & fuſco; in medio veluti divortio quodam ſeparatis ; qui utrique obſcurius tranſlucent, ita tamen ut alteruter color magis lumen admittat. Male autem obſervat author ad Muſæum Calceolarium é Cardano; hoc illi ex lucis varietate non obtingere,quandoquidem ſeu ad lumen ſeu ad tenebras vertatur, album colorem ſemper ex ea parte oſtendat,qua albus videri ſolebat, fuſcum vero ex altera. Nam aliter ſe res habet in hac gemma, inſpicienti enim deſuper dextera pars candida videtur quomodocunque verteris : imo ſi bene advertas, linea ſatis lata candida in medio videtur, & utraque latera fuſca: ita ut certo certius ſit hanc coloris varietatem à lumine illi accidere. Habeo elegantiſſimam huius generis gemmam aureo annulo incluſam,convexam & pene ovalem,(ut fere ſunt omnes quas hactenus vidi) in qua ſæpe obſervavi, quomodo hæc varietas ſe haberet : ubi autem latus alterutrum, qua longiſſima eſt gemma, mihi obvertebam, tunc latus quod mihi proximum, & obverſum erat, candidius apparebat, averſum vero fuſcum; variat quidem nonnihil pro ratione cœli quam adſpicis, ſed ſemper remotior pars fuſca eſt : Ubi autem obtuſum angulum mihi obvertebam , latus quod ad dextram ſpectabat candidius erat & oppoſitum ad ſiniſtram fuſcum ; idque utrumlibet angulum capias , & tunc linea illa maniſ ſtò apparet,

paret, quaſi bipartita eſſet gemma.

Non poteſt autem hæc gemma ullo modo referri ad ſpecies opali; neque enim aut tam pellucida eſt, aut eam admittit colorum varietatem, ſed tantum duos illos quos dixi. Fuſcus autem color nonnihil olivacei admixtum habet.

Vidi & ex India allatas eiuſdem generis, ut opinor, gemmas, quæ pluſculum vireſcerent, atque etiam quæ croceum quid in toto corpore admixtum habent. Denique ſatis grandes quæ toto corpore onychinum colorem habent, & lineam ſatis conſpicuam in medio plane candidam; in quibus tamen lumen non tam eleganter & clare mutatur, quam in primo genere, licet omnino eadem natura videatur. Quanquam ſuſpicor optimè hanc Ceraunjam poſſe appellari. Quam Plinius ita deſcribit: *Eſt inter candidas & quæ Ceraunia vocatur: fulgorem ſiderum rapiens. Ipſa Cryſtallina, ſplendoris cærulei; in Carmania naſcens. Albam eſſe Zenothenus fatetur, ſed habere intus ſtellam concurſantem.* Optimè enim notæ conveniunt: è candido enim paululum cæruleſcit, & diſcurrit in illa lumen quoddam, pro varia inclinatione. Ex hac ſcribit Plinius lib. 37. c. 12. Sardonychas adulterari. *Sardonyches*, inquit, *è Ceranniis glutinantur gemmis, ita ut deprehendi ars non poſſit, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio ſumtis, omnibus in ſuo genere probatiſſimis.* Poteſt idem adulterium fieri è Sarda & Chalcedonio; atque Cryſtallo, vel etiam vitro. Boetius noſter exiſtimat, oculum catti eſſe Plinii Aſtroitem; qui poſt opali a deſcriptionem ita ſcribit: *Proxima candicantium eſt Aſteria, principatum habens proprietate naturæ, quod incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, ea deni-*

a Lib. 37. c. 9.

que contraria ſoli regerens candicantes radios, unde nomen invenit, difficilis ad cælandum. Et poſt natales diſcretos : *ſimiliter candida eſt quæ vocatur Aſtrios, Cryſtallo propinquans: intus à centro lucet fulgore lunæ plenæ.* Et poſt pauca: *celebrant & Aſtroiten, miraſque laudes eius in magicis artibus Zoroaſtrem ceciniſſe, qui circa eas diligentes ſunt produnt. Aſtrobolon* (vel ut alii Aſtrolon) *Sudines dicit oculis piſcium ſimilem eſſe & radiare candido in ſole.* Plures quidem ſpecies deſcribit Plinius, quarum quædam non abludunt ab oculo Catti, ut hodie vocamus; & maximè congruere videtur Aſteria, niſi quod candicantem dicat, cum hæc fuſca ſit. Optime autem cum illa, de qua Sudines, convenit maior illa poſtremo loco à nobis deſcripta.

Franciſcus Ximenes lib. 4. cap. 18. *Vocant,* inquit, Hoitzitziltetl *aut lapidem precioſum, quendam lapillum, quem quidam vocant* Oio de Gato, *& credo à noſtris Hiſpanis dici* Tornaſole: *horum magna copia reperitur in Tototepec provincia; ſed ſunt exigui & præ nimia abundantia viles.*

Cæterum non magnæ authoritatis eſt hæc gemma, & à paucis geſtatur, licet haud iniucunda ſit: non formatur autem, ſed auro includitur, uti nata eſt: ſemper convexa ſuperius, inferius plana.

Cap. XV.

De Cryſtallo & Iride.

DE Cryſtallo diligentiſſime ſcripſit Boetius, itaque hîc tantum addam quæ ab aliis dicta ſunt, & quædam ad illa quæ ipſe dixit obſervabo.

Geſnerus de figuris lapid. Mira præcipue ſua Cryſtallis figura eſt: Interdum uni Cryſtallo (inquit a G. Agricola) magnæ & perfectæ annaſcuntur plures parvæ

a Lib. 6. de Nat. Foſſil.

parvæ & imperfectæ ac quaſi dimidiatæ, quibus triangula latera videntur eſſe, cum alioquin Cryſtallis ſexangula ſint, ſed maxima ex parte inæqualia: etenim ex iis bina ſæpius tantum lata ſunt, quaterna ſtricta: rarius quaterna lata, bina ſtricta: quodque vero latus ſtrictum eſt è regione ſtricto, quodque latum lato. Omnis inſuper Cryſtalli mucro ſimiliter ac reliquum corpus eſt ſexangulus, ſed in hoc differt, quod latus ſtrictum non ſemper eſt adverſum ſtricto, ſed interdum latum eſt contrarium ſtricto. Ac mucro plerumque exiguam partem habet Cryſtalli, magnam reliquum corpus angulatum. Veruntamen quibuſdam Cryſtallis, quæ Blochebergi inveniuntur rupibus adhærentes, contra mucro eſt magnus, corpus exiguum. Lateribus præterea tam mucronis quam reliqui corporis, niſi ſcabritie infeſtentur, ferme tantus eſt lævor, ut vix arte poſſit æquari. Hæc ille. Geſnerus paulo poſt: Cryſtalli omnes, ni fallor, ab una ſolum parte in mucronem exeunt; baſis craſſior eſt & informior, qua ceu radice ſaxis & rupibus montium ſive enaſci ſive innaſci ſolent. De Iride Plinius lib. 37. c. 9.

De Iride a Georg. Agricola ita ſcribit: Cryſtallus quæ expoſita ſolis radiis, per ianuam, feneſtram, rimamve penetrantibus, figuram & varietates colorum arcus cœleſtis iacit in proximum parietem, ex effectu Iris appellatur. Talis autem eſt inprimis candida & limpida, ſuam naturalem habens figuram, id eſt, ſexangulam. Etenim anguli in cauſa ſunt, cur ſolis radios excipiens arcum in pariete faciat repercuſſu: quinetiam in eiuſdem uno aut altero angulo, ſi conſpicitur luci obverſa, intus colores arcus cœleſtis videntur. Reperitur hæc in iam dictis regionibus (Alpibus Sedunorum & Germanorũ, &c.)

a *Lib. 6, de Nat. Foſſil.*

una cum cæteris Cryſtallis. Sed præcipue in Saxonibus ad Viſurgim, &c. in montibus inter Treviros & Rhenum ſitis. Eſt altera Iris minus candidi quam Cryſtallus coloris, quæ luci obverſa luteo citri colore fulget; atque ob id à gemmariis Citrina, *Citrin* nominatur. Veteres eadem de cauſa ceræ ſimilem eſſe dixerunt. Quia vero minus candida eſt, Cryſtallo minus pellucet, magis quæ ſpiſſos colores arcus cœleſtis in proximos eiaculatur parietes. Reperitur in Miſenæ ac Bohemiæ metallis, ac fere in eiſdem locis, in quibus Cryſtallus: & ut Horus ſcripſit, in Perſide: quæ cum prædura ſit, noſtra non multum eſt dura, ſed fere mollis ac fragilis. Cryſtallus quidem in aliam quam angulatam figuram formata, non arcus cœleſtis colores, ſed ſui ſimiles iacit in proximum parietem. Hæc ille. Ibidem: Eundem Cryſtalli ſuccum natura interdum in plures quam ſex angulos formans efficit gemmam, quam ea de cauſa Græci Pangonion vocant. Quæ ſi reperitur, reperitur autem perraro, in iiſdem locis, in quibus Cryſtallus, ei ſimillima eſſe ſolet colore, facilitate tranſlucida, lævore: Sin in propriis, plerumque obſcura & undique parvis cavernis quaſi favulis plena: qualem Allera & Ochra fluvii deferunt, duodenis natam lateribus, æque ac Cryſtalli, deſinentibus in mucronem.

Quod autem [a] Plinius credidit, Cryſtallum gelu concreſcere, *nec aliubi reperiri, quam ubi maximè hiberna nives rigent:* Id longe aliter ſe habere, vel ex eo patet, quod etiam in Braſilia naſcuntur. Plerumque autem Cryſtallus quæ ibidem naſcitur non ita limpida eſt & candicans, ſed aliquo colore, præſertim cæruleo diluto tincta eſt: unde quidam ſuſpicati ſunt eſſe Sapphirum aut ſaltem illi proximam, ſed perperam,

[a] *Lib.* 37. *c.* 2.

peram, nihil enim aliud eſt quam Cryſtallus, naſcitur eadem figura, neque duritie ſuperat Europæam, ut periclo à perito artifice facto deprehendi. Conſtat autem ex his, Cryſtallum etiam naturæ tincturas aliarum gemmarum in ſe recipere, non minus quam arte, quæ iam pervulgata eſt. Benedictus Cerutus ad Muſæũ Calceolar. Sect. III. Extat in ditione Bergomenſi mons quidam, Salvinum accolæ nominant, in quo maxima Cryſtalli copia reperitur, variis figuris Geometricis notatę, pręcipue vero quæ exparvæ, ſexangulam figuram egregie referunt. Quod ſi aliqua harum pars à loco eximatur, nõ multo interpoſito temporis ſpacio, aliæ veluti à minera eadem eodem in loco pullulare viſuntur. Videant modo hi, an ſit glacies, an vero corpus foſſile aquoſo ſucco à frigore & terrea ſiccitate coagulatum: qui plura deſiderat, legat præ cæteris Agricolam & Matthiolum. Silentio non involvam quæ à Diodoro Siculo traduntur. Cryſtallum lapidem (lib. 3. circa finem) ex aquâ oriri, puta congelata, non à frigore quidem, ſed divina caloris vi, quæ duriciem ſervet, varioſque colores ſuſcipiat.

Ad pſeudo-adamantum claſſem etiam referenda eſt adamantum illa ſpecies, quæ copioſe & varia mole reperitur in quibuſdam regionibus ad flumen Amazonum ſitis, qui fere globoſi ſunt, licet non exactè Sphærici, numquam autem angulati ut verus Adamas, ſunt autem teneriores ad inſtar Cryſtalli, & formati in tabulas aut alias formas, politique, nitent quidem ſed ſemper in ſe habent aliquid lactei, ita ut facile à cæteris dignoſci poſſint.

Quod autem Boetius cap. 73, diſputat de forma Hexagona, & ita iudicat: *Circularis figura fit dum materiæ partes ſunt prorſus unius modi, qualis in iis qui proximi ſunt adamantibus, quos duriores dixi, conſpicitur: Hexa-*

gona

gona. cum partes nonnullæ ipſius mixti, reliquis ſunt vel ſubtiliores vel magis aëreæ, aut alia ratione differunt: hæ enim à reliquis circa angulos palluntur, vel ipſæ non tam cito, quam aliæ ſe centro unire cupiunt: hacque ratione concreſcente materia, hexagona figura circulo quam proxima, aliiſque omnibus angularibus perfectior, efficitur: Exemplo adamantum facile refellitur. notiſſimum enim eſt, optimos & perfectiſſimos atque adeo duriſſimos adamantes formâ eſſe hexagonâ, qui autem globoſi aut ovales, plurimum illis cedunt: ita ut potius ſtatuendum ſit Cryſtallo certam formam à Deo datam eſſe hexagonam ut & aliis rebus.

Hactenus pellucidas gemmas deſcripſimus, nunc tranſeundum erit ad eas quæ neque pellucidæ plane ſunt, nec tamen opacæ, ſed quaſi inter utraſque mediæ.

Cap. XVI.

De Sarda.

Sarda, inquit [a] Plinius, *gemma vulgaris & primũ Sardibus reperta,* (Cl. Salmaſius legit, Sardis, id eſt, à Sardiniæ Incolis) *ſed laudatiſſima circa Babyloniã, cũ lapidicinæ quædam aperirentur, hærens in ſaxi corde. hocque modo metallum apud Perſas defeciſſe traditur. Sed reperiuntur compluribus aliis locis, ſicut in Paro* (ita hodie, cum ante legeretur Epiro) *& Aſſo. In India trium generum: rubrum & quod demium vocant à pinguedine* (Cl. Salmaſius, quod diſemum vocant à magnitudine) *tertium quod argenteis bracteis ſublinitur. Indicæ pelluent; craſſiores ſunt Arabicæ. Inveniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Aegyptum, quæ bractea aurea ſublinituntur.* Rationem hanc puto cur aliæ argenteis aliæ aureis bracteis ſubliniantur, quod illæ ſaturo

ſint

a *Lib.* 37. *c.* 7.

ſint colore, hæ liquidiore. *Et in his autem mares excitatius fulgent, fœminæ pinguiores ſunt & craſſius nitent.*

Theophr. de lapid. Τοῦ γὰρ Σαρδίου, τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ, καλεῖται θῆλυ· τὸ δὲ διαφανὲς μὲν, μελάντερον δὲ καὶ ἄρσεν. Id eſt, ſarda quæ pellucida quidem eſt ſed pallidius rubet, fœmina vocatur; at pellucida quidem ſed nigrior, mas. Numerat autem τὸ σάρδιον inter raras & parvas gemmas. Hæc gemma hodie à gemmariis appellatur Carneola à carneo colore: licet quidam perperam Corneolam vocent.

Diſtinguuntur hodie in Orientales & Occidentales ſeu Europæos: quæ duritie differunt, illæ enim multo duriores. Utræque tamen ſubſtantiæ tenaciſſimę unde fit ut & Smiridis pulvere formentur, & tripla poliantur ſuper ſtanneum & durum orbem, haud ſecus quam aliæ duriores gemmæ, prout à perito artifice didici.

Differunt præterea colore & ut Theophraſtus & Plinius tradunt ſexu: quędam enim ſunt colore ſanguinis bilioſi; & pene atri: aliæ carnei coloris & exigua portione ſanguinis tinctæ; aliæ denique coloris è ſanguineo ſubflaveſcentis. Adferuntur etiam ad nos candidi vel lactei coloris, quæque cærulei aliquid diluti oſtendant; ſed ambigo an hæ ad Sardarum claſſem referri poſſint, licet vulgo ita nominentur.

Plinius cum diverſa ardentium & rubrarum gemmarum genera recenſuiſſet: addit: *omnia autem hæc genera ſcalpturæ contumaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno tenent: E diverſo ad hæc Sarda utiliſſima*: quæ nomen *cum Sardonyche communicavit. Nec fuit alia gemma apud antiquos frequentior.* Cauſam cur ceram non retineat arbitror, quod ſuperficies eius pinguior ſemper appareat. Hinc eſt quod hodieque tantam copiam reperire eſt ſigillorum ex hac gemma, anti-

qui

qui operis: nunquam tamen aut magnæ authoritatis aut pretii fuiſſe videntur, certe hodie ſcalpturæ pretium non multum excedunt. Maximâ autem copiâ hodie ad orbiculos tornantur.

Varias virtutes & facultates huic gemmæ tribuunt authores, præſertim Albertus Magnus, quæ tamen nulla experientia comprobantur: præterquam una & quidem ſingularis qua pollet, ſanguinem è naribus fluentem ſiſtendi, non quidem ſtatim, ſed ſenſim, quam ipſe, cum illi imbecillitati in adoleſcentia obnoxius eſſem, creberrime ſum expertus, ut & in aliis. Vidi autem multos annulos integros ex hac gemma factos, ita ut nullo auro opus eſſet.

Falluntur autem qui hanc gemmam cum Onyche confundunt, ſunt enim diverſi generis, ut ſtatim explicabo. Habeo autem fruſtum huius gemmæ rude & prout è petra exciſum fuit, quod ſuperiori parte dilutius rubet, inferiore ita craſſe ut pene nigricet: ita ut utrumque ſexum egregie diſtinguat, ſecundum mentem Theophraſti & Plinii.

Cap. XVII.

De Onyche.

ONyx apud Veteres commune nomen fuit & gemmæ & marmori. nam ut ſcribit Plinius; tranſiliit hoc nomen ex lapide Carmaniæ ad gemmam. Lapidem autem illum ſive marmor alibi vocat [a] Alabaſtriten; quia vaſa unguentaria ex illo fiebant, quæ non raro à poëtis ſimpliciter Onyches appellantur; ut ab Horatio; *Nardi parvus Onyx eliciet cadum.* Quod obſervandum, ne quis temere quæ à veteribus de marmore dicuntur, accipiat de gemma.

Utrumque autem tam lapidem quam gemmam ita

a *Lib.* 36. *c.* 8.

ita appellarunt ab unguis candore. Unde Sudines apud Plinium dicit, in hac gemma eſſe candorem unguis humani ſimilitudine; item Chryſolithi colórem & Sardæ & Iaſpidis, id eſt, flavum ſive aureum, rubrumque & alios. Zenothenus apud eundem, *Indicam Onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam cingentibus candidis venis* (ubi tamen Cl. Salmaſius legendum cenſet *zonis*) *oculi modo, internitentibus quarundam oculis obliquis venis.* Sotacus & Arabicam Onychen: ſed hanc à cæteris diſtare, quod Indica igniculos habeat, albis cingentibus zonis ſingulis pluribuſve, aliter quam in Sardonyche Indica, illic enim momentum eſſe, hic circulum. Arabicas Onychas nigras inveniri candidis zonis. Quod autem hic dicitur momentum & circulus, ita diſtinguit Cl. Salmaſius, circulum eſſe cum zona ſe colligit & certo limite diſtinguitur, momentum vero cum zona ſpargitur & veluti ſe movet, ἡ ῥοπή.

Satyrus porro apud Plinium, carnoſas eſſe Indicas, parte Carbunculi, parte Chryſolithi & Amethyſti, totumque hoc genus abdicat. Veram autem Onychem, plurimas variaſque cum Lacteis Zonis habere venas, omnium in tranſitu colore inenarrabili, & in unum redeunte concentum, ſuavitate grata. Theophraſtus: Ὀνύχιον μικτὴ λευκῷ καὶ φαιῷ παρ' ἄλληλα. Atque hæ quidem antiquorum de Onyche ſententiæ; quæ recentiores, qui de gemmis ſcripſerunt, in diverſas ſententias abripuerunt, ita ut de noſtri ævi gemmis aliter atque aliter iudicarent, & multum differentes gemmas Onychum nomine deſignarent. Nam cum in Onyche Sudines agnoſcat Sardæ colorem, quidam gemmam illam quæ hodie Carneola dicitur, Onychis ſpeciem opinantur. quā ſententiam ſuperiori capite expunxi: nam licet Sudines Sardæ colorem admittat, non niſi mixtum

cum

cum Onychis candido intelligere par eſt. Alii lapidem illum, quem *Cameum* dicunt, ſuperficie candida ſeu lactea (quæ non tranſlucet & ectypis figuris hodie accommodatur) radice nigra, Arabicam Onychem iudicant; cum potius marmoris ſpecies eſſe videatur. Quod autem ſupra è Zenotheno adducit Plinius, facit ut ſuſpicer, gemmas quas hodie *Beli oculos* appellamus, veras eſſe Onychas Indicas. omnes enim notæ pulchre conveniunt: habent enim igneũ ſeu rubrum colorem, nigrum quoque & corneum, cinguntur que candidis zonis ſive circulis oculi modo, ita exactis ut arte facti videantur, intervenitque interdum in ipſa pupilla, præſertim poſtica parte obliqua quædam & albicans, nonnunquam & alterius atque adeo duplicis aut triplicis coloris vena quæ circulos dividit. Sed de his poſtea dicendum erit. Alii confundunt Onychen cum Chalcedonio, de quo mox: Alii aliter errant.

Cæterum, meo quidem iudicio, vera Antiquorum Onyx fuerit, cuius ſubſtratum ſive radix unguis humani ſimilitudinem colore & nitore exactè refert: Opaca aut leviter tranſnitens potius quam tranſlucens, conſtanſque diverſorum colorum zonis, exactè & diſtinctè ſibi invicem ſuper impoſitis: à quibus tamen rubrum colorem exciperem, qui Sardonychen conſtituit, ut mox dicetur. Proprium enim huius gemmæ exiſtimo, Zonas variorum colorum habere cum Onychino ſive unguis colore, interdũ ſingulas, interdũ plures, inconfusè ſubſtrato additas: qua nota optimè diſtinguitur ab Achate & aliis gemmis, quæ varios colores aut confusè admittunt, aut diſtinctis maculis vel punctis interpunctæ ſunt: unde Plinius inter Iaſpidis ſpecies numerat Onychopunctam ſive Iaſponychem, quia Onychis quidẽ color in illa cernitur, ſed non zonatim diſtinguitur.

Variæ itaque conſtituentur Onychum ſpecies, pro Zonarum varietate: nam radix ſive ſubſtratum eſt aut unguis colore, aut corneo, aut albo ſive lacteo: ſuperficies itidem vel nigra vel fuſca vel flava, vel denique ſubcærulea. Eſt & differentia haud parva in nitore, nam in aliis pene ſurdus eſt color, in aliis renitens, interdum etiam pellucidus. Perperam autem à Boetio ad hanc claſſem referri autumo *Morion*, quæ tota eſt nigra, de qua peculiari capite dicam: rectius vero calculos illos nigros ſplendentes, Zonis candicantibus interſectos, quos Hiſpania hodie mittit, quorum pulvis in pollinem redactus cum vino propinatur, non ſine fructu, iis qui calculo laborant.

Cæteras autem Onychas authoritate & pretio ſuperare dicuntur, quæ ſubcærulea ſunt ſuperficie, radice nigricante, licet, quia unguis abeſt, ambigam an Onyches veterum dici poſſint: has à Iudæis inprimis appeti ſcribit Boetius, quia opinantur fuiſſe unam è duodecim illis gemmis Rationali inditis; neſcio quo argumento: licet & Epiphanius id crediderit, qui illam poſtremo loco ponit: Geſnerus autem in Corollario de XII gemmis loco undecimo, ubi in Hebræo legitur *Schoham:* vide locum Geſneri.

Naſcuntur omnes Onychis ſpecies in India, Arabia, Armenia, Ponto, Hiſpania, Italia: effodiuntur enim ex Hetruriæ monte Senæ vicino, ut ſcribit [a] Agricola; in America denique, & maximè in Nova Hiſpania.

Reperiuntur autem interdum inſigni magnitudine, ita ut columellæ ex iis fieri poſſint, ſiquidem, ut ſcribit Boetius, Romæ in Baſilica S. Petri ſex conſpiciuntur. Appianus autem memoriæ mandavit, Mithridaten Ponti regem circiter duo millia po-

a *Lib. 6. de Nat. Foſſil.*

culorum ex Onyche habuiſſe in ſuo Theſauro. Verum crediderim, tam columellas illas, quam pocula hæc, potius ex marmore Onychite, quam ex gemma Onyche fuiſſe facta. Coloniæ Aprippinæ in templo trium Regum, inquit Agricola, eſt Onyx latior palmo, cuius venæ lacteæ ita diſcurrant, ut duorum iuvenum capita exprimant, nigræ ita ut ſerpentem, qui ex fronte ſuperioris capitis deſcendat in inferioris frontem, & caput Aethiopis, cum barba etiam nigra. Hanc etiam deſcripſit Albertus. Memini me vidiſſe Onychem ſatis magnam rotundam, planam, è qua ſingulari elegantia exſculpta erat aquila, & in ambitu corona laurea, utraque colore candido, ſubſtratum autem erat nigrum, ſplendidiſſimum. Gemmarii noſtri vocabant Achatem, ſed perperam. Onychis porro præcipua virtus eſt quod ceram non retineat, quare & olim & nunc expetitur ad ſigilla. Nam quod quidam mentis paſſionibus mederi, ſenſuſque acuere credunt; alii contra melancholica ſymptomata excitare, nugæ ſunt. Cum aliis lævibus gemmis illi commune eſt pulverem & alia ex oculorum palpebris educere. Agricola: *duæ Onyches, ſub menſa ut fieri ſolet, confricatæ, ita inardeſcunt, ut manus calorem earum ferre non poſſint; noſtrates, ſi altera alteri validius atteratur, in tenebris ſcintillas edunt; atque perſpicuarum corpus totum luminis inſtar videtur ardere: ex his vero quæ ſunt aliqua ex parte perſpicuæ, flamma rubeſcens exilire: at ex iis quæ non tranſlucent, neque flamma rubeſcens emicat, neque videntur ardere: ſed omnes inter ſe attritæ odorem gravem & cornu uſti ſimilem emittunt.* Neſcio autem quas perſpicuas vocet, nam mihi tales numquam viſæ.

Cap.

CAP. XVIII.

De Beli oculo & oculo mundi.

IN ſuperiori capite facta eſt mentio oculorum qui in Onyche Indica reperiuntur ſecundum ſententiam Zenothemis: de quibus quędam dicenda ſuperſunt, & imprimis illud indagandum, an hæc gemma ſit eadem cum óculo Beli, de quo ita Plinius: *Beli oculus albicans, pupillam pingit nigram è medio aureo fulgore lucentem: Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur.* Agricola lib. VI de Nat. Foſſil. *Iuniores corrupto vocabulo, Bello-oculum* (Bellokel) *vocant; & ipſi ita ſe hanc gemmam appellare aiunt, quod pulchra ſit & aliquam ad oculum ſimilitudinem habeat.* Idē: *Leucophtalmus oculi humani ſpeciem exprimit.* Reprehenditur autem à Geſnero in lib. de figuris lapid. qui ſubjicit: *At* [a] *Plinius, Leucopthalmus, inquit, rutila alias, oculi ſpeciem candidam, nigramque continet. Et mox ſequenti cap. Leucophtalmus quatuor eſt colorum, ex rutilo & ſanguineo: in medio nigrū candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia ſimilis. Vnde apparet eandem eſſe gemmam, & præcedenti quoque capite Lycopthalmon non Leucophtalmum legi oportere; deceptumque Agricolam qui humani oculi ſimilitudinem illi tribuit.* Sed non video cur Agricola in hoc ſit reprehendendus. nam longè aliter deſcribitur à Plinio Leucopthalmus, quam Lycopthalmus: & ratio in hiſce oculis ita ſe habet, ut quidam ex Onyche generentur, & naturam illius & quoad colores & quoad nitorem, & quaſi transparentiam quibuſdam partibus ſortiantur: alii in Achate, qui neque tam exactè oculos referunt & plerumque inclinantes circulos & obliqua aliqua vena diviſos habent. Habeo utriuſque generis multos.

a *Lib.* 37. *c.* 11.

tos, quorum quidam pulcherrimi ſunt aſpectu, & variorum animalium pupillas referunt: unum quoque & alterum qui lupi pupillam exactè exprimant: reperiuntur autem in corpore gemmæ, & arte ex illa eximuntur; qui autem humani oculi pupillam referre dici queat, tantum unum habeo. Reperiuntur etiam interdum duo oculi exiguo ſpatio à ſe invicem diſſiti, pene ut oculi in corpore humano, interdum etiam tres, & hinc poterunt Triophthalmi Plinii appellari. Non poſſum autem induci ut credam hanc gemmam eſſe eamdem cum Beli oculo, ſiquidem hæc arte eximenda eſt, neque quod ſciam ita ſola reperitur. Sed deſcriptio Plinii ita brevis eſt ut nihil certi ex illa ſtatui poſſit. Boetius noſter Achatis ſpeciem opinatur, ſed ut ante dixi, potius ad Onychem referenda eſt, utpote multo illi ſimilior & conſiſtentia & lumine. Sed demus aliquot eorum oculorum Icones.



I. Prima in qua duæ pupillæ cernuntur ita exactè rotundæ, quaſi circino factæ eſſent; corpus gemmæ eſt colore corneo paulum ſubflaveſcenti egregie nitens, interior pupillarū acies eiuſdem eſt coloris ſed paulum dilutioris, circulus uterque ambiens coloris albi. Tota gemma inferius plana eſt & pene unicolor, ſuperius modice convexa: figuræ ovalis.



II. Figuræ item ovalis & paulo maior, læte ſubflaveſcens & pene pellucida, cuius pupilla intus adhuc dilutioris eſt coloris. cingunt autem tres circuli anguſti, candidi, æquè diſtantibus ſpaciis, eiuſdem cum corpore gemmæ coloris, à ſe invicem ſeparati.



III. Eiuſdem pene coloris pupillam habet in medio eiuſdem cum corpore coloris, quam primum cingit circulus ſatis latus, dein tres alii anguſtiores, omnes quatuor ſubcandidi & ſpatiis æquidiſtantibus diviſi, eiuſdem cum corpore coloris.



IV. Quartæ corpus eſt colore & ſubſtantia Sardæ; pupilla autem eiuſdem coloris cum ſuperiori, niſi quod punctula quædam rubicunda & macula una in illa cernitur. circulus ambit modicè latus candidus.



V. Quintæ corpus ab una parte candidius eſt, ab altera eiuſdem coloris cum prima; pupilla item lætioris eſt coloris; quam ambit circulus ſatis latus candidus, qui ab una parte ſe ſpargit.



VI. Huius figura plane convexa eſt inſtar dimidii globi; pupilla quæ in vertice cernitur, in medio eſt coloris albi, quam ſecant tres veluti venæ, non tamen æqualiter diſtantes, coloris Sardæ; reliquum pupillæ ſubcæruleſcit: Corpus gemmæ ex albo & fuſco mixtum eſt. Videtur autem non arte ſed à natura ita facta. Habeo huius generis plures, variorum colorum, ſed circuli hac illac inclinant, & interveniunt in nonnullis ut Zenothemes loquitur obliquæ venæ. Denique in ſex illis ſunt circuli, in his momenta.

Longe alterius naturæ eſt, quem oculum mundi vocant, de quo (licet forte alieno adhuc loco) dicam quid viderim. Ante aliquot annos gemmarius non incelebris oſtendit mihi lapillum, mole maioris piſi, ſed utrimque compreſſum colore eburneo, ita

ut primo intuitu oſſiculum crederem; hunc ille aquæ limpidæ impoſuit in cochleari argenteo, ita ut totus aqua tegeretur: cæpit ſtatim ab ora ad centrum & denique totus tranſlucere, atque adeo ſplendere, & lumen, debile licet, à ſe mittere, multum me admirante, qui nunquam ſimile videram: exemit deinde ex aqua & menſæ impoſuit: cœpit lapillus ſenſim lumen amittere, donec tandem totus denuo cœcus evaderet. Nomen aliquod germanicum tribuebat, cuius iam non memini, & ille obiit. Sed haud ita nuper miſit mihi Vir Clariſſ. Olaus Wormius è Dania ſimilem lapillum, paulo craſſiorem, nec tamen exacte rotundum, ſub nomine oculi mundi, in quo idem experimentum cœpi, verum hic non tam cito lumen admittit, quam prior ille, neque ita ſcintillat, tardiſſime quoque ad priſtinum ſtatum rediit. Benedictus Serutus ad Muſæum Calceolarium huius quoque meminit & opinatur ſpeciem eſſe quandam opali; quod non probo.

Cap. XIX.

De Sardonyche.

VIx alia eſt gemma, in qua recentiores, mea quidem ſententia, longius ab Antiquorum mente receſſerint, quare me operæpretium facturum exiſtimavi hanc controverſiam paulo plenius excutere.

Qualis gemma Sardonyx fuerit, ita explicat [a] Plinius: *Sardonyches*, inquit, *ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur, candore in Sarda: hoc eſt veluti carnibus ungue hominis impoſito & utroque tranſlucido.* Nam ſuperficiem (ut interpretatur Cl. Salmaſius) habebat Onychis gemmæ vel unguis humani inſtar candidam;

a *Lib. 37. c. 6.*

dam: radicem vero ſive fundum inſtar Sardæ vel carnium, hic enim Sardæ color. . Sed malim contra accipere ſuperficiem fuiſſe Sardæ, radicem Onychis. Pergit Plinius: *taleſque Indicas eſſe tradunt Iſmenias, Demoſtratus, Zenothemes, Sotacus: hi quidem duo, reliquas omnes quæ non tranſluceant, Cœcas appellantes, quæ nunc nomen abſtulerunt*. Id eſt, (ut idem Cl. Salmaſius interpretatur) Sardonyches quæ candorem in rubro (vel potius cum rubro) habebant & utrumque tralucidum, optimæ iudicabantur, & tales erant Indicæ, quæ non tralucerent, cæcæ vocabantur; Eæ autem Plinii ævo in pretio, & nomen abſtulerant, ut proprie Sardonyches appellarentur. Addit porro Plin. *nullo Sardarum veſtigio Arabicæ ſunt, cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi radice nigra aut cæruleum imitante, & ungue* (ut corrigit Cl. Salmaſius) *minium incretum candido pingui, nec ſine quadam ſpe purpuræ in minium tranſeunte.* Senſus eſt, Sardonychas Arabicas nullum habere Sardæ veſtigium, uti Indicæ habent, ſed radicem nigram vel cæruleum imitantē, non ſine ſpe tamen purpuræ, ob candorem in minium tranſeuntem. Explicat deinde paulo plenius differentiam inter Indicas & Arabicas Sardonychas: Arabicas quippe eſſe ſubſtrato nigerrimi coloris, cętera excellere candore circuli prælucido, atque non gracili, neque in receſſu gemmæ aut in deiectu renitente, ſed in ipſis umbonibus nitente: In Indicis autem ſubſtratum hoc cereum aut corneum inveniri, etiam circulos albos, ita ut quædam cœleſtis arcus in iis æmulatio ſit, ſuperficiem vero locuſtarum maris cruſtis rubentiorem. Concludit denique: *iam melleæ aut fæculentæ (hoc enim nomen eſt vitio) improbantur, & ſi alba zona ſe fundat, non colligat*: Simili modo ſi ex alio colore in ſe admittat aliquid enormiter: nihil enim in ſua ſede alieno interpellari placet. Sunt

& Armeniacæ, cætera probandæ, ſed pallida zona. Hæc ille.

E quibus omnibus patet Antiquorum Sardonychas veras & optimas tralucidas fuiſſe & è Sarda & Onyche veluti coniugatas: Secundæ autem notæ, quæque iam Plinii ævo prioribus nomẽ abſtulerant, cæcas, id eſt, opacas fuiſſe: denique improprie ſic dictas, quæ ſubſtratum habebant nigrum aut ſubcęruleum & ſuperficiem magis minuſve candicantem, ſine ullo Sardæ veſtigio.

Ab hac autem ſententia gemmarii hodie quam longiſſime recedunt, præſertim artifices: neque enim eas gemmas quibus ſubſtratum eſt nigrum, ſuperficies autem candida aut ad cæruleum vergens, Sardonychas vocabunt, ſed ſimpliciter Onyches; & quidem iure hoc, ut autumo; neque illas quibus Sardæ eſt ſuperficies, ſubſtratum autem candicans; verum Achatas, quum hæ veriſſimæ ſint Sardonyches antiquorum, licet cæcæ, ut veteres loquuntur; & illæ iam Sardonychum Arabicarum nomine cenſæ fuerint Plinii ævo. Denique earum loco oſtendent gemmas unicolores vel etiam verſicolores, quæ haud dubio aut tantum Onyches ſunt aut Achatæ. Nonnihil quoque à Plinii mente diſcedunt, qui plures Sardonychum ſpecies faciunt, præter Indicas & Arabicas. Longiſſime autem Franciſcus Imperatus, cui Trichrus Sardonychis ſpecies videtur; cum Plinius aut alii veteres nihil de Africa meminerint, in natalibus Sardonychis aſſignandis, & hæc alterius generis gemma fuerit, quam Plinius ita deſcribit. *Trichrus ex Africá nigra eſt, ſed tres Succos reddit, à radice nigrum, medio ſanguineum, ſummo candidum.* Quod Imperatus ita accepit, quaſi triplici fuiſſet colore, inferiori ſcilicet parte nigro, mediâ ſanguineo, ſuperiori candido: cum Plinius expreſſe dicat totam fuiſſe

fuiſſe nigram, ſed variis partibus varios Succos edidiſſe; nimirum affrictu ad alias res.

Scribit Boetius, etiam Sardonychas reperiri in Germania, Bohemia, Sileſia, lociſque vicinis, ſed ut plurimum fæculentas; ſæpe etiam melleum colorem in ſe habere, nec zonas aut circulos tam exactè diſtinctos, ut in Orientalibus. Cæterum hactenus mihi non contigit videre veram illam tralucidam Indicam è Sarda & Onyche compoſitam, niſi forte unicam, quam ſervo. Arabicas vero vidi plurimas; atque ipſe unam atque alteram ſervo, præſertim unam, ex qua una parte Aethiopis maris, ex altera fœminæ facies eleganter exſculptæ, ambiente circulo albo ex eadem gemma, qui imagines veluti funda concludat. Habeo & veram, ut opinor, Sardonycha, ſed cæcam, cuius ſubſtrato candido incumbit Sarda, è qua elegantiſſima facies ectypa fœminæ formata eſt; eſt autem Sarda illa, locuſtarum marinarum cruſtis, ut loquitur Plinius, rubentior.

Didici denique ab artifice gemmario, Sardonychas, ut hodie accipiuntur, licet haud ita duræ ſint quam aliæ gemmæ, tamen paulo duriores eſſe quam ſint Onyches aut Achatæ: formari autem Smiridis pulvere, polirique ſuper orbem duriorem & è ſolido ſtanno factum.

De adulterio gemmæ, ſiquidem non magni hodie eſt uſus, non eſt opus dicere, qui deſiderat cognoſcere, conſulat Boetium.

Cap. XX.

Morion & Pramnion.

MOrion *Indica*, inquit *a* Plinius, *quæ nigerrimo colore tranſlucet, vocatur Pramnion; in qua miſcetur & Carbunculi Colos, Alexandrinum: ubi Sardæ, Cyprium: naſcitur in Tyro & in Galatia. Xenocrates & ſub Alpibus naſci tradit.*

Neoterici dum hanc quærunt, varia comminiſcuntur.[b] Agricola: *Sequitur*, inquit, *Morion, quæ ſola ex nigris tranſlucet. Naſcitur in Miſena, ſub Alpibus, in Cypro, in Tyro, in Galatia, in India. Color ei aut nigerrimus, quæ vocatur Pramnion, aut cum nigro miſtus eſt alius color: itaque vel Carbunculi, quæ Alexandrinum, quod eo deferebatur: vel Sardæ, quæ Cyprum, ut in Cypro reperta: vel Hyacinthi, quæ appellabitur Miſenum. Etenim in Miſena Volcheſteinii effoditur. Videtur autem Morion eſſe radix iſtarum gemmarum, ac ex craſſiori Succo, qui ſubſidit, fieri. Attamen ea quam Pramnion vocari dixi, apud nos inventa eſt, habens Cryſtallinam radicem, cum ipſa eſſet nigerrima, ſimiliter eius mucro. Erat enim ei figura ut Cryſtallo ſexangula: quales etiam Volcheſteniii repertæ, in quas Hyacinthus deſinit. Hæ gemmæ non aliter quam Cryſtallus ſculpuntur. Hæc ille.* Geſnerus de figur. lapid. eadem repetit, ſed præmittit; ad fluores ab eodem Agricola referri; etiam videtur Morion lapis, &c.

c Boetius de Onychis ſpeciebus agens: *quæ nigerrimo*, inquit, *colore tranſlucet, Plinius Morion Indicam vel Pramnion vocat. Iſtius generis eſt forte Obſidianus lapis nigerrimi coloris, aliquando & tranſlucidi, craſſiore viſu, ex quo gemmas multi faciunt.* Atqui Plinius nuſquam Onychem appellat neque illius meminit inter ſpecies Onychis, ſed ſui generis facit gemmam. Et quum

a *Lib.* 37. *c.* 10. b *Lib.*6 *de Nat.Foſſil.* c *Lib.*2.*c.*91.

quum Agricola ad fluores referat, quæ ob mollitiem ſculpi nolunt, omnino non videtur hæc gemma eadem eſſe cum iis quas Agricola deſcribit. Quod autem Plinius illam nigerrimo colore fuiſſe dicit, id non ita accipiendum quaſi gemma hæc nigri coloris fuerit propriè dicti: ſed fuit ſaturi admodum coloris, ad eundem modum quo Græcis ſæpe vinum dicitur nigrum, & Theophraſtus μέλαν, Plinius Nigrum ſæpe uſurpant. Sicuti & Pramnion gemma dicta eſt à Vini colore, quod Pramnii nomine ab Homero celebratur: & Alexandrinum & Cyprium ob eandem rationem: ſcribit enim Plinius, Alexandrinam vitem acino eſſe nigro, fabæ magnitudine: Cyprium quoque vinum laudat, licet colorem non prodat. Fuit itaque in his gemmis color vini ſatur admodum, à cuius nomine appellatur. Utrum autem hanc gemmam hodie noſcamus, ambigo: certè fluores iſti, de quibus Agricola, mihi quidem minimè ſatisfaciunt.

Eſt mihi ovalis figuræ plana, nigri quidem coloris & opaca primo intuitu, ſed quæ, ſi Soli aut candelæ lumini objiciatur, ſaturò admodum Carbunculi colore tranſparet: verum num ſit Pramnium aut Alexandrinum, non auſim affirmare: gemmarii noſtri artifices iudicant eſſe Achaten. Habeo & aliam itidem, primo intuitu ſubnigram, ſed lumini obiecta eundem colorem cum ſuperiori prodit: Hanc variis artificibus gemmariis oſtendi, ſed negabant ſe ſcire qualis eſſet gemma: ſi Morion non eſt aut Pramnion, certè quam proximè ad Plinii Deſcriptionem accedit. Boetius quoque in capite, in quo tractat gemmas ordine Alphabetico, ad Morion annotat; Videtur Bohemorum Topazius, qui nigredine exuſta aureus apparet, alias ex nigredine tranſparente ignis ſcintillat. Quæ ſententia propius ad veritatem

ritatem accedit. Multæ itidem gemmæ quoque viſuntur, quæ exacte colorem vini Cretenſis cocti referunt, (quas gemmarii noſtri Sardonychas perperam nominant,) atque ideo recte Morion aut Pramnion poſſent appellari : nam ut ante dixi decepit multos adiectivum nigri.

Plinius denique ſcribit ad ectypas ſcalpturas aptari; habeo autem tenuiſſimam, ſed volæ amplitudine, eiuſmodi gemmam colore vini cretenſis, ex qua exſculpta eſt facies viri ſenis elegantiſſimo opere. In altera autem quam dixi Coloris primo intuitu nigri, inſculptum eſt tropheum & vir thoraci ſcutoque inſidens.

In Theophraſti libro de lapidibus, ubi agit de marmoribus, lacuna eſt. † μέλας ἀνθὸπ διαφανὴς ὁμοίως τῷ Χίῳ. dubitavi aliquando an ſupplendũ eſſet Μόριον. Sed quia animadverti Plinium lib. 36. cap. 17. ad hunc locum reſpexiſſe, cum ſcribit; *Theophraſtus author eſt & tranſlucidos lapides in Aegypto reperiri, quos ophitæ ſimiles ait:* licet Theophraſtus dicat τῷ Χίῳ, (in quo Plinium aut memoria aut varia lectio potuit fefelliſſe) ſententiam muto.

Cap. XXI.

De Chalcedonio.

ANtiquos peculiarem gemmam hoc nomine habuiſſe, nondum potui obſervare, niſi quod in Apocalypſi cap. XXI inter gemmas ponitur χαλκηδών: pro quo viri quidam docti legendum putant Καρχηδὼν (licet Hieronymus & Vet. interpres verterint Chalcedonium) quia Arethas ad hunc locum adfert ea que Plinius ſcribit de Carchedonio Carbunculo: quod haud dubio inde factum, quod de Chalcedonio nihil apud authores invenerat. Duabus

bus gemmis, ſed diverſi generis, Smaragdo atque Iaſpidi, Chalcedonem quidem patriam aſſignat Plinius, unde utraque Chalcedonia poſſet agnominari. Mirum autem quantopere recentiores Scriptores, circa hanc gemmam, quæ hodie Chalcedonia audit & corrupte Caſſedonia, hallucinentur; nam ut alios omittam, Anſelmus Boetius diligentiſſimus cætera gemmarum deſcriptor, cum ſibi Chalcedonium vel Carchedonium deſcribendum propoſuiſſet lib. 2. cap. 87, orditur à Carchedonio Carbunculo, de quo Plinius copioſe in cap. de Carbunculo, cum tamen ipſe fateatur, & recte, illum aut Granatum eſſe aut Amethyſtum Orientalem: nihil autem Carchedonio commune cum Chalcedonio, non magis quam Chalcedoni cū Carthagine magna, à cuius opulentia illam Carbunculi ſpeciem nomen meruiſſe ſcribit Plinius. Alienum itaque de Carchedonio hîc agere. Deinde inter Chalcedonii notas refert, propter duriciem ſcalpturæ contumacem eſſe, quod de Carbunculo dixerat Plinius; & quod huic gemmæ quæ hodie Chalcedonia vocatur, & de qua ipſi agendum erat, minime convenit: & ita porro utriuſque colores & natales confundit. Poſtremo & ad Onychis ſpecies hodiernum refert Chalcedonium, & Veterum Onychen candidam fuiſſe arguit: quemadmodum & Cæſalpinus: *hodie*, inquit, *candidam Onychen Chalcedonium vocant, ſive omnino opacus ſit, ſive aliquantiſper tranſluceat.* Verum neque Plinius neque alii veteres uſquam meminerunt Onychis Chalcedoniæ; ſed Iaſpidis quandam ſpeciem à Chalcedone mitti ſcribit Plinius, & quidem turbidam; cum qua non male convenit gemma de qua agimus, vel ſecundum ipſius Boetii deſcriptionem. inquit enim: *Chalcedonius itaque gemma eſt quaſi per nubem vel nullo vel levi aliquo colore tinctam, totumque corpus occupantem,*

tem, ſemiperſpicua, &c. Accedit autem duricie ad Achaten Germaniæ, uti à perito artifice accepi, tantum abeſt ut propter duritiem ſcalpturæ ſit contumax. Quare haud male iudicat Franciſcus Imperatus; Onychen improprie ab authoribus Chalcedonium appellari: duricie enim & albedine inter ſe differre: ſiquidem durius eſt Chalcedonium, Onyx magis perſpicua.

Artifices gemmarii hodierni gemmam hanc à Iaſpide, Achate & aliis eiuſdem generis diſtinguunt: & cum Chalcedonii perſpicuitate differant inter ſe, maxime laudant eos, qui ſunt albo colore, vergente ad cæruleum dilutum. Marbodæus Gallus cap. XXI. *Chalcedon lapis eſt hebeti pallore refulgens.* Naſcuntur in Germania, & quidem Miſnia, maxima copia. Reperiuntur & in Brabantia, circa Lovanium & Bruxellam, ut notat Boetius, ſed obſcuro candido aut terreo colore.

Uſus huius gemmæ maximus hodie eſt. quem explicat Agricola: *nunc*, inquit, *in Onychis Germanicæ excecta candidi coloris cruſta, à ſcalptoribus inciduntur inſignia, quibus nobiles familiæ gaudent, quod magis cæteris eiuſdem gemmæ venis tranſluceat & durior ſit Cryſtallo: ſublinunt autem id genus cruſtis eorum colorum pigmenta, quæ exigunt inſignia. Ex eadem Onyche Germanica ſiunt globuli quibus numeramus preces, capuli, pocula, mortariola, in quibus Smiris contunditur.*

Cæterum huius gemmæ non ſculptæ aut formatæ viliſſimum eſt pretium, & univerſæ levis admodum authoritas.

Varias huic gemmæ virtutes tribuunt authores, quas vanas iudico.

Addit Boetius: ex India adferuntur nonnulli modice tranſlucidi, ex albo palleſcentes, nonnulli lacteis zonis diſtincti, quos credunt appenſos valere

ad

ad lactis ubertatem. Vidi eiuſcemodi permultos è Nova Hiſpania allatos, perforatos ſuperiori parte, ita ut commodè collo appendi poſſent; ſed an hac virtute polleant,non dixerim; vulgo creditur. Præter autem illos in quibus zonæ illæ lacteæ cernuntur, ſunt & alii eiuſdem generis, in quibus fumoſa quædam, interdum & atra nubecula cernitur; alii in quibus veluti putredo quædam flava qualis in corrupto caſeo deprehenditur, & ſimilia: reliquum autem corpus eſt aut album aut lacteum aut pallide fuſcum. Incolæ autem Novæ Hiſpaniæ videntur virtutes aliquas occultas in illis agnoſcere, quia & formant illas & aptas faciunt ut aut collo appendi poſſint aut brachiis alligari.

CAP. XXII.

De Achate, Iaſpide, Heliotropio.

PAuca de hiſce gemmis dicenda habeo, ſiquidem ſatis notæ ſunt, & Boetius diligentiſſime perſcripſit, quæcunque ad differentiam inter ſe & ſingularum naturam atque uſum pertinent. Diſtat Achates ab Onyche, quod hæc zonas verſicolores habeat, Achates vero lineas, maculas & variarum rerum imagines, tanta interdum varietate & inter ſe mixtura ut oculos mirabiliter paſcat.

Iaſpis autem eandem plane varietatem admittens, in hoc tamen differt ab Achate, quod neque ita ſit dura, neque tam exactè perpoliri poſſit; ſed ſemper aliquid pulverulenti & ſcabri in ſe habere videatur. Theophraſtus: καλὸς ἢ λίθος καὶ ὁ Ἀχάτης, ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀχάτου ποταμοῦ τοῦ ἐν Σικελίᾳ. καὶ πωλεῖται. τίμιος. ἐν Λαμψάκῳ δέ ποτ' ἐν τοῖς χρυσίοις εὑρέθη θαυμαστὴ λίθος, ἐξ ἧς ἀνενεχθείσης πρὸς σφύραν, σφραγίδιον γλυφερὸν ἀνεπέμφθη βασιλεῖ, διὰ τὸ βέλτιον. Qui locus cum ſit

cor-

corruptus, (quid enim ſibi vult *quæ cum ad malleum relata eſſet?*) ita corrigendus πρὸς Τύραν, urbem Mœſiæ inferioris ad Euxinum.

Fortun. Licetus in Lithoſphoro cap. LIV. *In Etruria prope Bargam oppidum, effodiuntur paſſim Dendrachates lapides, inſigniti arborum, plantarum, nemorumque pulcherrimis Iconibus.*

Iaſpis autem laudatiſſima viridis, quàm India mittit. Sunt & in quibus præter varios colores, Cryſtallinæ partes intercurrant, quæ omnium difficillime exactè poliri poſſunt.


Heliotropium hoc tantum differt ab Achate & Iaſpide, quod in viridi obſcuro corpore notas vel puncta ſanguinea habeat: perperam autem à quibuſdam vocatur Iaſpis Orientalis, nam Iaſpis illa Orientalis laudata magis viret, & nihil ſanguinei in ſe admittit.

Quod autem [a] Plinius dicit; *Totus Oriens pro amuletis traditur geſtare eam, quæ ex iis* (Iaſpidum generibus) *Smaragdo ſimilis eſt; & tranſverſa linea alba media præcingitur & Grammatias vocatur: quæ pluribus Polygrammos.* Id Boetius non ſatis rectè cap. 102 ita retulit. Iaſpis grammatias aut polygrammos appellata, quæque virens Smaragdo perſimilis eſt, ac purpureum quid in ſe continere videtur, albaque cingitur linea, ad venena quævis, ut & aliæ omnes, pro amuleto geſtatur. Male enim omiſſum *tranſverſa linea.* videri enim poterat albo circulo cingi, cum tantum linea diſtinguatur. Quidam enim Græci γραμμὴν vocant, alii διάφυσιν, lineam vel ductum rectum. Nihil autem Plinius de purpureo.

Addit porro Boetius; Grammatias, ſi albas duas lineas decuſſatas, ut crucis figuram, habeat, prædicatur ferentem contra aquæ iniurias & ſubmerſio-

a *Lib.* 37. *c.* 9.

merſionis periculum tueri. Id magicam vanitatem ſapit. Sed tales nunquam vidi. Cruciferæ autem Iaſpides quæ in Miſnia reperiuntur, ad hunc modum ſe habent, ut hîc expreſſimus.



Crux decuſſata eſt coloris cærulei ſaturi, reliquum corpus cinerei. Sed puto magis referendum ad cruciferum lapidem quem Boetius deſcribit lib. 2 cap. 245. Achatæ vel Iaſpidis vel potius Onychis haud dubio ſpecies eſt Aegyptilla; de qua Plinius lib. 37. c. 10. *Aegyptillam Iacchus intelligit, per album Sarda, nigraque vena tranſeunte, vulgus autem in nigra radice cæruleam facit.*

CAP. XXIII.

De Lapide Nephritico.

LApis qui hodie Nephriticus audit, à præſtantiſſima virtute qua pollet arenulas è renibus dejiciendi, ab Indigenis Novæ Hiſpaniæ appellatur *Iztliayotli quetzaliztli*, quia ſpeciem arbitrantur Smaragdi obſcurioris, ut ſcribit Fr. Ximenes: Hiſpani vocant *Piedra de los Rinones*: Itali *Oſiadam* à Sciatica; quod geſtatus illam curare dicatur, Galli *une Siadre*, corrupto Italico vocabulo ut ſcribit Boetius: In quo fallitur; nam in eadem Nova Hiſpania reperitur alius lapis, quem Hiſpani vocant *Piedra de hyada*; ex quo Itali fecere *Oſiada*, & Galli ſuum *Siadre*. Ita ut à Boetio duo diverſi lapides confundantur. Nam Fr. Ximenes poſtquam Nephriticum deſcripſiſſet; de altero agens cap. ſequenti, ita loquitur.

Eſt & alia ſpecies Iaſpidis viridis, licet multum diverſa à præcedente, quam Indigenæ vocant Tlilayotic, & differt in pondere, colore, figuris, & qualitatibus, &c. de qua ſtatim dicam. Germani vocant

Nephriticum *Kaleſzvvyn*, Belgæ *een Kalfsbee*; depravato nomine à Callais, ut quidam temere credunt: nihil enim commune habent. Sunt qui ad Iaſpidem viridem referant, & iudicant Galenum alioſque veteres haud aliam viridem Iaſpidem noviſſe; quod tamen non eſt veriſimile, quia durior eſt. Longius aberrant à vero, qui Praſio comparant. Ego ſui generis gemmam exiſtimo, neque Veteribus, ſaltem ea qua potiſſimum pollet virtute, fuiſſe notam, & ſi duriciem ſpectes, potius ad Smaragdi obſcurioris ſpecies eſſe referendam illam quæ exactè viret.

Neque obſcura eſt gemma, neque tamen pellucida, ſed media inter utrumque: atque hoc pene habet proprium, quod nunquam exacte poſſit perpoliri, ſed ſuperficies eius ſemper pinguior & veluti oleo inuncta appareat.

Porro plures illius ſpecies ab authoribus commemorantur: prima praſio non diſſimilis, ad viridem colorem tendens, lacteo permixtũ. Altera viridior. quam maximè laudat Monardes. Tertia, quam unam agnoſcit Fr. Ximenes, viridis inſtar Smaragdi obſcurioris, ſed candidis aut cinereis punctulis variata. Quarta ex viridi ſubflava & fere mellei coloris, ſuperficie valde pingui. Quinta ex variis coloribus, viridi, albo, flavo atque nigro mixta: neque tamen ex illis omnibus ſimul, ſed aliquibus tantum, multiplici varietate. Sexta, cuius meminit Boetius, obſcure viridis, opaca non ſecus ac ſi quis viridi nigrum permiſcuiſſet: in qua etiam punctula nigra ut in Ophite ſparſa videntur. Quibus adjici poteſt, in cīneteo cęrulea; valde dura, & lineis quibuſdam diſtincta, qualem in Cypro naſci prodidit Plinius, ut cenſet Augerius Clutius, qui eam inter Nephriticos ſuos, quos habebat quamplurimos, mihi oſtendit, licet virtutis adhuc dubiæ. Denique quam Boetius

tius ſe habere profitetur, inſtar Cryſtalli, ſed alba nubecula conſpicuam, à viridiori cui annata erat, ſeparatam.

Invenitur autem, præſertim ſpecies illa melleo colore, maxima copia in America, ad ripas Fluminis Amazonum & aliorum quæ ex illa Continentis parte in Oceanum egrediuntur: potiſſimum autem in Nova Hiſpania, unde plures in Hiſpaniam & reliquam Europam adferuntur. Naſcuntur autem magna interdum mole: nam Boetius ſcribit ſe vidiſſe apud Gemmarium Rudolphi II. Imper. fruſtum mille ſexcentis thaleris emptum, ex quo poculum ſatis amplum formatum fuerat. Memini quoque me vidiſſe in Anglia fruſtum mole capitis humani, quod ex Continenti Americæ haud longe à fl. Amazonũ erat allatum, è lacteo nonnihil virens, quod ille qui attulerat quinquaginta libris ſterlingenſibus æſtimabat. Americani porro geſtant hos lapides variis figuris efformatos, alios piſcium, alios avium capitibus aut pſittacorum roſtris ſimiles: nonnullos & rotundos ſphærularum forma aut etiam columellarum, omnes autem perforatos. Barbari qui Guianam incolunt magni illos faciunt, & ſolent pyramidali forma foraminibus indere ſub inferiori labio: talem Geſnerus vocat Oripendulum.

De virtutibus huius lapidis ſcribit [a] Monardes. *Indi*, inquit, *ſolebant eos appenſos geſtare adverſus Nephritidis aut Stomachi dolores, tum ad calculum expellendum & arenulas: præcipua enim eius laus ad Nephiriticos dolores. Nobilis mihi notus, unum habet, cui nullum alium comparandum vidi: nam eum brachio geſtans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut, metuens ne noxia ſit tanta deiectio, interdum illum deponat; nullumque tum calculum amplius eiicit; ſed dolore premente denuo eum geſtans ſtatim leva-*

a Cap. 31.

levatur aut minuitur dolor, multarum arenularum atque etiam calculorum expulſione. Ea autem occulta facultate præditus eſt ut ab eiuſmodi dolore præſervet geſtatus, renum calorem mitigando. Ducißa Bejar ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide ſibi confecit, quam perpetuo geſtat: ex illo tempore (quod decennium ſuperat) eo dolore nunquam vexata eſt. Alii multi ſenſerunt idem levamen: eamque ob cauſam in magno pretio ſunt huiuſmodi lapides; nec uti initio tam facile acquiri poßunt, quod ſoli earum Provinciarum Reguli & domini eas poßideant nec immerito, cum tam admirandæ ſint eius qualitates. Hæc ille. Verum cum tot ſpecies prodantur huius lapidis, certumq; ſit non omnes eadem & pari virtute pollere, difficilis videtur electio: nam Monardes præfert viridiores in eo genere, qui praſio ſunt ſimiles & ad viridem colorem vergunt lacteo permixtum. Ximenes qui Commentarium ſuum in ipſa Nova Hiſpania ſcripſit & in urbe Mexicana edidit, unicum agnoſcit & laudat, viridem inſtar Iaſpidis, ſed punctulis quibuſdam candidis variegatum. Boetius commendat lapidem Nobil. viri Nicolai Damanni, obſcure viridem, punctulis nigris conſperſum. Alii alios laudant. Ego ex certa experientia, quam ſæpe feci in uxore, affirmare poſſum, lapidem quem habeo oblongum & planum, modiceque craſſum, coloris pene mellei, ſuperficie valde pingui, ſub carpo alligatum brachio, eadem illa feliciſſime perfeciſſe, quæ ſcribit Monardes de lapide illius Nobiliſſimi viri. Habeo & armillam è lapide obſcure viridi & punctis pene nigris diſtincto, quam uxor quoque ſæpe geſtavit, neque tamen ſimiles effectus obſervavi. Itaque experientia in diverſis ſubiectis facta hic potius obtinebit, quam gemmariorum iudicium. Novi multos qui periculum fecerunt in illo qui à fl. Amazonum affertur, ſed neque ſem-

per

per iſti effectus fuerunt producti. Denique & hoc diſquirendum, cui potiſſimum parti corporis ſit applicandus: brachio ſub carpo alligare, ita ut arteriam, in qua Medici pulſum periclitantur, premat, uſitatiſſimum video: ſed & regioni Renum aut parti dolenti alligare ſuadent alii: quare utrumque experiri tutiſſimum puto, atque etiam in diverſis ſpeciebus, ut ex effectis iudicium de virtute ferri poſſit.

Cap. XXIV.

De Lapide Colico: & ad ſuffocationes Vteri.

Nephritico non inconveniens erit adiungere Colicum ſive Iliacum: de quo ita Fr. Ximenes, poſtquam caput de lapide Nephritico abſolverat. *Reperitur,* inquit, *in Nova Hiſpania, & alia ſpecies Iaſpidis viridis, diverſa à præcedenti, quam Indigenæ vocant* Tlayotic, *& Hiſpani* piedra de la Hyada: *quæ differt pondere, colore, figuris & facultatibus à ſuperiore. Eſt enim hic lapis ponderoſior, obſcurior, coloris viridis, ſine ullis punctis. Solent autem indigenæ varias illi dare formas, uti hominis aut idoli: item efformare longas & rotundas admodum columellas. Itemque planas atque rotundas inſtar globulorum. Hic lapis ſaliva aſperſus & nonnihil manibus attritus & confricatus, imponitur umbilico aut parti dolenti, ſedatque dolores colicos aut iliorum, expellendo humores noxios & flatulentos è corpore per ſuperiora & inferiora: præterea alligatus brachio ſub carpo, atque ita continuo geſtatus, impedit ne hi affectus naſcantur.*

Reperiuntur ibidem præterea alii lapides dilutiores, quos Indigenæ appellant Izticpaſo-quetzaliztli, *qui ad alias ſpecies Smaragdorum poſſunt referri, non minus utiles contra dolores colicos & affectus inteſtinorum. Denique alius lapis eiuſdem generis, coloris viridis magis diluti, & vergentis ad cinereum, maculis quibuſdam viridioribus pictus,*

ad ſpecies Iaſpidis viridis aut Smaragdi vulgaris referendus: quem Indigenæ vocant Xoxouhquiticpatli, cuius facultates adhuc ignorantur.

Ad hanc quoque claſſem adjicere poſſumus lapidem viridem, punctis magis obſcuris variegatum, quem appellant *Cuitpalli*, id eſt, lapidem pictum: licet quibuſdam partibus tranſluceat; de quo nihil memorabile prædicant.

Quia autem iam incidimus in gemmas ſive lapides Novi Orbis, addamus & alium lapidem, de quo ita *a* Monardes: Adfertur è Nova Hiſpania lapis, quem uteri morbis apprimè utilem eſſe ferunt. Niger eſt, admodum politus, ponderoſus, maiore ex parte teres & rotundus. Mirum porro eſt quod de hoc lapide prædicant: nam mihi affirmavit Nobilis quædam & magnæ authoritatis Matrona, quæ illo uſa eſt, & in umbilico geſtavit adeo firmiter inhærentem, quaſi iſthuc adglutinatus fuiſſet, ex quo præſens & certiſſimum ſenſit commodum: idem aliæ aſſerunt, quæ ſimili modo iſto lapide ſunt uſæ. Cum uteri ſuffocationem imminentem præſentiunt, adhibito lapide, ſubito levantur, & ſi eum perpetuo geſtent, nunquam ſimili morbo corripiuntur. Exempla eiuſmodi faciunt ut his rebus fidem habeam. Hæc ille.

Franciſcus Ximenes qui diligenter de plantis, animalibus, gemmis Nov. Hiſpaniæ ſcripſit, meminit lapidis admodum nigri & politi, quem in Miſteca ſuperiori naſci tradit & ab indigenis appellari *Iztichuilotli:* verum nullius uſus eſſe, præterquam ad ornatum; ab Americanis eum magni fieri tantum ob inſignem eius nigredinem.

Habeo lapidem nigerrimum, politum, inſtar lapidis Lydii, in Scuti forma effictum, qui è Nova Hiſpania

a *Cap.* 35.

ſpania venit; habet autem notam unam atque alteram pene orbicularem, tanquam perfectiſſimi argenti, innatam. De quo nihil ſuperiores authores, neque mihi quicquam de illius natura compertum: Suſpicor tamen eundem eſſe poſſe cum illo ad uteri ſuffocationes utili.

CAP. XXV.

De Molochite & Turcoïde.

NOn tranſlucet, inquit [a] Plinius, *Molochites ſpiſſius virens, à colore malvæ nomine accepto, reddendis laudata ſignis, & infantum cuſtodia quadam innato contra pericula ipſorum medicamine.* Quia autem Boetius accuratè de hac gemma egit, non puto neceſſarium quicquam addere, niſi hoc unum; Epiphanium perperam referre ad ſpecies Sardonychis; dum inquit, ἔστι καὶ ἄλλος σαρδόνυξ ὃς καλεῖται μολοχὰς, τῆς δὲ αὐτῆς ἰδέας τυγχάνει, ὑποχλωρίζων. Molochiten confundit cum Sardonyche, quod plane abſonum eſt.

Quæ ſit gemma *Turcoïs*, omnibus notiſſimum eſt, quippe cum ſit uſu frequens, licet non magnæ hodie authoritatis: genera eius & facultates diligenter perſcripſit Boetius. Sed quæſtio eſt, quo nomine antiquioribus dicta ſit: de nomine Feruza & Ferugezi iam ante diximus ad Smaragdum: mihi non dubium eſt à Plinio & authoribus quos ſequitur Callaidem fuiſſe appellatam, convenit enim pulchre deſcriptio, quam Plinius tradit lib. 37. cap. 8. *Comitatur eam* (nimirum Topazii ſpeciem) *ſimilitudine propior quam authoritate Callaïs, è viridi pallens. Naſcitur poſt averſa Indiæ apud Incolas Caucaſi montis, Phicaros & Aſdatas, amplitudine conſpicua, ſed fiſtuloſa & ſordium plena. Sin-*

[a] *Lib. 37. c. 8.*

cerior multo præſtantiorque in Carmania: utrobique autem in rupibus inviis & gelidis, oculi figura protuberans, leviterque adhærens, &c. Turcoïdes enim oculi inſtar protuberat, & inferiori ſua parte ſatis oſtendit ſe à rupibus eſſe avulſam. Authores autem qui Callaidem Iaſpidis ſpeciem faciunt, & nominatim illam, quam Plinius eodem cap. VIII vocat Boream; itemque qui Turcoidem illam Iaſpidis ſpeciem credunt, non ſatis mihi videntur utriuſque naturam attendiſſe. Nam quid quæſo commune habet Turcois noſtra cum Iaſpide vel figurâ vel ſubſtantia? Molliſſima quippe eſt, nec ullam polituram aut deſiderat aut patitur. Multo minus probandi qui Cyanum antiquorum opinantur. Sculptas olim Turcoïdas liquet. & habeo unam ex qua imago Cæſaris cuiuſdam exſculpta, quam hic exhibeo ea mole qua eſt: ſed cuius pars maxima coloris nitorem amiſit, forte aliquandiu terra obruta. Sed antequam abeamus ab hac gemma, iudicia quorumdam magnorum virorum adſcribenda ſunt.



Iul. Scaliger Exercit. cxv. Reſudat quaſi gummi ex nigro lapide Turcheſia, in Perſia frequens: vocant Indi Peroſe. Veras explorant coloris mutatione. Interdiu cæruleam eſſe oportet; in nocte viridem ad lucernas: minus probari quæ non mutent. Item probatiorum aliud ſignum: ima pars nigra: à qua nonnihil emergit interdum venularum, quæ ſe inſinuant in ſuperficiem. Tertio experimento commendatur. Calcem aqua ſolutam adlinunt ſuperficiei. Si calx colorem excipiat, Turcheſiam eſſe optimam. Habeo tibi, ut ſæpe, gratiam; quod qua voce diceretur ab antiquis, ſignificaſti.

Nam

Nam Eranon, quod ei nomen adſcribebas, nuſquam comperire potui in univerſa congerie meorum Elector. Et poſt pauca: Mihi Perſicæ Iaſpidis Aërizuſæ ſpecies hactenus viſa eſt. Nunc qui aliter didiceris & doceas, tibi tanquam ſcienti atque etiam ſapienti cedendum cenſeo. Nam equidem exiſtimabam, omnem annulum, qui pro ſymbolo daretur ad convivia Sodalitiorum, Eranon græce dictum.

Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 236. locum Plinii cap. VIII corrigit & legendum cenſet, *Callaïna è viridi pallens.* In Indice MS:o, inquit, Galliana ſcribitur pro Callaïna. ita enim habetur in optimo libro Rigaltii: De Topazo, genera eius II, de Galliana, de Praſia. Callaïca & Callaïna idem. & ſubaudiendum gemma. à colore ſic dicta eſt. In aliis pleriſque gemmis, color ab ipſis nomen habet, ut *Amethyſtinus* ab *Amethyſto*, &c. At Callaïca gemma vel Callaïna à colore Callaïno. Et poſt pauca: At Callaïs apud eundem Plinium quaſi diverſa ab hac Callaïca recenſetur, capite quo gemmas perſcripſit per ſeriem literarum. *Callaïs*, inquit, *Sapphirum imitatur, candidior & littoroſo mari ſimilis.* Certe aliam eſſe oportet à Callaïca vel Veneti coloris gemmā. Sapphirus purpurea eſt vel cærulea: hæc Callaïs, quæ Sapphirum imitatur, candidior eſt, hoc eſt, purpuræ dilutioris, & littoroſo mari & non ita profundo ſimilis. nam altum mare πορφύρεον & κυάνεον. Unde Grammatici πορφυρȢν de mari, βαθὺ exponunt. & καλλαϊς inde etiam dicta quia καλλαῖον purpureum colorem etiam ſignificat, ut ſupra notavimus. Callaïca vero vel Callaïna gemma coloris Veneti atque è viridi pallentis; quare diverſa eſt à Callaïde. at nemo unus eſt hodie eruditorum, quin Callaïcam pro Callaïde accipiat: quin etiam omnes ſibi perſuadent paſſim Callaïdem eſſe quam *Turqueſiam* vocamus;

quorũm errorem ſupra (nimirum pag. 202) caſtigavimus.

Andreas Cæſalpinus lib. 2. cap. 26. poſt Callaïdis deſcriptionem è Plinio. At quænam, inquit, ſit ex iis quæ hodie habentur, incertum eſt: niſi intelligatur inter eas, quæ non tranſlucent, quam vulgo Turchinam vocamus. nam hæc non niſi oculi extuberantis figura cernitur: viride pallens pro colore aëris accipi poteſt: ut Plinius ſolet: nam in Pæderote, inquit: *Coëunt in tranſlucidam Cryſtallum viridis ſuo modo aër:* aliis tamen placet Turchinam inter Iaſpidis genera ponendam, quam Plinius Boream vocat, &c.

Cap. XXVI.

De Cyano ſeu lapide Lazuli & de lapide Lipis.

LApidem Lazuli eſſe Cyanum antiquorum, plurimi credunt. pulchre enim pleræque notæ conveniunt. Theophraſtus lib. de Lapidib. Cyanum deſcribens ait; Καὶ Κυανὸς, ὁ μὲν αὐτοφυὴς, ὁ δὲ σκευαστὸς, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ. γένη δὲ κυανοῦ τρία, ὁ Αἰγύπτιος, καὶ σκύθης, καὶ τρίτος ὁ Κύπριος, &c. Agit autem ibi de colore, ſubjicit enim Rubricæ & Ochræ; notiſſimum autem eſt ex Lazuli lapide præſtantiſſimum Cyaneũ colorem effici; cuius methodum docet Boetius. Sed mira eſt hallucinatio Plinii, qui ea quæ Theophraſtus ſcribit de colore, ad ipſum lapidem ſeu gemmam tranſlulit: neque enim ipſe lapis adulterabatur ſed pulvis quo pictores utebantur. ut ſatis liquet ex illo loco Theophraſti, è quo Plinius ſua ſumſit, licet ordinem inverterit. Quod & Boetium fefellit. qui ex eo colligit Cyanum Plinii noſtram Sapphrum videri: *quia,* inquit, *eam adulterari maxime tinctura tradit, idque in gloria regis Aegypti aſcriptum fuiſſe, qui pri-*

mus

mus eam tinxit. Opacæ vero gemmæ cum tingi non poſſint, &c. Non tingebatur gemma, ſed fiebat color factitius & adulterinus pro vero Cyaneo. Theophraſtus autem ante egerat de Cyano gemma; & primum dixerat, Sapphirum,cum nigra ſit, (id eſt, ſature cærulea) non adeo longe diſtare à Cyano mare. & poſtea; Cyanus etiam altera mas,altera fœmina;nigrior autem mas.

Cæterum Lazuli lapis, ut hodie audit, notiſſimus eſt, & ſatis diligenter à Boetio deſcriptus aliquot capitibus. Plinii igitur locum obiter emendabimus. Reddetur, inquit, & per ſe Cyanos, accommodato paulo ante Iaſpidis nomine, colore cæruleo. (Omnino legendum autumo, *damnato paulo ante Iaſpidis nomine.* nam capite antecedenti *cæruleum* colorem in Iaſpide damnaverat; *non minus multæ ſpecies,* inquiens, *reliquæ, ſed omnes in vitio cæruleæ,* &c. Ex iis quæ hodie leguntur nullus commodus ſenſus exſculpi poteſt.) *Optima Scythica, dein Cypria, poſtremo Aegyptia.* (hæc ut ante dixi perperam è Theophraſto expreſſa.) *Adulteratur maximè tinctura, idque in gloria regi Aegypti* (ut corrigit Cl. Salmaſius) *aſſcribitur, qui primus eam tinxit: dividitur & hæc in mares fœminaſque.*(Hæc iam gemmæ quam lapidem Lazuli vocant conveniunt, ut & ſequentia.) *Ineſt ei aliquando & aureus pulvis, non qualis in Sapphirinis. Sapphirus enim & aureis punctis collucet. Cæruleæ & Sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nuſquam tamen pellucidæ.* Vide quæ Cl. Salmaſius annotavit ad Solinum pag. 201 & ſeq.

Addamus hìc è Zacuthi obſervat. LXXXIII lib. I. *Hiſtoria,* inquit, *apud Hiſpanos trita, ſed propter exteros non reticenda.* Inter auxilia celeberrima quæ ad doloſa ulcera & depaſcentia, præſertimque Gallica coërcenda, eorum putrilaginem abſumendam, utilia ſunt,

ſunt, hoc præſidium obtinet principatum. nam ſua cauſtica vi, eorum malitiam & virulentiam infrænat, de cuius utilitate eximia nec aromatum diligentiſſimi ſcriptores, nec *Garzias ab Horto, Chriſtophorus à Coſta, Monardus*, imo nec *Cluſius* ipſe, in inveſtigandis Indiarum arcanis laborioſiſſimi, nec alii fecere commemorationem ullam. Cuius hiſtoriam referre non gravabor. In novo Orbe, in provincia dicta Potoſi, in civitate vocata *Lipis*, in aſperis montibus oritur lapis, cui ab Incolis civitatis iuxta quam naſcitur, eſt inditum nomen, quare vocatur *Lapis Lipis*. Hic intus colorem habet cæruleum Sapphirinum cum tranſparentia quadam. Duriſſimus eſt, ſed in minuta finditur fragmenta. Guſtu ita acris & mordax, ut ſi tantillum iuxta linguam apponas, excitato ardore illam exulceret. Affertur à multis mercimonii cauſa, venditur in taleolas redactus, ita ut ſi eum è longinquo videris, parum diſtare à merce illa, à Luſitanis vocata *Anil* & Belgis *Indigo* dicta, arbitreris: niſi quod *Lipis* clarum & tranſparentem ſortitur colorem, merx vero illa aliquantulum obſcurum. Demum hic lapis cætera ſui generis medicamenta longe antecellit, ſi grana eius quatuor in tenuiſſimum pulverem redacta in unciis duabus aquæ roſarum aut plantaginis per horam maceres, & aqua hac quæ cærulea ſtatim fit, ulcera mundifices: aquæ enim vi & mixtura, cauſtica & ignea eius vis lenitur & miteſcit. Hæc ille. Obſervandum autem quod & [a] Plinius ſcribat; de cæruleo optimo. *Vis eius in medicina, ut purget ulcera: Itaque & emplaſtris adjicitur: item cauſticis.* Porro fruſtula aliquot huius lapidis, dono accepta à Luſitano, attentius contemplatus, obſervavi colorem in illo dilutè cæruleum, ut ſcribit Zacutus, ſed intermicant micæ quaſi argenteæ, ut ſuſpicer

metal-

a *Lib.* 33. *c.* 13.

metallici aliquid illo contineri;quinetiam pauxillum viridis nonnullis partibus admixtum eſt: neque male convenit cum lapide Armenio. Cæterum non video cur Zacutus tranſparentem habere colorem dixerit, nam omnino cœcus eſt lapis.

CAP. XXVII.

De lapide Novacularum è Fr. Ximene.

FR. Ximenes lib. 10 parte II cap. XIII deſcribit nobis quendam lapidem N. Hiſpaniæ hoc modo. Cultellos aut novaculas, inquit, pugiones & alia mille generum inſtrumenta ſimilia, quibus Indi antiquitus utebantur, tam ad uſum belli quam ſcindendum alias res, antequam ferri uſum noſſent, ſolebant facere è lapide quem ſuo idiomate vocant *Iztli:* qui tres ſolet habere diverſos colores, nimirum cæruleum, album & nigrum; licet omnes tranſparentes; & ſi auro aut argento includantur maximi fiunt, & ſunt admodum pellucidæ, quin etiam in eis videntur rerum imagines haud ſecus quam in ſpeculo optimo. Lapides hi è ſuis lapidicinis extracti, quarum magna eſt copia circa metropolin Mexico, finduntur in modicas partes ſponte angulatas, & poliuntur aliis lapidibus magis duris & aſperis: & cum certo inſtrumento quod haud diſſimile eſt thecæ Sloppeti, tenendo lapidem inter duos pollices pedum & cruribus inclinatis, artifices induſtria & impetu admirabili eruunt ab utroque latere, laminas craſſas cum umbone in medio, & duabus aciebus æqualibus, paulo craſſioribus quam ſunt noſtri cultelli, & latis digitum tranſverſum aut paulo plus: quæ tam acutæ ſunt & penetrantes acies, ut in mundo nihil acutius fingi poſſit; verum ſunt fragiles, & facile diſſiliunt in minutas partes, aut hebetantur.

tantur. Iſtis cultris ſive novaculis ligno inditis, ad modum noſtrorum gladiorum, & firmatis illo genere gummi quod vocant *tzinacan cuitlatec*, formant gladiolos tam terribiles ut uno ictu hominem findant in duas partes, (modo ſit primus ictus, nam cęteri ſunt vani) tam acuta eſt acies illorum armorum, & tanta fragilitas. Ruptis gladiolis iſtis, eximunt novaculas, denuoque illas acuunt, & eis ſagittas ſuas aſperant, quibus lædunt atque occidunt hoſtes ſuos; ſueti enim ſunt præliari eminus arcu & ſagittis. Pulvis huius lapidis mixtus cum Cryſtalli pulvere mundat admirabiliter oculos & nubeculas diſcutit & alias maculas, & clarificat viſum.

Addit deinde alium lapidem, quem vocant *Tolteca-iztli*, punctis nigris & rubris variegatum, cuius pulvis cum pulvere Cryſtalli mixtus eadem præſtat.

Cap. XXVIII.

De Fluoribus.

NOn abs re fuerit hîc addere quæ Chriſtophorus Encelius breviter ſcribit de fluoribus lib. III cap. I.

Fluores, à Germanis fluſſe, *lapides ex fodinis ſimiles ſunt gemmis ipſis, ſed minus duri. Metallici vocant fluores, ſiquidem ignis calore ut glacies ſole, liqueſcunt & fluunt: ſuntque fluores quaſi contrarii metallis iſtis mediis ſeu remotis, quæ in ſpiritus & aërem ſolvuntur. Theophraſtus ipſos ſi noviſſet, &c.* συῤῥοὰς *vocaſſet, quod fluxu in terra fierent. Sed credo ignotos fuiſſe omnino veteribus.* Fallitur; nam Theophraſtus ſatis diſerte illorum meminit. Κατὰ δὴ τὴν πύρωσιν τήκονται καὶ ῥέουσιν, ὥσπερ οἱ μεταλλευτοί. ῥεῖ γὰρ ἅμα τῷ ἀργύρῳ καὶ τῷ χαλκῷ καὶ σιδήρῳ καὶ ἡ λίθος ἡ ἐκ τούτων. Id eſt. Ad ignem igitur admoti nonnulli liquantur & fluunt; quales ii qui in metal-

lis

lis reperiuntur. Nam unà cum argento, ære ac ferro, fluit & lapis qui ex iis eſt. Ubi manifeſte vides, fluores ipſi haud ignotos fuiſſe. Pergit deinceps Encelius: *Verum ut fluorum ſpecies agnoſcas melius, propter ſtudioſos more conſueto ſubjiciemus. Rudimenta gemmarum, & ſimiles gemmis ſunt fluores,* die fluſſe, *noti in fodinis, ſuntque*

1. *Rubri coloris; videntur primo aſpectu argentum quaſi rubrum rude; quanquam & hoc interdum tranſlucidum apparet. Videntur etiam eſſe Carbuncubi: ſed perſpicui languidius refulgent. qui vero non tranſlucent, vel eo ipſo diſtinguuntur à Carbunculis. Omnis autem generis fluores quam primum ignem ſenſerint, diffluunt. Carbunculi vero igne non liqueſcunt.* Hæc ſumta ſunt ex Agricolæ Bermanno, ſicut & ſuperiora, niſi quod Agricola diſerte non dicat Theophraſto fluores ignotos fuiſſe.

2. *Purpurei coloris dilutioris. Videntur eſſe Amethyſti viliores* (in edito malè viridiores) *quales in Bohemia reperiuntur multis locis, & certe non multum diſſimiles eis ſunt, quare vulgus his illuditur; deinde Amethyſtos non novit. Nequam annulis inſerunt, & vendunt pro Amethyſtis.*

3. *Candidi coloris. Videntur eſſe Cryſtalli.*

4. *Lutei coloris. Videntur quaſi Topazii eſſe.*

5. *Ciner acei coloris.*

6. *Subnigri coloris.* Addit Agricola in Bermanno: *quinetiam quibuſdam violaceus eſt color, aliquibus viridis, aliis flavus.*

Eſt autẽ fluorum uſus; dum metalla excoquunt, illos adhibent, & injiciunt. Reddunt enim materiam in igne fluidiorem, perinde ac lapidis genus quod è pyrite conficitur. Ex talibus fluoribus credo fierent optimi colores, ſi quis tentaret.

Agricola lib. v de Natur. Foſſil. *Eorum tria ſunt genera: unum gemmis ſimillimum tranſlucidis; alterum eis*

non

non multum ſimile. Nam plerumque non pellucet, raro ex aliqua parte, rarius totum. Illud vero ſparſum reperitur in argentariis & cæteris metallis. hoc in propriis venis ſæpe copioſum. Tertium eſt ex quo conficitur vitrum: quanquam & iam ex aliis duobus poteſt confici. Nec vero primi generis lapilli pellucent modo, ſed etiam refulgent: eiſque color idem qui gemmis inſidet. Nam alii ſunt ſimiles Cryſtalli, alii Smaragdi, alii Praſii, alii Cyani, alii Amethyſti, alii Hyacinthi, alii Carbunculi, alii Chryſolithi, alii Mori, alii denique aliarum gemmarum, atque ab iis mollitudine tantum differunt. Ex eo autem quod dicit, ex tertio genere vitrum confici; & Plinius ad eundem modum lib. 36. cap. 26 dicat de vitri confectione: *ſimili modo & calculi ſplendentes multifariam cœpti uri;* non etiam Plinio ignoti fuiſſe videntur fluores, licet hoc nomine non deſignet.

LIBER

LIBER SECUNDUS
De
LAPIDIBUS.

Libro ſuperiore egimus de lapillis qui gemmarum nomine, aut ſuo, aliquam dignationem habent: nunc quædam adjiciemus de cæteris lapidibus, ordinem Boetii ſequentes, & tantum annotabimus ea quæ aut ille non ſatis explicavit aut præterivit: aut quæ ab aliis melius explicata invenimus, atque propria experientia didicimus.

Caput I.

De Stellari lapide; Aſteria: Lapide Bufonis.

DE Stellari lapide agit Boetius lib. 2. cap. 145 & ſeq. & exhibet duas ſpecies, quarum Icones dederat Geſnerus, de figur. lapid. cap. 11.& addit: Aliquando in hoc lapide non Stellæ ſed roſæ conſpiciuntur. Huius Icones hic adiungendas iudicavi, ne quid harum rerum curioſi deſiderarent. Ferrantes Imperatus vocat hos lapides Poroſos lib. xxiv. cap. 24. & diſtinguit in Stellarem maiorem atque minorem: & eum quem dicit Filicis frondes imitari. Subjicit Boetius cap. 148 deſcriptionem Aſteriæ veræ ſeu Stellaris lapidis, & addit Icones à Geſnero expreſſas. Camdenus in Provincia Lincolnienſi, agens de Caſtro *Belvoir*: *ſub hoc inveniuntur*, inquit, *Aſtroites lapides, qui Stellulas invicem connexas repræſentant, in quibus radii eminent ſingulis angulis quini, & ſingulis radiis media cavitas ſubſidet.*





A victoria hic lapis apud Germanos nomen invenit, quod (ut eſt apud Agricolam lib. VI. *Foſſil.) putant illum qui geſtaverit, cauſam obtinere & hoſtes vincere. An tamen hic noſter, ut ille Germanicus, in aceto poſitus ſe loco moveat & in orbem nonnihil torqueat, mihi nondum experiri licuit.* Fefellit Camdenum ſummum virum ambiguitas nominis, nam Agricola tribuit quidem hunc motum Aſtroiti, ſed intelligit Stellarem lapidem paulo ante deſcriptum; hunc autem vocat Aſteriam, qui cum ponderoſus ſit & metallicæ ſubſtantiæ non videtur idoneus huic paſſioni. Idem Camdenus ſcribit & in Warvicenſi provincia reperiri prope *Sgugburie*, & dominos illius loci in digma ſuum gentilitium tranſtuliſſe.

Lapidem Bufonis ſeu Garatronium deſcribit Boetius eodem lib. cap. 149. & ſeq. Icones autem à Geſnero acceptæ ſunt, qui de figur. lapid. cap. XIII. ſub finem de illis ita ſcribit: *Batrachitæ vel Crapodinæ vulgo dicti lapides, à Bufonibus, quorum capitibus eos contineri perſuaſum eſt. Sunt autem eius ſpecies tres exhibitæ, magnitudine differentes: figura hemiſphærica, cavi intus, foris convexi: quartus maior & oblongior eſt. Cæteros fere* Krottenſteyn, *id eſt, Bufonis lapides noſtri vocant. Quartum qui rarior eſt, audio* Slangenſteyn oder groſſer Krottenſteyn *vocari, id eſt, ſerpentium lapidem, tanquam Ophitem dicas. Tertium minimum minuſque cavum Calvariæ Bufonis nomine ab Hieron. Cardano accepi. Sed in huiuſmodi lapidum nominibus magna paſſim varietas & incertitudo eſt.* Et alio loco: Georg. Agricola lib. V de Natur. Foſſil. *Brontiam ſimul & Ombriam Germanicè interpretatur* groſz Krottenſtein, *id eſt, Batrachiten vel Chelonitidem maiorem: &* Donnerſtein, *id eſt, tonitrui lapidem: &* Wetterſtein, *id eſt, Tempeſtatis lapidem. Eiſdem vero tribus nominibus Cerauniam quoque interpretatur, niſi quod à levitate differentiam addit, cum Ombriæ*

Bron-

Brontiæque non ſint læves, ſed partibus quibuſdam inæquales, aliis eminentibus, aliis humilioribus. Nos plura de his omnibus, minori vero inprimis ſcripſimus in lib. de. Quadrupedibus oviparis, cap. de Ranis Rubetis G. Sed quia Boetius alibi de ſingulis diſtinctim agit, plura hic non dicemus, niſi bene ab ipſo obſervatum eſſe, hos lapides omnino eſſe diſtinguendos, & nomen lapidis Bufonis omnino referendum eſſe ad illos quatuor, quorum Icones à Geſnero ſunt expreſſæ. Itali vocant *Pietra della Vertigine* aut del *Reſpo*. In Theſauro gemmarum Italicè edito ſub nomine Accademici Ardentis Aetherei cap. XXVIII, poſtquam Auctor varios colores & figuras huius lapidis deſcripſiſſet, addit. *Subſtantia illius eſt quaſi vitrea, duriſſima, relucens, quaſi è terra cocta & invitreata facta eſſet ſine tranſparentia. Et interius continet lapidem vel ſaxum loci in quo nata eſt, niſi induſtria fuerit excavata, quod haud difficile eſt. Hæc gemma, quemadmodum propria experientia obſervavi, naſcitur in ſcopulis quorumdam marium Franciæ, Sardiniæ & Maioricæ, forte & alibi: in parte ſcopuli aut littoris, quæ à fluctibus pulſatur, reperitur ſaxum album, quaſi calcinatum & ſatis durum, verumtamen fragile; quod homines gnari percutientes maſſis aut malleis ferreis, comminuunt in partes minutas, & inveniunt in illo has gemmas, ad eundem modum quo Oſtreas, quas vocant Dactylos, in ſaxis ſcopulorum ſub fluctibus marinis & in fundo maris.* Præcipuam illius virtutem prædicat contra vertiginem capitis, ſi parti dolenti applicetur, aut brachio: minus compertam, contra pleuritidem, deliquia animi & morbum Caducum. Docuit me Vir Nobiliſſimus Wilhelmus Bozwellus Sereniſſimi Regis Mag. Britan. res Agens apud Illuſtr. & potentiſſimos DD. Ordines generales Confæderati Belgii; hanc gemmam ſi ardenti Candelæ propius obiiciatur, eam ſenſim extinguere, quod ſæpius fue-

rit expertus, ſed gemmam paulatim nonnihil corrumpi & veluti rugas contrahere.

Sed obſervandum, Garatronium male confundi à Boetio cum lapide Bufonis, cum Ferrantes Imperatus diverſum faciat, uti revera eſt. quem lib. xxiv. cap 25. ita deſcribit: Garattronius in lineamentis nonnihil ſimilis eſt Marmori ſcripto, ſed differt colore, qui in Garatronio eſt Ochræ, aut Purpureus, in Marmore vero niger & albus: & eſt lapis multum æſtimatus propter pulchritudinem figurarum ſimilium ductibus Arabicis, coloris aurei in campo Purpureo: quia ab Aſiaticis receptus eſt in ornamentum corporis, & ex illo fiunt manubria gladiorum. Demonſtrat manifeſte concretionem ſuam è mixtura putavinum cum terra, cui ſupervenerit ſuccus petrificans coloratus. Unde lapide polito, è ſubſtantia putaminum oriuntur tractus, & è terra quæ illa continet, campus. Diverſitas autem coloris, qui in tractibus eſt Ochræ Claræ in Campo purpureo, oritur ex inæqualitate ſubiecti, quod diverſe il um recipit, unde in putaminibus cernitur color clarus, dilutus, qui in terra eſt ſaturus & obſcurus. Calcinatur hic lapis Ex quibus patet magnam eſſe differentiam inter Garattronium & lapidem Bufonis, neque debuiſſe confundi.

Cap. II.

De Corallio, Pſeudocorallio, & aliis quibuſdam Plantis quæ lapideſcunt.

De Corallio ſatis diligenter tractat Boetius lib. 2. cap. 152. & ſequentibus, ubi & Icones videre eſt à Geſnero acceptas, cap. x. de fig. lapid. Deinceps cap. 157. agit de Pſeudocoralliis nativis. Scripſit & accuratè de Corallio And. Matthiolus in Dioſcor.

ſcor. lib. v. cap. 97. & alii quoque; quare ſuperva-cuum duxi hîc plura de utroque addere.

De aliis quibuſdam plantis marinis quæ lapideſcunt ita ſcribit Geſnerus de fig. lapid. cap. XI. Inter plantas quæ in mari aut maritimis locis, ſaxis, teſtis aut aliis naſcentes lapideſcunt, nobiliſſimũ eſt Corallium: de quo & cognatis ei proximè dictum eſt. Ignobiliores vero ac minus notæ ſunt, de quibus deinceps paucis agemus. De Buxo & Quercu quæ glebis bituminoſis adnaſcuntur vide ſupra & mox à c. IX principio. Corallina, Iuncus, Laurus, Olea, Phycites, Thymum cap. VII. memorantur.



1. Lithophyton marinum cum ſpongiola enaſcente ab eadem radice.

2. Lapis ſpongiæ cum folio herbæ cuiuſdã marinę per cavũ eius tranſeunte. Arbuſculam hanc marinam à Io. Bauhino f. medico diligentiſſimo accepi; videram autem prius & collegeram ſimiles in mediterranei maris Galliæ littore. Species eius duæ ſunt: quæ hîc repræſentatur, omni ex parte albicat foris, hoc eſt, cruſta quadam alba ex limo: quæ ad lapideam fere, ſed molliorem & arenaceam, ſi dentibus mandas, friabilemque ſubſtantiam accedit. Alterius cruſta, in quibuſdã partibus, rubri ſeu purpurei coloris eſt: unde nonnulli Coralliis cognatam plantam eſſe ſuſpicati ſunt. Conſtant autem partes illæ purpureæ cruſta multo craſſiore & tuberoſa. Utraque lignum intus nigricans, duriſſimum & ſine medulla habet, Cytiſi fere ligno ſimile. Cruſta aſpectu aſpera eſt, ut Piceæ rami, cui folia deciderunt relictis veſtigiis. Veſtigia hæc in priori ſpecie prominent modice ab omni ramulorũ parte, rotunda cum puncto cavo ceu centro, acetabulis minimis ſimilia; ineſt autem ſingulis minimũ

quid ruffum ceu vermiculus multipes. In altera, ſi bene memini, cava ſunt, ſive natura, ſive quod defluxere. Cortex non alius præter cruſtam quam dixi. Ligni duritiem ſi ſpectes, Quercum marinam dixeris aut Ebenum Cytiſumve: ſi aſpera rugarum veſtigia, Piceam aut Ericam marinam. Huius generis arbuſculæ, aliæ ſuas virgas recta in ſublime tendunt: aliæ in tranſverſum etiam. Ponemus etiam alias Icones in Hiſtoria ſtirpium. Hæc dum ſcriberem, epiſtolam ab amico accipio, de hac ipſa planta in hæc verba ad me ſcribentis: Fruticem hunc marinum in littore Baiano, incolæ vocant *Parmam* ſua lingua; quem cum rei herbariæ peritiſſimis viris oſtendiſſem, alii aliter, Corallium imperfectum, Adarcem, Antipathes, Autolides Ariſtotelis appellabant. ſic ille. Sed cum aliæ etiam ſimiles multæ huiuſmodi plantæ reperiantur, quæ licet in ſuperficie lapideſcere videantur, intus tamen ligneam aut herbaceam naturam perpetuo retinent, vel omnes illæ Corallio (cuius & Antipathes ſpecies eſt) cognatæ erunt, quod non probo: vel potius ſua cuiuſque generis forma fuerit, & ſingulæ facultatibus inter ſe differentes, cruſta ſingulis è limo aliave cauſa externa annaſcente. Corticem an huiuſmodi arbuſculæ initio habeant, qui cruſtæ poſtea concorporetur & ab ea corrumpatur, quærendum eſt diligentius. Verum quia hæ plantæ propriè ad hanc materiam non pertinent, plura de iis non aſſcribam: ſed perſequar de lapideis plantis quæ huc referendæ ſunt: tantum adhuc unum addam. Pſeudo-corallium nigrum (loquitur de eo cuius Icon extat apud Boetium cap. 156 litera B. notata) hanc plantam dixeris: intus enim lignum tranſit per omnes partes: foris ſubſtantia fere lapidea eſt, craſſa & tenaciſſime annata, non ita mollis ac friabilis ut præcedentium.

Cutem extimam ſi adimas & expolias, nigro colore pulchrè nitebit. Hactenus Geſnerus. Sunt aliæ plantæ prorſus lapideæ, ex arenis concretæ, quæ nihil lignei in ſe habent, ſed è petris enaſcuntur, quarum varia eſt forma, de quibus hìc dici poterat, ſed longiorem tractationem requirunt, quare conſultius putavi peculiari Cõmentario illas ſervare. Hoc tantum addo, duras quidem eſſe, & digito percaſſas ſonum edere inſtar Parii marmoris, ſed admodum fragiles. Suntque maximam partem candidiſſimi coloris, nonnullæ & cinerei.

CAP. III.


De Gloſſopetra: Alectorio lapide; Chelidonio & Dracontia.

GLoſſopetram deſcribit Boetius cap. 186, & adjicit Icones à Geſnero editas, de figur. lapid. cap. XIV. Operæpretium autem fuerit aſſcribere hìc quæ Geſnerus ibidem tradidit.

In tribus hiſce formulis, inquit, quæ notantur literis A.B.C. lapides exprimuntur, quos Gloſſopetras appellamus, aliqui Lamiarum dentes, Cardanus Glottides, Germani Naterzunglin, id eſt, Natricum linguas. Gloſſopetra nigricans, inquit Agricola, Germanis natricum lingua dicitur: cui ſimilis non eſt, ſed magis linguæ Pici. Reperitur in terra aluminoſa. Sic ille. Apud nos non nigro, ſed albicante in roſeo fere colore & ſplendido reperiuntur, ſaxis interdum incluſi. Veneno præſente ſudare in menſa creduntur: ſed facile ad vaporem alii quoque læves & præduri lapides ſudant. Differunt colore, magnitudine, figura. Alii dentatis aut ſerratis ſunt marginibus, alii lævibus. De eo qui in A. formula exprimitur, plura leges in volumine Aquatilium no-

ſtro, ubi de Cane Carcharia & Lamia agimus pag. 210. In formula C. ad numerum primum expreſſus lapis, ſimilis eſt cæteris ſubſtantia, duritie & ſplendore; ſed avis alicuius, Merulæ fere roſtri ſuperiorem partem præ ſe fert, minor cæteris, & vero Lamiæ aut Carchariæ denti (qualem Petrus Coldebergus Pharmacopœus Antwerpianus ad me miſit) ſimillimus: Unci retro eminentes, dentis veluti radices ſunt: aut ſi quis ad linguæ ſimilitudinem referre malit, oſſi Hyoidi bipartito quod linguæ animaliũ ſubditur non diſſimiles. In eadem formula media figura Gloſſopetram longiuſculam & ſine radice ſua repræſentat. Tertia vero lapidem Cornu ſerpentis à quibuſdam dictum: quo nomine figuram hanc Georgius Sittardus medicus ſane doctiſſimus & longiore vita dignus Norimberga olim ad me miſit.

Porro Gloſſopetris aut color eſt candidus & ſplendens, qualis revera eſt dentibus: aut cæruleus dilutus: nigro colore non memini me vidiſſe. Reperiuntur & aliis figuris, quam quæ à Geſnero poſitæ fuerunt, quarum quaſdam hîc addimus.



Operæpretium quoque iudicavi adiungere Iconem veri dentis Lamiæ, ut de ſimilitudine iudicari poſſit; Sane cum hoc quę ſunt in hoc genere latiores, optimè conveniunt.

Ale-



Alectorium lapidem deſcribit Boetius cap. 169. & Chelidonium cap. 170. Utriuſque autem Icones dedit Geſnerus de figur lapid. cap. VI. quas hîc adiungendas curavi.



De Alectorio ita Agricola lib. VI. de Nat. Foſſil. Alectoriæ ex gallis gallinaceis nomen duxerunt. Etenim, quanquam raro, in eorũ atque etiam caſtratorũ ventriculo & jecore gignuntur. Sed in Iecore plerumq; maiores. Nã nuper in capo inventus eſt longus unciã, latus digitũ, altus ſeſcunciã. Inferior pars quę latior, humiles habet cavernas: Superior, quę anguſtior, ad dexteram extuberat: ad lævã humilis eſt & fuſca: cũ reliquũ eius corpus in fuſco candidũ ſit. At in ventriculo reperti non raro fere figura ſunt lupini, magnitudine eiuſdem aut fabæ, modo in cinereo candidi; modo fuſci coloris, ſed diluti: nunc vero Cryſtallina ſpecie, ſed coloris obſcuri, quæ venulas interdum habent ſubrubras.

Locus Plinii lib. 37. cap. 10. de Draconite ſive Dracontia, ita corrigendus eſt: *E cerebro fit Draconum, ſed videntibus abſciſſo nunquam gemmaſcit invidia animalis mori ſe ſentientis: Igitur dormientibus amputant.* Pro eo quod legitur in editis *viventibus*: ita enim legendum liquet ex eo quod ſequitur è Sotaco; ſpargere ſomnifera medicamenta & ita præcidere, nimirum Draconi ſoporato. Vide quæ Cl. Salmaſius annotavit ad Solinum pag. 388.


Non poſſum autem prætermittere ea quę Io. Goropius Becanus noſter de Gloſſopetris doctiſſime com-

commentatus eſt. Originum Antwerp. lib. III. *Ad eandem cauſam,* inquit, *dentes illi in foſſis* (loquitur de foſſis Antwerpiæ) *inventi, referendi ſunt, qui Carchariæ dentibus ad amuſſim reſpondent, niſi quid de terra, in qua diu iacuerunt, pro candido pullum colorem videantur traxiſſe; in his aliqui ſunt ſerrati, aliqui citra ſerram in acumen tendunt: Omnes tamen acutiſſimi. Sed quia pauci ſunt, qui Carchariæ Canis dentes viderunt, fit ut non dentes, ſed linguæ ſerpentinæ vulgo nominentur; quibuſcum tamen nihil habent ſimilitudinis. Huius generis ſive dentes ſive linguas è foſſis circa Antvverpiam frequenter extrahunt minore miraculo, quod piſcem cuius dens videri queat, non agnoſcant, alioqui clamaturi, Carcharias hîc olim habitaſſe. Quibus lapides hi linguæ videntur, gloſſopetras eas nominarent. Pari ratione bugloſſum lapidem illum vocabimus, qui ſimiliter è foſſis urbis noſtræ eſt extractus. Huic longitudo ſeſquicubitalis; latitudo qua maxime patet, dodrantem æquat, paulatim in cuſpidem obtuſam, ad linguæ formam producta: colore & durinci baſaltem refert, pondere ferrum: parte ſui latiore & craſſiore foramina duo habet ea amplitudine, qua in Calvaria equina oculorum cavitates videntur, cætera linguæ bubulæ non diſſimilis ut merito vel ab ea, vel ab ingenti magnitudine bugloſſus appellari poſſet. Cuius rogo marinæ belluæ, & quod os in hunc lapidem tranſiiſſe dicemus, ſi omnia id genus ad animalium partes ſunt revocanda? Ego certe nulla invenio nec fuiſſe quidem opinor, non magis quam animal aliquod fuiſſe cuius vel lingua vel dens gloſſopetra dicatur. Nam quamvis his locis non longo intervallo à mari diſſitis ſuſpicari quiſquam poſſet Carchariæ dentes eſſe, non tamen idem ſibi perſuaderet in colle illo qui Aquiſgrano imminet tantum id genus piſcium fuiſſe, quantum fuiſſe de gloſſopetrarum copia coniectari deberet. Generantur hæc in terra, perinde atque alii infiniti generis lapides, nihil cum vivis animantibus habentia commune.*

CAP. IV.

De lapidibus qui ſerpentes referunt: de Ovo Anguino.

GEſnerus de figuris lapid. cap. xv. dat Iconem lapidis, de quo ita ſcribit.



Lapis huiuſmodi non multo maior quam hîc apparet, inventus eſt in monte quodam Helvetię, ſerpentis in ſpiram revoluti effigie, ita ut caput in circumferentia promineat, extrema vero cauda pro centro ſit. Erat & alia pars lapidis, foris ex aliqua parte ambitus tanquam alterius maiuſculi ſerpentis minorem hunc ambientis: quam in hac figura non addidimus, quod fracta eſſet. Hic lapis apud me eſt, ſatis durus & fuſcus, inferiore parte planus & informis, niſi quod uno in loco ſerpentini corporis breve indicium apparet. Hæc ille.

Agricola lib. VII. de Nat. Foſſil. Ad Babembergum nobile Franciæ oppidum in ſaxo calcis inveniuntur lapidei ſerpentes parvi, & lacerti.

Camdenus in deſcriptione Magnæ Britan. primum in Provincia Sommerſettenſi: Secundum eundem Avonam, inquit, (qui hic Limes eſt inter hunc & Gloceſtrenſem agrum) in Occidentali ripa *Camsham* cernitur, à Keina Britannica virgine ſanctiſſima denominata, quam ſerpentes in lapides mutaſſe ſuperioris ævi credulitas multis perſuaſit, eo quod eiuſmodi ludentis naturæ miracula ibi in latomiis nonnunquam inveniantur. Vidimus enim lapidem hinc

hinc delatum ſerpentis in ſpiram revoluti effigie, cuius caput imperfectius in circumferentia prominuit, extrema cauda centrum occupante. Sed pleriſque caput abeſt. Deinde in provincia Eboracenſi: Iuxta ad *Huntlii Nabb* littus quod longo tractu iacuit apertum, in cautes celſius ſurgit, & ſparſim ad earum radices iacent ſaxa, varia magnitudine tam affabre ſphærica figura à natura efformati, ut globi artificis manu in maiorum tormentorum uſum tornati videantur. In quibus effractis inveniuntur ſerpentes ſaxei ſuis ſpiris revoluti, ſed qui plerique capitibus deſtituti. Tertio in parte eiuſdem Provinciæ quæ appellatur *North Rhiding:* Lapides hîc inveniuntur, ſerpentium in ſpiram revolutorum effigie, naturæ ludentis miracula, &c. Hæc ille. Obſervant alii horum alios armatura tectos eſſe, & ſplendere inſtar Orichalci; qualẽ nuper ex Anglia accepi, elegantiſſime omnibus partibus efformatum. Accepi & ſuperioribus annis à Nobiliſſimo amico eiuſmodi lapidem, eiuſdem coloris cum illo quem Geſnerus deſcripſit: ſubſtantia autem quæ ambit & nonnullas partes tegit ſimiliter dura eſt & in medio pene protuberat. Didici, terram illam lapideam ambientem, ferventi oleo coctam demi poſſe, ſed non auſus ſum illud experiri, ne & ſerpentem in ſpiram convolutum corrumperem: in eo perfectior eſt illo Geſneri, quod utrinque ſpiram exactè repræſentat. Andreas Cæſalpinus lib. 2. cap. 44. ſcribit, in agro Senenſi locis ſterilibus & cretoſis reperiri lapides qui vermiculos terreſtres imitantur, colore candido; ſubſtantia gypſea: qui ſi frangantur, intus globuli inanes veluti ampullæ ſpectantur, aſſidue tenuiores prope caudam. T. Bartholinus lib. de Unicornu cap. 37. cum egiſſit de Conchyliis lapideis, addit: Quo ſpectaut ſerpentum integra gyrataq; corpora,

qua

qua linguas qua oculos, dorſumque, Melitæ in petram converſa; de quibus in mea de Gloſſopetris diſſertatione ſententiam tuli. Fuerint ergo hi ſuperioribus perfectiores, quod etiam capita ſerpentū repræſentent: cum Anglicos illos omnes fateantur capitibus deſtitutos eſſe. Credit enim vulgus hodieque, S. Hildam Abbatiſſam virga ſua ſerpentes illos profligaſſe & præcipites dediſſe de rupibus in mare, atque eo caſu capita ipſis eſſe defracta.

Ovum anguinum deſcribit Boetius cap. 174. & Iconem illius affert à Geſnero acceptam, qui de illo ita ſcribit: Lapis hic admirabilis inventus eſt in agri Tigurini torrente, quem *Toſam* nominant, pugno maior paulo, unciarum XXI pondere, è fuſco albicans, intus vero, ſi ſcalpatur, candidus: mirè durus, foris præſertim: ambitur enim ceu cruſta ſilicea: intus paulo mollior: figura ei lenticularis vel globi dimidiati. Utramque ſpeciem apud me ſervo. A baſi quæ plana & lævis eſt in medio, ut ad 2. numerum apparet, quinæ veluti caudæ ſerpentium aut lacertorum, verſus ſuperiorem partem elatæ paulatim attenuantur. Interſtitium autem quodque inter duas caudas, duos acetabulorum, quæ ceu verrucæ quædam eminent, ordines habet. Hoc ſane ovum anguinum Plinii videtur, deſcriptum ab eo pluribus lib. 29. cap. 3. An vero aliqua ſit cognatio cum Brontiis ab Agricola deſcriptis lib. V de Nat. Foſſil. nondum exploravi. Hæc ille.

Locus autem Plinii ita ſe habet: *Eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium, corporumque ſpumis, artifici complexu glomerantur. anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi donec arceantur amnis alicuius interventu.*

ventu. Et poſt pauca: *vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum Polypi crebris inſigne.* Miſſis fabulis, deſcriptio cum Icone belliſſimè convenit.

Capite 175. tractat Boetius de lapide Carpionum, qui potius oſſiculum eſt dicendus, neque in hac hiſtoria memorari debebat: ſicuti nec oculi Cancrorum, de quibus agit cap. 176. Memini me ab Illuſtr. Viro Ioſepho Scaligero audiviſſe, ſingulare eſſe remedium adverſus calculum, ſi eximantur ſole per ſignum Cancri meante.

CAP. V.

De Umbilico marino, lapide Caimanum, & aliis.

DE Umbilico marino agit Boetius cap. 177. qui potius teſta eſt quam lapis & revera operculum teſtaceorum animantium, & pro diverſitate eorum diverſæ molis & figuræ. Adiungo Iconem maioris,



plana facie; nam convexa nihil memorabile oſtendit. De his loquitur Victor de Caligula agens: *neque*

que ſecus contractis ad unum legionibus, ſpecie in Germaniã tranſgrediendi conchas umbilicoſque in ore maris Oceani legi iuſſit, &c. Sed quia magno errore hæc opercula teſtacea in lapidum claſſem admiſſa ſunt, plura de iis non dicam. Sicuti neque de lapide Caimanum, de quo agit cap. 178. aut Palumbarum, de quo agit cap. 179. aut Porcino, de quo cap. 180.

De lapide Cenar agit cap. 181. ex quo dicit pocula fieri in China; de quo, licet plures commentarios de rebus Chinenſibus legerim, nihil hactenus potui obſervare.

Lapis Malacenſis quem deſcribit Boetius cap. 182. haud dubio idem eſt cum Porcino, quem deſcribit cap. 180, uti accurate conferenti utriuſque vires & ſubſtantiam, liquido patebit.

De lapide Bulgolda agit Boetius cap. 183. & citat Ferdinandum Lopez lib. 1 Hiſtoriæ Indiæ: qui cap. XLVII in editione Caſtellana, agens de muneribus quæ Rex Cochin largiebatur Portugallorum duci, ita ſcribit: *una piedra del tamanno de una avellana, la qual ſe cria en la cabeca de un animal, à quien los Indios llamcor Bulgoldalf (de las quales ſe hallan muypocas) que aprovecha contra qualquier genero de ponçonna.* Id eſt: unum lapidem figura nucis avellanæ, qui naſcitur in capite animalis, quod Indi vocant Bulgoldalf, (reperiuntur autem pauciſſimi) qui proficit contra quæcunque genera veneni. In aliis autem ſcriptoribus nihil hactenus aut de hoc animali aut de lapide potui obſervare.

De lapide ſanguinali ſatis diligenter agit Nic. Monardes cap. 36. apud Cluſium, uti & de Manuali, eodem capite.


De lapide Hyſterico iam ante egimus.

CAP.

Cap. VI.

De lapide Manati, Percæ, Limacis, Tuberonum, Bezoar.

LApidem Manati deſecribit Boetius cap. 187 ex Oviedo & Cluſio. Qui perperam confunditur cum lapide Tuberonum, uti ſtatim dicam ; neque proprie lapis dici poteſt, ſed potius os duriſſimum inſtar lapidis. figura autem ut plurium talis eſt, qualem hic exprimi curavimus. Obſervandum autem



quod annotat Franciſcus Ximenes: dicunt, inquit, præterea lapides exemtos è maſculis, opitulari maribus; fœminis vero è fœmellis. Oviedus lib. 13. cap. 19. monet; ut quis rite utatur hoc lapide , opus eſſe ut primum uratur & in pulverem redigatur, ſumaturque pondere dimidii regalis è vino aut aqua mane à ieiuno.

De lapide Percæ quem deſcribit cap. 188. nihil addo, niſi quod ille quoque ſit oſſeus: ſimiles autem reperiuntur in piſcibus quibuſdam marinis, quorum Icones expreſſit Geſnerus, de fig. lapidum cap. xiv.

dicit-

dicitque potiſſimum reperiri in capitibus Aſellorum generis.

Lapidem limacis deſcribit cap. 189. de quo nihil habeo quod addam.

Lapidem Tuberonis deſcribit cap. 190. verum in hoc deſcribendo duobus modis erratum eſt. nam primo male confunditur Tuberòn piſcis, qui non alius eſt quam Canis Carcharias aut Lamia, cum Manati; ſaltem lapis qui hic deſcribitur, & cuius ſunt vires quæ hic prædicantur, eximitur è capite Carchariæ piſcis, quem noſtrates vocant Heye, ſupra oculos & quaſi in fronte: deinde non recte lapis appellatur, cum ſit molliſſimus, candidiſſimus, friabilis inſtar pollinis, qualem ſæpiſſime à nautis noſtris accepi, & multa experimenta & ab aliis didici & ipſe cepi, in iis qui graviſſime morbo nephritico laborabant; exigua enim quantitate ſumtus cum liquore aliquo convenienti dejicit arenulas & lapillos quoque ita valide, ut dubitem an interdum tutum ſit illum ſumere, præ metu ne ureteres obſtipet; ſaltem ſumma cautio eſt adhibenda.

Denique lapides Manati, qui ſexu diſtinguuntur, tantum differunt colore, ſiquidem alii ſunt plane candidi, alii dilute rubentes, colore qualis eſt ſanguinis multa aqua diluti: atque hos fœmellos vocari arbitror, ſicut illos maſculos; neque tamen credo virtutes eſſe diverſas, aut huius diſcriminis rationem eſſe habendam.

De lapide Bezoar ſatis diligenter ſcribit Boetius cap. 191. & ſeqq. ad quæ nihil addo, niſi variis figuris naſci pro figura eius rei cui cruſtæ annaſcuntur, cuius multa exempla dare poſſem ſi operæpretium eſſet.

Franciſcus Ximenes parte prima lib. IV, cap. XX, in quo tractat de variis ſpeciebus Cervorum & Ru-

picaprarum & lapide Bezoar, ſub finem adiungit:

Reperiuntur quoque in hac Nova Hiſpania lapides iſti foſſiles, quos Arabes item nominant Bezoares, ob virtutem quam habent contra venena, inprimis in fluvio *Detzhuatlan*, ubi varii reperiuntur & diverſarum formarum, qui deſcendunt cum aqua è montibus, in quibus eſt magna copia Boli Armenę; verũ non videntur alii illi lapides, quã quos Arabes dicunt naſci in angulis oculorũ eorumdem animalium quæ ſupra diximus, quando ſe præcipitant in fluvios poſtquam comederunt ſerpentes, quos ex antris ſuis elicuerunt halitu aut alia facultate nobis occulta.

Ad hæc oſtendunt Indi lapillos parvos, quos inveniunt in vulvis quorumdam Corvorum, eoſque geſtant ad faciliorem partum.

Cap. VII.

De Aëtite, & Callimo, Geode, Enhydro, atque Enorchi.

De lapide Aetite ſatis diligenter agit Boetius capite 196. & ſeqq. & dat illius tres figuras. quibus plures alias addidit Tollius noſter è Ferrante Imperato, lib. xxiv. cap. xix. qui ita diſtinguit, ut priores vocet Aetitas Geodes: ſecundos Aëtitas gravidos altero Aetite: tertios Ventres Cryſtallinos, ab aliis dictos Enhydros: adiungam tantum unius Aegyptii, ut ferebat ille à quo accepi: quanquam credam, potius



potius Arabicum eſſe Plinii, ſiquidem & duriſſimus eſt & ſubrutilus, ſed an durum lapidem in alvo contineat ignoro, ſaltem ſonitu non prodit. De Callimo porro agit Boetius cap. 200. de quo Geſnerus cap. XI. de figuris lapidum: Callimo, inquit, invento in Geode, miræ imagines impreſſæ fuerũt: quarum Ge. Fabricius & figuram in annulo, quæ hic exprimitur & deſcriptionem ad nos miſit. Callimus, inquit, hic fere lupini eſt magnitudine, forma eius rotunda & oblonga : corpus partim pellucidum ut Cryſtalli: partim nebuloſum ut Sardæ, aut gemmæ quam vocant Huiæ. Inventus eſt lapillus in Geode grandi, qui incluſos fluores varios habuit, ſed in medio iacuit ſeparatus: ita ut argentum capillare aut in lapide aut pyrite invenitur, quaſi impoſitum ſit & pars corporis integri non ſit. Igitur & forma & tranſluciditas & locus τῆς γλυνέσεως per ſe admirationem movent, ſed multo magis ſunt impreſſæ à natura imagines admirandæ: ex una enim parte lapillus, in latus ſiniſtrum verſus, duas refert facies, & tertiæ veluti umbram; primam monacho ſimilem cum cucullo, alteram viro grandi imberbi, tertia ut umbra non cognoſcitur. Verſus in latus dextrum, unam tantum faciem habet priori non diſſimilem quæ cucullata eſt: qua vultum convertit, ea pars lapilli pellucet inſtar lunæ gibboſæ ſeu (ut Lactantius) concavæ, quæ Græcis ἀμφίκυρτος dicitur. Curavi autem includendum eiuſmodi fundæ quæ in annuli ſupremo converti poteſt, ita ut utrimque conſiderari poſſint inſculptæ naturæ artificio imagines. Georg. Agri-



colæ deſcriptio in lib. v. Foſſil. editionis poſterioris paulo eſt alia. Verum & ipſa converſo aliis modis lapillo, à vero aliena plane non apparet. Hanc in exiguo corpore varietatem, nullus artifex ſatis expreſſerit. Hæc ille.

De Aetita vide Geſnerum de fig. lapid. fol. 10. verſo; & 11. Geodes inquit hic lapis proprie dicitur cum terram continet: Aetites cum lapidem aut arenam, (etſi hoc nominum diſcrimen non ſemper ſervatur) aquam ſi contineat, Enhydros vocabitur. Reperitur in aliquot Germaniæ locis & in Gargano Apuliæ monte: Unde etiam allatas eius ſpecies tres Val. Cordus in Sylva variarum obſervationũ (quam cum reliquis eius operibus edidimus) deſcribit. Qui inſunt lapilli ſi forte adhæreſcant, non ſonant: ſed ſoluti duntaxat. Solvuntur autem ætatis progreſſu, ubi interiora magis ſiccata fuerint, & lapides veluti maturuerunt. Et poſt pauca: Geodes Miſnenſis oblongus, continens harenam induratam, inventus eſt in Ludo illuſtri Miſnenſi, cum effoderetur vinaria. Impoſitus aquæ ſtridorem varium emiſit. Huius quidem picturam Kentmanus ad me dedit, digitos quatuor latam, longam vero ſex: colore rubiginis quæ radi cœperit, &c. Enhydros eſt rotunditatis abſolutæ, in candore levis, ſed admodum fluctuat intus in ea veluti in ovis liquor. Plinius. Vidi ego lapides plane rotundos, magnitudine & figura, avium quarumdam ovis perſimiles, maculoſos (ni labat memoria) ut coturnicum ova: quos qui habebat, ad facilem reddendum partum conducere perſuaſus erat.

Antequam ab hac materia abeam, non poſſum omittere quod à Goropio noſtro narratur lib. III. Originum Antwerpianarum. In Littore Anconitano, inquit, ſaxa magni ponderis, quinquaginta aut

plu-

plurium etiam librarum, è mari trahuntur: his color & conſtitutio exterior ea eſt, quæ lapidi Aetitæ, rudis nimirum, & non difficilis læſu aut tritu: interior vero cruſta aut tunica dura eſt, & quæ poliri poſſit haud ſecus atque interior Aetitæ tunica: colore etiam ſubcæruleo, ne hac quidem nota ab Aetite diſcedens. Rumpuntur hæc ſaxa maioribus malleis ferreis, magna vi impactis: non quo intus, ut in aquilæ lapide alius calculus inveniatur; ſed quo piſciculi delicatiſſimi extrahantur eiuſdem generis cum ſolenibus, quas Cappas longas Veneti appellant; ſed eo delicatiores, quod non aqua marina, ſed rore quodam tenuiſſimo, per lapidem imbibito, paſcantur. Hi plures numero, ad viginti, modo plures, modo pauciores, ita ſaxo includuntur, ut ſingulis ſuus ſit nidus, ad magnitudinem & figuram piſcis omnibus lineamentis reſpondens. Inter nidos ſaxeo interſtitio relicto, ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes, ad palatum & lumbos delicatiorum plurimum facturi. In his ergo ſolidiſſimis ſaxis, in quibus aqua nulla, nullus liquor invenitur, præter eum quem piſcis continet, non figura modo Dactyli ſive ſolenis, ſed vita etiam & omnis piſciculi laus perficitur & abſolvitur, melior ut multo ſit, quam ſi in ipſo mari extra lapidem natus fuiſſet. Fortun. Licetus in Lithoſphoro ſuo cap. LIV. Certum eſt inter viva ſaxa contineri quandoque bufones, ſerpentes, & paſſim Dactylos marinos appellatos: nam & nos Genuæ ſæpe vidimus, & aſſerit Cæſalpinus, in ſcopulis maris intra invias lapidum ſolidorum cavernulas reperiri animalia quædam, quæ Dactylos vocant; oſtrearum medullis ſimilia & guſtui grata.

Enorchin quoque è Geſnero expreſſit Boetius cap. 203. de quo ille ita: Enorchis quoque rotundus

eſt. Agricola Godenſtein (quod nomen etiam pyritæ rotundo aliqui tribuunt) interpretatur. Videtur autem lapis maior & informis, qui alium rotundum ac teſti ſimilem in ſe contineat, Enorchis potius appellandus, Orchis autem qui continetur. Sic Entrochus quoque & Trochites diſtinguuntur. Lapidem cuius hæc figura eſt (quam vide apud Boetiũ) Io. Kentmanus miſit, durum, ſplendidum, pallidum, lævem, gravem. Enorchis Agricolæ candidus eſt, fragmentis teſtium ſimilis, (hoc eſt, fragmentis ſuis in quæ frangitur vel dividitur, teſtium ſpeciem præ ſe ferens) ſed nec fulget, nec pulcro colore nitet. Non procul Rotvila oppido Helvetiis finitimo & confœderato, lapis rotundus & pani cibario ruſticove maximo ſimillimus reperitur, ambitu fere, ſi bene memini, dodrantum quinque, in medio protuberans parte ſuperiore; Teufelſleib, hoc eſt, dæmonis panem nuncupant incolæ agreſtes: & ſi equus de hoc lapide impoſitum ſalem lingat, lumbricos pelli credunt.

Cap. VIII.

De Amianto lapide.


AMianti veri, inquit Geſnerus, è Cypro, quem Franc. Calceolarius, pharmacopola Veronenſis, ut artis ſuæ peritiſſimus, ita omnium ſimplicium medicamentorum indagator acerrimus, ad me miſit, fruſtulum delineatum hic exhibeo: quod fila molliuſcula neri texique apta remittit, & ab alumine ſciſſili, tum vero & aluminis vim ſaporemque referente, tum falſo & inſipido, quod Alumen plumæ hactenus vocare ſoliti ſunt medici, non parum differt. Omnia tamen hæc genera antequam in filamenta ſua reſolvantur, ſciſſilem compagem præ ſe

fe-

ferunt, ſicut & Entalium à quibuſdam pharmacopolis dictus lapis, in Sabaudia Amentum dulce: Amenti nimirum nomine corrupto ab Amianto; non quod verus Amiantus ſit, ſed ſimilis ei lapis, Eboris inſtar candidus, ſplendens & friabilis, inque fila ſolubilis, ſed fragiliora.

Videtur autem res gypſo cognata. In eo, certo modo præparato & imagines exprimi poſſunt, quæ cum ebore aut ipſa nive candore certent: quales Petrus Coldebergus Antwerpienſis pharmacopœas doctiſſimus celeberrimuſque mihi donavit. Amiantum Agricola Germanicè interpretatur Alumen plumæ, vulgo dictum Federwiiſz, Pliant Salmanderhar: & amentum amarum à quibuſdam recentioribus dictum addit. Eundem vero lapidem Asbeſtum: linum Asbeſtinum vivum, aut Caryſtium, item Poliam, Spartopolium, Corſoidem, Boſtrochyten & à Quadrigario Alumen vocari cenſet. Encelius Amianti ſpeciem Katzenſilber interpretatur: quod vocabulum Magnetidi & Micæ melius tribuit Agricola. Idem refert in Hildesheimio tractu lapidem inveniri fuſci coloris, planum, Ammoniaci ſalis inſtar ſciſſum: qui tubercula ſuperius habeat clavorum capitibus ſimilia: & ad Haſdam pagum, alium huic non diſſimilem, candidum tamen & ſine tuberculis. Hæc ille fol. 6. editionis Tigurinæ, Idem & aliam Iconem dat fol. 150.






Amianti quibuſdam lapidis fruſtulum. Veriórem è Cypro cap. primo poſui.

Perperam autem meo iudicio confunditur Amiantus cum Alumine ſciſſili; & illius fila cum flore petræ. Porro locus Pauli Veneti qui à Boetio citatur ita ſe habet in antiquiſſima editione Latina lib. 1. cap. 47. (nã in editione Italica Rhamuſii omiſſus eſt.) *In hac Provincia,* inquit, (loquitur autem de Chynchyncula) *eſt mons ubi ſunt minera Chalybis & Amdavici & Salamandræ de qua pannus fit, qui ſi projiciatur in ignem comburi non poteſt: fit autem pannus de terra hoc modo, ſicut didici à quodam meo ſocio Turco viro valde prudenti, qui ex commiſſione magni Kaam in illa provincia præfuit operi minerarum. Referebat enim quod in monte illo quædam minera terræ habebatur, quæ fila quædam habet lanæ ſimilia. Ipſa fila deſiccantur ad ſolem & poſtea in mortario æneo conteruntur, & poſtea lavantur aqua; & à terræ groſſicie ſeparãtur; terra vero projicitur, & fila de lana filantur, de quibus filis poſtea panni fiunt. Hi autem panni albi ex textura non aſſumuntur, ſed in ignem projiciuntur, & per horam unam dimittuntur in flamma, & hinc albeſcunt ut nix, nec læduntur in igne; quod ſimiliter fit quandocunque lavari debent, nam alia lotio ad removendum maculas non adhibetur, &c. & de Salamandra vero ſerpente nihil audivi in Orientalibus partibus. Id autem totum quod de Salamandra didici ſcripſi fideliter. Fertur quod Romæ ſit quædam Mappa de Salamandra, quæ eſt Sudarium Domini involutum, quam miſit ſummo Pontifici quidam Rex Tartarorum.* Hæc ille. Qui ſi vera narret, ut malo credere, non loquitur de Amianto, ſed de lino vivo; de quo ita Plinius lib. 19. cap. 1.

In-

Inventum iam eſt etiam quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus Mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis aduſtiſque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes; aſſueſcitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero colos ſpendeſcit igni. Cum inventum eſt, æquat pretia excellentium Margaritarum. Vocatur autem à Græcis Asbeſtinum ex argumento Naturæ. Anaxilaus author eſt, linteo eo circumdatam arborem, ſurdis ictibus & qui non exaudiantur cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe. Atqui hoc linum aliud eſt ab eo quod fiebat ex lapide Amianto, licet aliter crediderint Matthiolus & Mercurialis, ut demonſtrat Cl. Salmaſius in Animadverſionibus ad Solinum pag. 178. quemadmodum iam ante nos obſervavit Tollius ad Boetium. De Amianto idem Plinius lib. 36. cap. 19. *Amiantus alumini ſimilis, nihil igni deperdit.* Natales autem huius lapidis aperit Sotacus apud Apollonium; γίνεται δὲ ὁ λίθος οὗτος, καὶ ἐν Καρύστῳ μὲν, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἔλαβεν, πολὺς δὲ ἐν Κύπρῳ. Unde & Caryſtius lapis dictus. Sotacus: ὁ Καρύστιος λεγόμενος λίθος ἐπιφύσεις ἔχει ἐριώδεις. Ab urbe autem Cypri Carbaſo vel Carbaſia Pauſanias vocat Καρβάσιον λίνον, quod ex hoc lapide fiebat. Accepi fruſtum eiuſmodi lapidis Amianti, quod Clariſſ. Viri Pauli Merulæ filius è Cypro attulerat, cuius Iconem hic apponam, ea mole qua eſt: Coloris eſt fuſci, conſtans totus è filamentis, ſed admodum fragilibus, ita ut videre non poſſim quomodo ex iis aliquis pannus texi poſſit; ſimillimus autem eſt Alu-



mini ſciſſili. Vidi alia lapidum fragmenta itidem è Cypro alata, ſed quæ è duriori ſaxo conſtabant, & ſuas habebant veluti commiſſuras, è quibus tenuia filamenta educi poſſunt, ſed admodum brevia.

Cap. IX.

De Hæmatite vero & ſpurio; Smiri lapide; & Schiſto.

De Hæmatite diligenter agit Boetius lib. 2. cap. 205. 206. 207. 208. de ſpurio triplici cap. 209. Ad quæ hoc tantum addo è Benedicto Ceruto ad Muſæum Calceolarium.

Hæmatitis, inquit, *non ſpernendam ſpeciem, quinimo ſuſpiciendam, ſculpta figura refert; non arte ſane paratam, ſed ut res foſſilis in proprio domicilio, duritie, denſitate ac pondere gravem, quæ eſt concreta. Huius ſuperficies ferro expolito ſimilis eſt, intus ferrugineo ſcatet colore; à cuius baſi veluti à radice globuli ſatis eminentes pullulant, qui inſtar uvarum compacti & racematim cohærentes, totum lapidis corpus, animalium cerebella imitans conſtruunt.* Videndus Chriſtoph. Encelius lib. 3. cap. 6. Qui hanc ſpeciem ita deſcribit. Reperitur in Cheruſcis, Northuſiæ, Harszgerodæ qui-

quibuſdam in montibus, qui omnino formam cerebri deiecti præbet, longe pulcherrimus. Cuius formam ſatis mirari nequeo; & eius virtutem mirabilem in ſiſtendo ſanguinem ex naribus ſum expertus.

De Smiri lapide agit Boetius cap. 210. de Schiſto cap. 211. Cum ordinis ratio poſtularet ut de Schiſto ageretur ſtatim poſt Hæmatitem. Nam ut recte obſervat Cl. Salmaſius in Exercitationib. ad Solinum pag. 408, *Schiſton ſimilem eſſe Hæmatiti, & idem poſſe tradunt auctores. quinimo & in genere Hæmatitarum quidam Schiſton ponunt: quum dicat igitur* [a] *Plin.* Hæmatiten diſcernere venas rubentes, *ſic intelligi debet, quaſi in Hæmatite venæ ſint rubentes, quæ non ſint in Schiſto. atqui contrarium eſt, nullas quippe venas habet Hæmatites, quibus diſtinctus eſt Schiſtos, & inde illi nomen.* Dioſcorid. de Hæmatite: ἐν ἑαυτῷ δὲ σκληρὸς, καὶ ὁμαλὸς, ἀνεπίμικτος ῥυπαρίας τινὸς, ἢ διαζωμάτων. *Ergo nulla* διαζώματα *in Hæmatite. Et paulo poſt:* ἀπελέγχεται δὲ ὁ κακοτεχνημένος, πρῶτον μὲν τῇ διαφύσεσιν, ὁ μὲν γὰρ εἰς κτηδόνας ἐπ' εὐθείας ἀποκλᾶται, ὁ δὲ αἱματίτης οὐχ' οὕτως ἔχει. *In adulterato Hæmatite apparent* διαφύσεις *&* κτηδόνες, *quibus caret ſincerus. In Schiſto eædem venæ viſuntur. Omnino in Plinio reſcribendum;* adulteratum Schiſto, Hæmatiten diſcernunt venæ rubentes. Vide reliqua apud authorem. Hoc tamen non omittendum quod addit de Schiſto Plinius; *ſed in iis commodior croco ſimilis, peculiarius ſplendet.* Legendum *commendatior. Proficit oculorum lacrymis in lacte muliebri; procidenteſque oculos præclare cohibet.* Hæc verba, inquit, Cl. Salmaſius, reddidit pro iſtis Græcis Dioſcoridis: πληροῖ δὲ καὶ κοιλώματα γυναικείῳ διεθεὶς γάλακτι. Scribendum itaque in Plinio: proficit oculorum lacunis Certè κοιλώματα ſunt oculorum vitia. De quibus vide Galenum in Medico.

Cæſal-

a Lib. 36. c. 20.

Cæſalpin. lib. 2. de metallicis, cap. 58. Hodie Schiſtus incognitus eſt vulgo, quamvis quidam oſtendant varios lapides. Reperitur tamen verus Romæ in Vaticano effoſſus è fundamentis. Glebæ ſunt colore nigro, quæ laminas complectuntur admodum tenues invicem hærentes, ut in lapide ſpeculari: ſed colore ex nigro ad croceum inclinantes, ſplendentes & perſpicuæ: per quas ſi Sol inſpiciatur, videtur croceus: inſpici autem poteſt ſine noxa. Idem in Saxo nigro, & duriſſimo reperitur in Montacuto prope Anglarium. Nam eius montis cacumen ex hoc lapide conſtat.

Cap. X.

De Oſtracite & Ollis nativis.

Geſnerus de fig. lapid. fol. 84. & 85. Oſtraciti Oſtrea nomen & ſimilitudinem dedere: [a] Plinius: quem in hoc deceptum dixerim, quod Oſtracum pro Oſtreo accepiſſe videatur: cum & res ſint diverſæ, & qui denominantur ab utraque lapides plurimum differant. Ab Oſtraco enim, id eſt, teſta figulina, Oſtracias vel Oſtracites derivatur, quæ duo nomina leguntur apud Plinium lib. 37. c. 10. Oſtracias ſive Oſtracites, inquit, eſt teſtacea, durior: altera Achatæ ſimilis, niſi quod Achates politura pingueſcit: duriori tanta ineſt vis, ut aliæ gemmæ ſcalpantur fragmentis eius. Idem lib. 36. cap. 19. Oſtracitæ ſimilitudinem teſtæ habent: uſus eorum pro pumice ad lęvigandam cutem. Agricola Oſtraciten Germanicè interpretatur Topffſtein; Oſtraciam alterum vero Luxſaffiir. Quo nomine mihi oſtenſa eſt gemma ſaturatiſſimi indici colore: qui oſtendebat gemmarius, magni pretii eſſe dicebat, præ-

a Lib. 37. c. 10.

præduram, ita ut alias gemmas incideret: Maioris autem pretii eſſe in eo genere, cui aurei coloris aliquid mixtum eſſet. Germanicum nomen à Lynce an aliunde ei factum ſit neſcio: cum Lyncurio quidem nihil ei commune video. Ex Oſtracite, inquit idem, natura in Hildeshemio tractu inter antrum & Charadram facit Hæmatitem, ars ex magnete. Utraque urendo. Et alibi: ad cutem lævigandam, & pilos amovendos convenit Oſtracites, ita dictus quod teſtæ ſimilis ſit. Eum iuniores Græci λιθόστρεον videntur nominaſſe, ut ab Oſtracorum teſtis diſtinguerent. Veteres & Ceramitem, cum teſtæ habet colorem; & Cheramidem maxime cum eum cæruleæ bullæ cingunt. Ex cruſtis, conſtat facileque findi poteſt. Digitis percuſſus, tanquam Olla ſonitum edit. Hodie reperitur in Hildeshemio circa antrum à Nanis appellatum colore ſubrubens. Eum tractum, ut dixi, quondam arſiſſe, multa indicant. Exſiccat Oſtracites, & adſtringit, &c. Quod ad remedia forte non multum intereſt, Oſtraciten teſtis ſimilem, & Oſtreitem lapidem ſimilem Oſtreis, confundi. Cæterum ut Oſtreorum, quæ proprie ſic dicuntur, teſta ſuperficiem valde aſperam, & inæqualem habet, ut ea ratione pumicis vicaria eſſe poſſit, ſic & Oſtracites vel Oſtreites potius lapis. Oſtraciæ alteri tranſlucida viriditas eſt, mixta nigrore. Eius fragmentis quidam noſtris temporibus alias gemmas ſcalpunt. Agricola. Atque hæc è Geſnero.

Boetius dicto capite: *Ab hoc*, inquit, *differt Oſtracites Germanorum, vulgo Topfſtein, ſeu Olla foſſilis. Nam argilla potius videtur, quam lapis. Has Ollas Ethnici olim cineribus mortuorum impoſitis telluri committebant. Molles ſunt in terra, exemtæ in aere lapideſcunt.* Rejicit itaque Agricolæ ſententiam. Sed perperam hìc ur-

nas

nas veterum attingit, quæ figulino opere factæ fuerunt. Non enim ſatis attendit Geſneri locum fol. 87. (unde ſua deſcripſit.) qui ita ſe habet: *Ollæ alicubi effodiuntur nativæ, molles in terra, foris lapideſcunt, ut Georg. Agricola tradit, & Germanice interpretatur Erdtopff ſicut Oſtracitem Topffſtein. Nonnullis in locis Germaniæ effodiuntur etiam urnæ fictiles, in quibus cineres mortuorum combuſtorum conditi fuerant, antequam religio Chriſtiana recepta erat. eas imperitum vulgus intra terram eſſe natas ſibi perſuadet.* Diſtinguendæ itaque fuerant Ollæ quæ natura tales, ab urnis quas imperitum vulgus nativas credit: Boetius autem has ita confundit, ut quæ de prioribus dixit Agricola, ea poſterioribus attribuat manifeſto errore, quem corrigendum exiſtimavi.

Geſner. de figur. lapid. fol. 111. verſo. Plurii, qui pagus eſt Rhætorum egregius ultra Alpes proximè Clavennam oppidum Lacui Lario (quem Comenſem hodie vocant) vicinum, in monte proximo effoſſi lapides quidam pulli coloris & molliusculi, ad lebetes & varia vaſa tornantur: & inde in diverſas Italiæ, vicinaſque regiones exportantur. Io. Auguſtinus Pantheus Chemiſta, hunc lapidem lebetum vocat, & ni fallor, alio nomine petram columbinam, neſcio quam ob cauſam. In Siphno (inquit Plinius lib. 36. cap. 22.) lapis eſt qui cavatur, tornaturque in vaſa coquendis cibis utilia vel ad eſculentorum uſus: quod & in Comenſi Italiæ lapide accidere ſcimus. Sed in Siphnio ſingulare, quod excalefactus oleo nigreſcit dureſcitque natura molliſſimus. Horum & Agricola meminit lib. 7. de Nat. Foſſil. E ſaxis mollibus, inquit, & in opere tractabilibus, fabri ærarii faciunt formas ad æs fundendum aptas: quia ignem ſuſtinent. qualia ſunt apud Chattos Saxa in fuſco cinericea, in quorum for-

formas quodvis metallum liquidum funditur. Hoc genus in Siphno, & in Italia circa Comum excavatur, tornaturque in vaſa coquendis cibis utilia, quæ circumdantur circulis ferreis. Sed dura ſaxa quamprimum è lapicidinis exemta fuerint, ferro ſunt tractanda. nam in aere magis dureſcunt. Ex his fiunt & mortaria pharmacopolarum, & cotes, &c.

Audiendus & Scaliger Exercitat. 128. ſect. 2. De Comenſi lapide abs te pauca. Non ſine ſubtilitate plura licuit. Ex eo lebetes efficiunt tanta tenuitate, ut pene ductiles videantur. Exciſum lapidem extrinſecus lebetis adornant forma. Excavant deinde tanta dexteritate, ut ni interior maſſa tota eximatur integra, tum ex ea tertia, ab illa quarta, ac deinceps alia; quoad exeat puſillarum capacitas ollarum. Itaque in mercatibus plures aliis alios inſertos, perinde ac ſi una eſſet moles, admirere. Exquiſita quoque ſubtilitate fundos ex aliis lapideis orbibus ære aſſuunt atque adglutinant, æneiſque circulis adverſus offenſiones atque diſſolutiones, aut ferreis muniunt. Sed redeamus ad Oſtracitem, quem lapidem ſatis liquet teſtis ſimilem; ſicuti Oſtreitis Oſtreis: Ita ut credam poſteriorem omnino referendum ad lapideas conchas, de quibus poſtea dicturus ſum, nam ſunt inter eas quæ forma & aſperitate planiſſimè referunt Oſtrea peculiariter dicta.

CAP. XI.

De lapide Samio: Talco: Selenitide.

LApidem Samium deſcribit Boetius cap. 213. Geſnerus de figur. lapid. fol. 43. Tria hæc, inquit, Terra, Aſter & Lapis, Samia, coniecerim du-

rici fere ſolum differre. Terra enim lęvior & mollior eſt: After denſior, gleboſior, durior, ſolidior: Lapis denique, iam lapis, hoc eſt, duriſſimus præ illis, adeo ut auro etiam argentoque lævigandis poliendiſque adhibeatur. Color etiam omnibus tribuitur albus, ſi in ſuo quique genere excellant, aliter etiam alius eis color eſſe poteſt. E Samio lapide candido facta eſt gemma, quam Zoroaſtres Exhebenum appellavit. Agricola lib. vi. de Nat. Foſſil. Quare magno errore Boetius nigricanté dicit Exhebenum à quibuſdam appellari. Dioſcorides autem tradit, lapidem Samium efficacem eſſe πρὸς τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς ῥεύματα.

Talcum deſcribit cap. 214. ubi ſub finem ſcribit: *reperitur genus quoddam cruſtoſum, & fragile in colle Petræ ſanctæ, quod ignis non abſumit, ac aliqui Galaicon Plinii putant.* Cæſalpin. lib. 2. cap. 59. Lapis quidam argenteus cruſtoſus & fragilis in colle Petræ ſanctæ, quem ignis non abſumit, fortè apud Plinium eſt Galaicos Argyrodamanti ſimilis., paulo ſordidior. Locus Plin. lib. 37. cap. 10. ita ſe habet: *Galaicos Argyrodamanti ſimilis eſt, paulo ſordidior. Inveniuntur autem binæ & ternæ.* qualis autem ſit Argyrodamas non ſatis explicat eodem capite, niſi quod ambigat an eadem ſit cum Androdamante: de quo ibidem: *Androdamas argenti nitorem habet, ut Adamas, quadrata, ſemperque teſſellis ſimilis.* E quo quid certi colligi poſſit non video.

Certe malim cum Callaina Plinii componere, quæ à colore Callaino dicitur, è viridi pallente; vide Cl. Salmaſium in Solinum pag. 236. & 237. Idem pag. 1098. ex Zoſimo Panopolita oſtendit Talc eſſe Aphroſelenon. Et ſubdit: *De Talcho quod hodie ſic vocatur, haud dubium eſt quin ſit Arabicum* Τάλκ. *Quid ſit, dubitari video, diſputarique inter ſummos Philo-*

ſophos.

ſophos. Aſtera Samium eſſe veterum, placuit Aviſenæ, quem plerique recentiorum ſequuntur. Alii malunt eſſe Alumen Scaiolæ. At Græci omnes, recentiores præcipue χημευτικοὶ *in eo conſentiunt, Arabicè, & Perſicè, atque etiam Aegyptiacè ita appellatum Græcorum* Ἀφροσέληνον, *qui alio nomine* Σεληνίτης λίθος *dicitur.* Dioſcorides: Σεληνίτης λίθος ὃν τινες ἀφροσέληνον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μεστὸν ἐν τῇ σελήνης παραυξήσει. Longe alius hic lapis à Selenite Plinii, de quo ſtatim. Hic enim inanis & levis, quẽ ita dictũ interpretatur Dioſcorides quod per Lunæ augmenta plenior ac ſolidior inveniatur. Idem Dioſcorid. γεννᾶται δὲ ἐν Ἀραβίᾳ λευκὸς, διαυγὴς, κοῦφος. Hinc etiam κουφόλιθον dixere Græci recentiores. Lexicon Chemicon: Ἀφροσεληνὸν ἐστι κόμαρις καὶ κουφόλιθος. Ergo multum diverſus hic lapis ab Aſtere, utpote levis & inanis.

Selenitidem deſcribit Boetius cap. 215. ita tamen ut nihil certi ſtatuat. Plinius lib. 37. cap. 10. *Selenites ex candido tranſlucet melleo colore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos, creſcentis minuentiſque numeris, naſcique putatur in Arabia.* Vide quæ Geſnerus annotavit de figur. lapid. fol. 45. & ſequentib. ubi hoc quod dicit Plinius ita interpretatur: *Ego,* inquit, *Lunæ quocunque tempore lucentis imaginem in hoc lapide tanquam ſpeculo reddi puto. ampliſſimam vero cum plena eſt, ideoque tum facilius inveniri: & creſcere aut decreſcere in eo repercuſſam Lunaris imaginis lucem, non autem ipſummet, ut Marbodæus credidit.* Verum reddere alicuius rei imaginem ſua mole, commune eſt omnibus rebus quæ imagines reddunt, ita ut non videam quicquam hic peculiare cur propterea Selenites dici debuerit: Plinius autem dicit imaginem Lunæ continere, eamque reddere ſuis incrementis: ita ut ipſius ſententia fuerit, continere lu-

cem quandam obambulantem inſtar Lunæ, eamque pro Lunæ incremento aut decremento maiorem aut minorem videri ab intuentibus; aut illam magis minuſque ſplendere. Dioſcoridis deſcriptionem ſupra attulimus, ſed ea non convenit cum illa Plinii: quare omnino dicendum eſt, Seleniten illum Plinii alium eſſe ab hoc Dioſcoridis: an autem hodie Plinii oſtendi poſſit, dubito, niſi forte ſtatuamus ſpeciem eſſe oculi felis, de quo diximus lib. I. cap. XIV. in illo tamen non obſervavi aliquam mutationem lucis per numeros Lunæ. Mira vero hæſitatio eſt Andreæ Cæſalpini, qui lib. 2. cap. 22. iudicat, *Selenitem eſſe Margaritas, quas vulgo perlas vocamus.* Quo nihil inficetius dici potuit, nam Plinius Margaritas ſatis operoſe deſcribit, neque tamen Selenitides vocat.

Franciſcus Ximenes parte ſecunda lib. IV. cap. III, poſtquam egit de lapide ſpeculari, ſubjicit: Eſt & alius lapis non diſſimilis illi, quem Mexicani vocant *Metzcuitlatl,* quem itidem ſolent findere in laminas, quæ ab aureo colore vergunt ad purpureum: quæ ſi igni indantur, neque caleſiunt neque uruntur, magno miraculo.

Cap. XII.

De Pumice, Poro, Topho, aliiſque lapidibus pumici cognatis.

GEſnerus de figuris lapid. fol. 31. verſo: Pumex, Porus, & Tofus dicti lapides, etſi ad ſpongias forte referri poterant, quod iis ſimiliter multifora (ut ita dicam ſicut Græci πλύτρητα, & multiforos ſpecus Plinius) ſint corpora cavis exiguis creberrimis, ſeu cavernulis & foraminulis plena; hoc tamen loco in huius capitis primi fine, eorum mentionem facere

facere malui; quod pori, id eſt, meatus & cava cum intrinſeca etiam ſint & interiora penetrent, figuræ potius differentiam conſtituere videantur quam formæ. In locis (inquit Agricol. lib. v. de Nat. Foſſil.) qui olim arſerunt, aut etiam nunc ardent, Pumex reperitur ex terra vel lapide excoctus, & ad hanc figuram redactus; ſicuti in Campaniæ monte Moderno & Veſuvio, in Aenaria, in Aeoliis inſulis, &c. Effoditur etiam ad Confluentiam Germaniæ. Pumex autem quia non aliter ac ſpongia eſt fiſtularum plenus, dicitur, ut Vitruvius auctor eſt, ſpongia. Gręcis vero Κίσσηρις vocatur (ac ſi vermiculatum lapidem dicas) quod veluti à vermiculis (quos κίας Gręci vocitant) eroſus videatur. Theophraſtus etiam Alcyonium, quod ex maris ſpuma concreſcit, pumicem vocat.

Differunt autem inter ſe pumices. Nam primo non omnibus unus color, ſed ſunt aut nigri, aut cinerei, aut candidi. Tum alii molles ſunt, manibuſque teri in arenam poſſunt, quales in Niſyro reperiri ſcribit Theophraſtus; alii duri. Plura de Pumice, & tribus eius generibus Iul. Scaliger de Subtilit. Exercitat. 134. & Agricola de Nat. Foſſil. lib. v.

Geſnerus ibid. fol. 33. Porus, Πῶρος (per ω circumflexum, nam per ο breve porus meatum ſignificat) lapis idem forte qui Tofus eſt. Hæc dictio Latina, illa vero Græca eſt. Sarcophago (ſeu Aſſio lapide) mitior ſervandis corporibus nec abſumendis Chernites eſt, ebori ſimillimus (in quo Darium conditum ferunt) Parioque ſimilis candore & duritia, minus tamen ponderoſus qui Porus vocatur. Plin. lib. 36. cap. 17. Pori mentionem etiam Theophraſtus facit, & Ariſtoteles in tertio de generat. Animalium (ubi Gaza Tofum vertit) & ante ſane Hippocrates.

Plinius in undecimo (inquit Scaliger Exercitat. 135.) videtur Toſum interpretari, commemorans Toſum in ventre iuvencarum inventum. Grammatici Tophum aiunt eſſe genus lapidis aſperi, qui facile in arenam reſolvatur. Hæc ille.

Verum operæpretium eſt audire Scaligerum Exercitat. 57. Si Toſus eſt Theophraſti Πῶρος, ſic enim Ariſtotelis Πῶρον Theodorus interpretatur, iam neque tibi neque mihi Toſus compertus eſt. Nam Toſum vulgarem quo Vaſcones ad furnos & caminos utuntur, brutam quidem inter lapides maſſam eſſe conſtat. Gravis eſt: Surdus eſt ad ictus & pertinax: neque abjicit niſi quantum mallei mucrone decutitur. Nuſquam præterea ſquamma. Multum igitur humoris continet. Facies triſtis, color cinereus, ignobilis, planicies ſubaſpera. Fluvialis Toſus, qui ad Oltam eruitur fluvium, levis, ſpongioſus & ad pumicem accedens. Theophraſti vero Πῶρος Pario marmori ſimilis eſt Porro quod Geſnerus hic è Scaligero affert, de Topho in ventre iuvencarum invento, plane nihil ad hanc materiam facit; nam non modo in iuvencarum, ſed & in vaccarum, & taurorum ventriculo reperiuntur Tophi Sphæricæ ut plurimum figuræ, leviſſimi ponderis, cute quadam nigra tecti, partim læves, partim tuberculis quibuſdam aſperi: interiori ſubſtantia nihil ſunt quam pili in unum veluti compacti. tales plures habeo è Braſilia acceptos: ferunt autem utiles eſſe ad dyſenteriam. Vide quæ ad cap. 219. Boetii ſunt annotata de palla marina. Et quæ Agricola de Toſo ſcribit lib. VII. de Nat. Foſſil. Ubi & loca deſignat in quibus reperitur.

Cap.

CAP. XIII.

De Sarcophago ſive Aſſio lapide.

DE hoc lapide Boetius plura c. 220. Plin. l. 2. c. 96. *At circa Aſſon Troadis lapis naſcitur, quo conſumuntur omnia corpora; Sarcophagus vocatur.* Et lib. 36. cap. 17. *In Aſſo Troadis Sarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur: corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra* XL. *diem exceptis dentibus.* Ubi tamen Cl. Salmaſius legendum cenſet *Aſſia*, id eſt, regione circa Aſſon. Facultates autem huius lapidis ibidem deſcribit Plinius: Cl. autem Salmaſius ad Solinum pag. 1203. annotat: Eodem capite, paulo poſt, Aſſium lapidem ex Dioſcoride: & remedia eius deſcribit, & videtur alium facere ab eo Sarcophago lapide, qui in Aſſia Troadis invenitur. Hic mos eſt Plinii perpetuus ac ſolemnis. Nugatur bonus Hermolaus qui Aſium lapidem cum unico *ſ* diſtinguit ab Aſſio. Culpa eſt librariorum ubicunque Aſius lapis ſcribitur pro Aſſio. Stephanus urbem Myſiæ tradit eam Aſſon, in qua lapis Sarcophagus reperiebatur. Et poſt pauca. Dioſcorides de Aſſio lapide, qui perperam Ἄσιος ibi vocatur pro Ἄσσιος: *κατασκευάζονται δὲ καὶ πύελοι ἐκ τοῦ λίθου, εἰς ἃς οἱ ποδαγρικοὶ τοὺς πόδας ἐντεθέντες ὠφελοῦνται.* Prorſus male vertunt interpretes; *Ex Aſſio lapide pelves in balneis fiunt.* pelves ſunt λεκάναι; at πύελοι ſunt alvei vel ſolia. Plinius ita hæc reddidit: *Aſſius guſtu ſalſus podagras lenit, pedibus in vaſe ex eo cavato inditis.* Legi etiam commode poſſit: *pedibus embaſi ex eo cavatæ inditis.* Ἔμβασις eſt πύελος, vel ſolium. Qua voce *embaſis* etiam Latini uſi ſunt. Sequitur longe vitioſiſſimus apud Dioſcoridem locus: καὶ σοροὶ σαρκοφαγοὶ γίνονται. ἰσχαίνουσι τὰ πολύσαρκα, καὶ παχέα σώματα καταπλασσόμεναι ἀντὶ νίτρου ἐν βαλανείῳ,

λανείῳ. Græci σορὺς vocant arcas mortuales. Eæ ex Sarcaophago lapide etiam fiebant , quas appellat σορὺς σαρκοφάγυς Dioſcorides. Sic tamen vulgo hæc vertunt. *Fit etiam ex eodem farinæ modo pulvis minuendis carnibus utilis.* Quæ nihili ſunt. Ita legenda ac diſtinguenda illa ſunt. κατασκευάζονται δὲ καὶ πύελοι ἐκ τοῦ λίθου, εἰς οὓς οἱ ποδαγρικοὶ τοὺς πόδας ἐντιθέντες ὠφελοῦνται, καὶ σοροὶ σαρκοφάγοι. Τὸ δὲ ἄνθος ἰσχαίνει τὰ πολύσαρκα καὶ παχέα σώματα, καταπασσόμενον ἀντὶ νίτρου ἐν βαλανείῳ. Ex lapide fieri alveos balneares & mortuarias arcas dicit: florem autem in balneis vice nitri inſparſum craſſa ac præpinguia corpora attenuare. Flos Aſſii lapidis inſtar farinæ tenuis: Dioſcorides, τῇ συστάσει λεπτὸν. Plinius: *Eiuſdem lapidis flos appellatur, farina ex eo quædam perinde efficax.* Ita hic locus legendus è libris. Et poſt pauca : Sequentia etiam ſic legenda: prodeſt & phtiſicis linctus cum melle: ulcera ad cicatricem perducit, excreſcentia erodit. Vide cætera. Iul. Scalig. Exercitat. 132. de Sarcophago nihil hic ſcripſiſſem, niſi eſſet in hac urbe area ad Hilarii, pauperum dicata ſepulturæ, in qua defoſſa cadavera, poſt octavam, ut aiunt, diem nuda carne reperiuntur. Idem quoque Romæ proditur.

CAP. XIV.

De Phrygio lapide & Agerato.

DE Phrygio lapide agit Boetius cap. 221. de Agerato cap. 222. de quo cum conſuluiſſem Cl. Salmaſium, ita reſcripſit. De Agerato quid dicam neſcio, Fruticis genus eſt hoc nomine. Lapidis non meminit Dioſcorides, à quo tamen Galenus, & cæteri habent. Idem Galenus μορόχθου mentionem non facit; an μόροχθος idem cum ἀγηράτῳ.

Quod

Quod enim dicit ſutores eo uti, fortaſſean ad dealbanda coria candida, ex quibus mulierum calceos faciebant. Nam & linteones, dealbandis linteis eo utebantur. Mirum, ut dico, non facere mentionem μορόχθου Galenum & facere ἀγηράτου, & è contrario meminiſſe Dioſcoridem μορόχθου, & non ἀγηράτου. Cæſalpinus lib. 2. de metallicis, cap. 52. de lapide Phrygio: quamvis, inquit, hic minime vulgo cognoſcatur, exiſtimo tamen haberi in Italia & ubicunque efficitur Chalcanthum. Cum enim ad tingendas veſtes eo uterentur antiqui, putandum eſt Chalcanthi vim habere. Glebæ igitur quæ fodiuntur, ex quibus Chalcanthũ extrahitur, lapis Phrygius vocabatur: ſunt enim quædam palleſcentes, quædam cinereæ, maculis aut venis aliquando candicantibus, aliquando ſubvirentibus, guſtu aſtringenti & mordaci. Ex eodem genere videtur eſſe Ageratus apud Galenum, quo Coriarii utebantur, miſtæ facultatis, digerentis ſcilicet & aſtringentis, quamvis guſtu non evidentem aſtrictionem, aut acrimoniam habere videatur. Evidenter iuvat columellas phlegmone gravatas. Mitiorem igitur vim habet quam Phrygius. Ageratus ad nitorem calceis præbendum prædicatur, ut notat Hermolaus.

CAP. XV.

De lapide Spongiæ, Renali & Hyſtera petra.

SPongiæ lapides deſcribit Boetius cap. 223. de illis Plinius lib. 36. cap. 19. *Spongiæ lapides inveniuntur in Spongiis, & ſunt nativi. Quidam eos Tecolithos vocant, quoniam Veſicæ medentur: Calculos rumpunt in vino poti.* Idem lib. 37. cap. 10. *Tecolithos oleæ nucleo ſimilis videtur: neque eſt ei gemmæ honos, ſed lingen-*

tium calculos frangit pellitque. Sed hunc eundem eſſe cum lapide Iudaico docet Aetius: de quo vide Cl. Salmaſium ad Solinum pag. 712. Alius ab hoc lapis Spongiæ, qui tamen eodem nomine à quibuſdam appellatur ab eodem effectu. In poſteriore autem loco pro *lingentium* legendum eſſe *ungentium* recte annotat Cl. Salmaſius. Georg. Agricola de Nat. Foſſil. lib. IV. *Lapis Spongiæ, qui & ſpongites, in ſpongiis ſolet inveniri, atque inde nomen traxit. Is cochleæ inſtar perforatur, & quidem utrimque. Cum vino potus calculos renum frangit, atque ex eo Tecolithos nominatur.* Vidi aliquot eiuſmodi lapides perforatos, in ipſis ſpongiis enatos, qui magnam cognationem habent cum Pſeudo-coralliis lapideis, & ramoſi apparent.

De lapide Renali agit Boetius cap. 224.

De Hyſtera petra (quam Boetius deſcribit cap. 225.) ita Geſnerus fol. 147. In diœceſi Treverenſi, cum cementa pro reparandis ſtructuris, quæ vitium fecerant, arcis Erebreiteſtenienſis, eruerentur, inventi ſunt lapides nigricantes & duri, qui muliebre pudendū exprimerent. Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. c. 14. Cardanus lapidi huic hyſtera petra nomen finxit, nō recte: neque enim ὑστέρα τὸ γυναικεῖον μόριον ſignificat. addit & Marieburgi reperiri.

Plinius lib. 37. cap. 10. *Diphris* (lego Diphyes, inquit Geſnerus, διφυὴς cum Agricola, à ſexu duplici) *duplex, candida ac nigra, mas at fœmina, genitale utriuſque ſexus diſtinguente linea.*


Cap. XVI.

De lapide Iudaico.

Lapidem Iudaxum deſcribit Boetius cap. 226. Sed operæpretium erit & Geſnerum, à quo Icones accepit, audire. Lapides quidam, inquit, fol. 128, è marmoribus aut ſaxis fiunt: quod genus ſunt lapides Iudaici, Trochitæ, Dactyli Idæi, & ſimiles.

La-

Lapis autem Iudaicus à Dioſcoride dictus, Syriacus ab Aëtio vocatur: & ab aliis Phœnicites: vel ab olivæ nuclei ſimilitudine Pyrene: vel Tecolithos à vi lapidem (renum aut veſicæ) liquefaciendi. Nonnullis Eurhœus, quod, quia comminuit calculos, & movet urinam, facile fluere videatur, &c. Hæc fere Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. Nos hic quatuor eius differentiarum figuras poſuimus. 1. minimus & ro-



tundior, ovi fere figura: fœmina, ut conjicio, appellatus à veteribus: frequentior & communior pharmacopolis. Reliqui tres oblongi, rariores, maſculi, &c. Tertium ſtriatum cognominare licet: in eo quidem & ſecundo principium quoddam, è quo lapis enaſci videtur, anſæ aut umbilici inſtar apparet, ut in Aetitis nonnullis. Sunt qui Cyſteolithon vocent, id eſt, veſicæ lapidem, quod calculos eius comminuere crederetur: Galenus id negat, in ſolis renũ calculis comminuendis efficacem faciens. Tecolithos quidem etiam ſpongiarum lapides à ſimili effectu à quibuſdam vocari Plinius tradit: ubi aliqui Cyſteolithos legunt, quod minus probo. Eurhœos nucleo olivæ ſimilis eſt, ſtriata concharum modo, non adeo candida. Plinius. Galeno Iudaicus lapis eſt, εὔρυθμος κατὰ τὸ σχῆμα (id eſt, ſcite concinnatæ figuræ, quod vocabulũ ad Eurhœos videtur accedere) & lineas habet velut torno factas: quod ter-


tio ex quatuor illis, quos delineavimus, convenire videtur. Pyrene ab olivæ nucleo dicta eſt, huic aliquando ineſſe piſcium ſpinæ videntur; Plin. Et alibi; Tecolithos olivæ nucleo ſimilis videtur, &c. Vide Cl. Salmaſium ad Solin. cap. 712. ut ſupra.

Cap. XVII.

De Trochite, Entrocho & Encrino.

TRochitem & Entrochum deſcribit Boetius cap. 227. & adiungit figuras à Geſneno acceptas; operæpretium autem ipſum Geſnerum audire. qui de figur. lapid. fol. 88. ita ſcribit : In Rotæ figuram formantur Trochitæ, ab ea ipſa dicti : de quo idem Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. cum lapide Iudaico, inquit, cognationem habet Trochites. Etenim cum ei natura dederit tympani figuram, eius pars rotunda lævis eſt, utraque vero lata habet quendam quaſi modiolum, à quo undique radii ad extimam orbis partem, quæ ipſis eſt loco canthorum, procedunt ita eminentes ut ſtriæ fiant. Multum variant quantitate, ſed minimus adeo parvus eſt, ut maximus decuplo maior ſit. Maximus vero latus eſt digitum tranſverſum: craſſus tertiam eius partem, aut amplius. Differt colore: nam aut cinereus eſt, aut nigricat aut luteus eſt. Sed is magis propter contagionem terræ talis eſſe ſolet, intus enim cæteris candidior. Omnis fractus lapidis Iudaici inſtar lævis eſt, & nitet. Frangitur autem ſimiliter ut ille in longum, latum, obliquum. In acetum impoſitus, ut Aſtroites, bullas agit: atque etiam reperitur interdum qui ſe tanquam Aſtroites moveat de loco. At ex Trochitis nondum ſeparatis conſtat Entrochos: modo ex binis, modo ex ternis, modo ex quaternis, nunc vero ex pluribus; viceni enim ſic reperiuntur coniuncti.

ſti. Eius duæ ſunt ſpecies: aut enim æqualiter teres eſt, aut teres quidem, ſed pars eius media tumet, utrumque caput ſtrictius eſt. Cuius autem Trochitæ radii ſunt eminentes, in eo, qua parte duo committuntur, ſemper ineſſe cingulum retortum videtur: at cuius humiles, carent cingulo, totique læves ſunt. Trochitæ vero ſic coniunguntur, ut unius radii ingrediantur in alterius ſtrias: Entrochi quidem tumidi Trochitæ, plerumque humiles admodum habent radios. Quin ſæpenumero lapis informis reperitur una cum Trochite, & Entrocho, rotæ in ſe continens figuram: quæ in eo quaſi quædam radix, Trochitis iam abruptis, remanſit. Hos autem lapides gignit Saxonia ad Hildesheimum ultra montem Mauritii, in commiſſuris marmoris in cinereo candidi, & in terra glutinoſa, &c. Hæc Agricola: qui Trochiten interpretatur *Spangen oder Rederſtein.* Ego quem à viro quodam nobili accepi ſequenti pagina expreſſum apponam, tum ſingularem, tum ternos iunctos. Lapis eſt fuſcus ſatis durus, in medio centrum habet cum levi indicio modioli: in circuitu radii eminentes apparent, intervallis mediis cavis. Si cohærentes ſepares, ſingulis utrimque veluti ſigillo impreſſa rotæ ſpecies videtur: ut rotæ ſigillum non ineptè hic lapis vocari queat: figura autem eius hæc eſt.



Encrini non meminit Boetius, niſi demum cap. 303. in Catalogo Gemmarum, & lapidum ſecundum ordinem Alphati, cum tamen Agricola, è quo ſua hauſit, cum Entrocho coniungat, utpote eiuſdem naturæ & virium in medendo.

CAP.

Cap. XVIII.

De Morochto lapide, & Galactite.

DE Morochto lapide agit Boetius cap. 228. male autem ſcribit, alias *Leucophragis*, cum ſcribendum fuerit Leucographis. Plinius lib. 37. cap. 10. *Meroctes porracea lacte ſudat.* Ubi tamen legendum Morochtis, ut docet Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 796. ubi & hæc addit: Μοροχθὶς Dioſcoridi dicitur, eademque λευκογραφὶς & γαλαξίας. Aëtius Μοροξὸν hunc lapidem appellat, λευκογραφίδα. Eo utebantur Ægyptii ad dealbanda lintea: ᾧ χρῶνται, inquit, στιλβοῦντες τὰς ὀθόνας. Dioſcorid. ᾧ καὶ οἱ ὀθονοποιοὶ πρὸς λεύκωσιν τῶν ἱματίων χρῶνται, μαλακῷ καὶ εὐανέτῳ ὄντι. Colore viridem eſſe Aëtius ait: ὑπόχλωρος γὰρ γινόμενος ἐὰν παρατριβείη ἀκόνῃ ἢ ἱματίων τραχύτητι λευκαίνει τὸν τόπον. *cum ſit ſubviridis, ſi ad cotem atteratur aut aſperitate veſtium, locum dealbat.* Plinius porraceam eſſe Morochtida, & lacte ſudare. Porraceum eſt πράσινον, vel ὑπόχλωρον. Lacte ſudat. nam & μοροχθὶς τῶν εἰς χυλὸν ἀναλυομένων λίθων unus eſt & lacteo ſucco ſudare certum eſt. Sartores veſtium hoc lapide utuntur in delineandis, quos ad modulum corporis in veſtem cædunt, pannis. Nam & ſubviridis eſt, & lineam albam, per veſtimentum ductus, facit, præcipue ſi ſaliva tangatur. Hæc ille.

Præter virtutes huius lapidis, quas Boetius recenſet, ſcribit Fer. Imperatus lib. xxv. cap. 6, vulgo credi appenſum pectori copiam lactis in uberibus generare. Addit præterea, igni expoſitum perdere colorem, & mutari in lapidem durum album, qui tamen neque lineas ducat, neque amplius in lacteum ſuccum reſolvatur.

De Galactite agit Boetius cap. 229. atque hîc iterum

rum male pro *Leucographis* ſcribit *Leucophragis.* De hoc Plinius lib. 37. cap. 10. *Galactites ex vino colore lactis eſt. Eandem dicunt Leucam, & Leucographiam appellant, & Synnephiten, tritam lactis ſucco & ſapore notabilem.* Quem corruptiſſimum locum ita corrigit Cl. Salmaſius in Solinum pag. 137. *Galactites è Nilo colore lactis eſt.* Quod mirum eſt non vidiſſe tot Plinii correctores: quæ ſequuntur id evincunt: *mittit eam & Achelous amnis.* Et Solinus de hoc lapide; *quem poſt Nilum, Achelous dat, nec alter alius.* Ergo Galactites è Nilo & Acheloo. Sequitur apud Plinium: *eandem dicunt leucam, &c.* quæ corrupta eſſe indicat lectionum varietas: libri quidam habent *leucam & leucogageam*; ſcribe, leucogæam; λευκόγαιαν aut λευκογαίαν, & leucographidē: ἡ λευκογραφὶς Dioſcoridi: pro *Synnephiten* iidem libri ſcribunt *Smetitin*; ſcribendum, *Smetidem* vel Smeictidem, σμηκτίδα. σμηκτὶς aut σμηκτὶς dicta eſt, quod ea uterentur ad dealbanda ac pumicanda veſtimenta. Dioſcorid. ᾧ καὶ οἱ ὀθονοποιοὶ πρὸς λεύκωσιν τῶν ἱματίων χρῶνται. Idem μαλακὸν καὶ διάνετον eſſe dicit. ut terra ſit potius quam lapis; unde & λευκόγαια vocitata eſt. Ex his conſtat Plinium errore nominum inductum, Galactiten & Galaxiam confudiſſe. Hic lapis qui Leucographidis, & Leucogææ, & Smectidis nominibus vocitabatur, Galaxia eſt Dioſcoridis, & Morochtus, qui aſſumebatur poliendis & dealbandis veſtimentis. Hunc Nilus dabat; nā ἐν Αἰγύπτῳ γεννᾶσθαι ſcribit Dioſcorides: colore lactis erat, unde & γαλαξίας dicebatur, & λευκόγαια. Hic diverſus ab eo Galactite, cui nomen dedit non color lactis, ſed ſuccus lacteus quem reddebat, nam lapis ipſe cinerei coloris. Vide cætera apud authorem.

Porro affertur è Nova Hiſpania terra quædam fungoſa, friabilis, alba, leviſſima; quæ per omnia con-

convenit cum ea quam Lac Lunæ vocat Geſnerus, nam & valide ſiccat ſine morſu, uti ſæpe ſum expertus. Franciſcus Ximenes ſcribit in Lacu Mexicano naſci.

Cæſalpinus de Metallicis lib. 2. cap. 60. Hodie, inquit, omnes hos lapides habemus in Hetruria, Pictoribus & Mathematicis cognitos ad lineas ducendas. Reperiuntur in fluminibus devoluti ex Apennino in Lunenſi regione. Quidam cinerei, quidam nigri: alii ſubvirides, alii mellei coloris: omnes tactu adeo lubrico ut peruncti videantur ſaponis modo: omnes ſuccum lacteum reddunt ac dulcem, facileque ſolvuntur. Qui igitur cinereo colore conſtat aut nigro, Galactites fuerit: qui flaveſcit mellis ſimilitudinem etiam in colore referens, merito dici poſſit Melitites: ſubviridis autem Morochtus. Nitet autem gemmæ inſtar Morochtus magis quam cæteri.

Cap. XIX.

De Thyite, Melitite, Steatite.

DE Thyite agit Boetius cap. 230. de quo Dioſcorides lib. v. cap. 109. ad quem locum Matthiolus refellit opinionem Fuchſii, qui eundem lapidem hunc cenſuit cum gemma Turquoide. Quod autem affert Boetius ex Hermolao, Thyiten à θύα deduci, quod vocabulum mortarium ſignificat id minime probat Cl Salmaſius: Non probo, inquit, coniecturam eorum, qui putant ἀπὸ τῆς θυίας deduci, id eſt, mortario quaſi ex eo lapide mortaria fierent. Sed videant an aptus ſit mortariis faciendis qui diluitur, & dilutus ſuccum lacteum remittit. Præterea libri omnes vetuſtiſſimi apud Dioſcoridem, & Galenum legunt Θοΐτης non Θυΐτης.

Quæ

Quæ ſit ratio nominis non video. An quod colorem refert arboris θύου? ita oportet. Citrum Latini verterunt. Unde θύιναι menſæ Græcis, quæ Latinis citriæ. Heſychius Θύον εἶδος δένδρου. Agricola lib. VI. de Nat. Foſſil. iudicat nihil differre à Morochto.

De Melitite agit Boetius cap. 231. De eo ſic Plinius lib. 36. cap. 19. *Melitites lapis ſuccum remittit dulcem mellitumque tuſus: & ceræ miſtus eruptionibus pituitæ maculiſque corporis medetur, & faucium exhulcerationi: Epinyctidas tollit & vulvarum dolores impoſitus velleri.*

De Steatite agit Boetius cap. 232. Plinius lib. 37. cap. 11. *Steatites à ſingulorum animalium adipe numeroſo.* Geſnerus de figur. lapid. fol. 149. & 150. Sevum Græci proprie στέαρ nominant, adipem πιμελὴν: quod Plinius in Steatite lapide non animadvertiſſe videtur. Conjicias autem, ex Græco aliquo authore hæc male vertiſſe, & eſſe στεατίτην τῇ τῶν ζώων στέατος ὁμοιότητι διάφορον, id eſt, animalium ſevi ſimilitudine inſignem. διάφορος autem Græcis videtur, & pro inſigni vel excellenti & pro numeroſo vel multiplici quibuſdam differentiis accipi. Dat deinde eius Iconē & ſubjicit.



Steatites hic propoſitus lapis vocari poſſe videtur quod mollis eius ſubſtantia ſit ſevo perſimilis, ſed duriuſcula, Morochto cognata, ut ſuſpicor; licet enim fuſci in ruffo coloris ſit, lineas tamen albas in ligno ducit, ſi affricetur. Quod ſi lapis alius ſubſtantia ſimul, & pinguedine, & colore ſimilior inveniatur, is eſto Steatites: qualis forte reperietur in Terrarum vel Bolorum (ut vulgo vocant) genere, qualis maxime eſt *Ful erde*, id eſt, terra fullonum, vel *Seiff erde*, id eſt, ſaponis terra, nominata: quæ ſi durior, & lapidi ſimilior ſit, στεατίτην λίθον appellari, nihil vetabit. Hæc ille.

CAP.

Cap. XX.

De Oſſifrago lapide; Enoſteo; Stalactite.

De Oſſifrago lapide eiuſque differentiis agit Boetius cap. 233. & duobus ſequentibus, & exhibet Icones à Geſnero acceptas, de figur. lapid. fol. 150 verſo; ubi ille & ſingulas deſcribit.

De Enoſteo cap. 236. de quo ſic Geſnerus de fig. lapid. fol. 151. Enoſteos lapis, inquit, diviſus oſſium effigiem repræſentat. Agricola: qui hunc lapidem Germanicè interpretatus Knochenſtein. Idem lib. v. de Nat. Foſſil. Cotibus aquariis grandibus tantum, inquit, tympani figura datur, & ex ſaxo molari duro fiunt. Ex his autem ipſis, quæ ex Germania inferiori afferuntur, variæ nigro, & candido colore, quædam fractæ oſſis ſpeciem repræſentant: quas iccirco ἐνοςέυς Græci appellarent.

De Stalactite ſeu Stillaticio lapide agit Boetius cap. 237. Geſnerus autem de figur. lapid. fol. 73. & 74, Cæterum, inquit, ut Stalagmites (*de quo ſtatim*) è guttis ſuam formā ſervantibus coit: ſic ubi deſcendunt in longitudinem guttę, & veluti ſtirias efficiunt (quales è nivibus liquatæ tectorum alibive aquæ, rurſus antequam defluant gelu aſtrictæ pendent) pyramidum ſpecie, plures plerumque pariter magnitudine inæquali aut inæqualiter protuberantium chœradum vel ſtrumarum ſpecie, lapides gignuntur, quos Walſtein Germanicè vocant, ab eo quod oſſa ferruminare credantur emplaſtris additi. Dependent autem, ni fallor, à ſaxis fere, per quæ craſſior aqua, & frigidior paulatim defluit: ut in arce Bruneggo non procul à Lenceburgo in Helvetiis: & prope cataracten Rheni inferiorem ad Lauffeburgū oppidum in proximo monte, qui plane ſtiriis ſimiles ſunt, ob-


oblongi, teretes, niſi quod in mucronem ut pyramis exeunt, albi pellucidi.

CAP. XXI.

De Stalagmite, Hammite, & Ammochryſo.

DE Stalagmite agit Boetius cap. 238. de Hammite 239. de Ammochryſo 240. Meliori ordine de iiſdẽ Geſnerus (à quo & figuras ſumſit Boetius) de figur. lapid. fol. 71. & ſeq. in hunc modum. *Hammites ovis piſcium ſimilis eſt, & atra velut nitro compoſita, prædura alioquin. Plin.* lib. 37. cap. 10. Eſt autem locus obſcurus, &, ut ſuſpicor, depravatus, in his verbis, *& atra velut nitro compoſita:* quibus omiſſis clarior eſſet ſententia. Quid ſi pro iis ſubſtituas, & tota velut arenis compoſita. ſic enim etymologiæ ratio conſtaret, &c.

Verum fallitur Geſnerus, ſiquidem omnes libri conſentiunt, & duas ſpecies deſignat Plinius; unam ovis piſcium ſimilem, id eſt, veluti ex arenis compoſitam, alteram veluti ex nitro. Quod & obſervavit Agricola; Ammonites, inquit, ex arenis ita componitur, ut ovis piſcium quod ad figuram attinet, ſimilis videatur eſſe: nitro interdum quod ad ſubſtantiam & colorem. Id genus lapides inveniuntur in Saxonibus ad Alfeldam, & Hildesheimum, nucis iuglandis magnitudine, aliquando etiam maiores.



Porro ex tribus figuris hîc expreſſis, prima ſeu B eſt lapidis ex multis veluti piſis concreti) inquit Geſnerus) quem Piſolithon vel Orobiam dixerim(Germanicè Erbſtein) vel Hammité maiorem; Secunda vel D. Hammitem minorem; qui ova piſcium minora vel aranearam refert, ut papaveris miliive ſemina conglobata (unde & Meconites, & Cenchrites Plinii vocari poſſit.) Agricola Rogenſtein vel Ragenſtein intepretatur, quod tamen nomen Saxo arenario quoque tribuit. Hunc lapidem Berna ad me miſit Vir Doctiſſimus Sacrarum literarum interpres Benedictus Aretius, duplicem: album è Iura monte:

monte: ruffum ex cinereis Bernenſium ditionis montibus, quos Aeſchepirg vocant. Eundem autem (vel paulo maiuſculis granis) prius miſerat nobilis Medicus Io. Kentmanus Dreſdenſis, qui & alios permultos miſit. Videtur autem totus quaſi ex arenulis rotundis conflatus, ideoque ovis piſcium ſimilis, quæ recentiores quidam arenida cognominarunt, hoc eſt, ψαθυρὰ & friabilia. Confricatur autem & reſolvitur facile hic lapis in arenulas ſive granula ex quibus conſtat, quæ quidem ſingula prædura ſunt, inſipida & inodora. Tertia ſive C, Thermarũ Carolinarũ in Bohemia guttas habet in lapideę formæ veluti piſa converſas, quæ gypſi aut calcis plane naturam colore & ſubſtantia præ ſe ferunt. Cæterum ut Hammites totus arenulis rotundis conſtat, ita Stalagmites, aptè ſane à Doctiſſ. Viro Georg. Fabricio dictus, è guttis itidem rotundis in lapidem gypſeæ ſubſtantiæ converſis, totus coagmẽtatur. De quo ſic aliquando ad me idem Fabricius ſcripſit. Hammites alius eſt à Stalagmite: ſic enim nomino qui è guttulis calidarum in terra arenaria formatur, qui pro qualitate terræ, modo candidus, modo gryſeus, (fuſcus) pro quantitate aquæ defluentis guttatim, modo piſorum, modo coriandri refert magnitudinem: & reperiuntur in una maſſa plurimi quaſi favis incluſi, & eximuntur ceu grana. Hammitæ vero corpus unum eſt, ſaxea duritie, & ex una fit materia, aut ex ſola arena, qui coloris cinerei effoditur in Pruſſia eo loco qui Hortus Roſarum appellatur, aut ex ſucco lapideſcente qui eſt candidus. Utrique ſunt inſparſæ micæ coloris argentei. Stalagmites copioſiſſimus eſt in Thermis Carolinis prope Schlaccewaldum Caſp. Pflugii oppidum in Bohemia.

De Ammochryſo videndus Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. qui ſcribit reperiri ad Lotharingiæ Cali-

das plumbarias : in Thuringiæ collibus, qui ſunt ad Chelbram oppidum, in rivo quodam ad Cœnobium quod Valdeſaſſum nominant; admodum autem tenuem in antro ab Haſta appellato, quod eſt in Brivalda Carinthiæ Sylva. Videndus & Scaliger Exercitat. cxxx.


Cap. XXII.

De lapide Crucifero, Cornu Ammonis, Tephrite, & Hæpheſtite.

LApidem Cruciferum deſcribit Boetius cap. 245, de quo nihil addo.

Cornu Ammonis cap. 246: cuius & Iconem dat è Geſnero de figur. lap. fol. 159, quæ in hac editione nō ſatis fideliter expreſſa eſt : quare conſultum putavi duas alias addere ad vivū delineatas; utriuſq; generis;





nam unum, ut videre eſt, plane cochleam refert aquati-

quaticam, eſtque læve ſine ullis tuberculis; alterum elegantiſſime verrucis, tuberculis, & quaſi rugis quibuſdam variegatum eſt. Ioannes autem Bauhinus in nova ſua Methodo de Aquis medicatis ſeu Hiſtoria admirabilis fontis Bollenſis dat plures Icones Maiorum minorumque.

Quod porro dicit Boetius: *ſolet ferreo armari hoc Cornu colore*, &c. id hauſit ex Agricola lib. 4. de ortu & cauſis ſubterraneorum: Accedit autem hic color ex humore aluminoſo intra terram; obſervavi enim Bathoniæ in Anglia, in illis Thermis, argenteos nummos aliquandiu in aqua illa relictos, auri ſeu Orichalci colorem acquirere, ſed dilutiorem, quem diu ſervant. Porro, ea, quam metallici vocant armaturam, (inquit Agricola, *ein harniſch* Germanicè) quod ferri politi aut æris ſimilitudinem gerat. At neutrum metallum non modo eſt, ſed ne tantillum quidem illius ex eo poteſt confici. Verum eſt veluti naturæ rudimentum ea metalla facere diſcentis. Lapis vero qui tandem fuerit hac armatura indutus, Hoplites Græce dici poteſt. Hæc ille. Interior huius lapidis ſubſtantia pene ſimilis eſt pyritę æroſo, niſi quod paulo mollior ſit, & quod obſervavi, ſenſim in ſe conſumatur, & in partes diſſiliat. Sed operæpretium fuerit Agricolæ locum aſſcribere è lib. v. de Nat. Foſſil. Idem, inquit, Plinius ſcribit, Ammonis Cornu aureo colore arietini Cornus effigiem reddere, & in Aethiopia naſci. Is videtur aurei coloris armatura obductus eſſe; nam in toto Hildesheimio tractu, qui longiſſimi collis ſpeciem præ ſe ferrens, à Mariæburgo arce per inferiorem urbis partem pertinet ad Haſdam pagum invenitur lapis novæ Lunæ ſpeciem habens curvatæ in cornua aurei coloris armatura veſtitus, modo magnus, modo parvus: mediocriter autem du-

rus, & interdum ſtriatus. Sed eundem aliquando ferrei coloris armatura tegit: aut adamanti ſimilis. Etenim ubi in terra aluminoſa reperitur aut atramentoſa, aureo colore ſplendet, ubi in alterius generis terra, ferreo aut conſimili. Nam alumen & atramentum ſutorium permutant ferrum in Orichalci colorem, qui aſſimilis auro. Ibidem effoditur lapis eiuſdem figuræ, ſed omni vacuus armatura, & cinerei coloris, qui & Tephrites apud Plinium. Idem dicit Hephæſtiten in Coryco natum ſpeculi naturam habere in reddendis imaginibus, quanquam rutilus. Nomen ex eo invenit, quod in ſolem additus aridam materiam accendat, non aliter ac ſpeculum concavum ſulfurata, ſtramina, ſarmenta. Id genus lapides in rubro nigri coloris reperiuntur Hildesheimi in foſſa mœniorum, qua ſpectat ſeptentriones. In modum vero patinæ excavati ſunt, & aurea armatura rutilant; quare & reddunt imaginem, & ob ſolis radios verſi aridam materiam accendunt. Hæc ille. Non ſolum autem in ipſo Cornu Ammonis, ſed & in matrice eius qua Cornu tetigit eiuſmodi armatura cernitur, uti è multis fragmentis obſervavi. T. Bartholin. lib. de Unicornu cap. 37: Nos vero Arietinis Cornibus ſimillima complura ipſi ex Colle Meſſanenſi cum Petro Caſtello ſummo loci doctore eruimus, ea parte qua altius hortus publicus aſſurgit.

Cap. XXIII.

De Belemnite, Dactylo Idæo.

De Belemnite agit Boetius cap. 257. Sed quia maximam partẽ, ſumſit à Geſnero qui diligentiſſime de illo ſcripſit de figuris lapidum, operæpretium fuerit locum integrum hîc inſerere. Belemnites,

tes, inquit, ſagittæ, quæ βέλεμνον Græcis dicitur, effigiem repræſentat; quare Saxones eum vocabulo ex ephialte & ſagitta compoſito, Alpfeſſcht, Alpſſcoſz nominant; potumque contra eiuſmodi ſuppreſſiones, & noctis ludibria valere dicunt, ac faſcinationibus occurrere. Hunc lapidem hodie quidam Medici pro Lyncurio habent & utuntur, qui ex urina Lyncis non concrevit: nec enim ullum tale fuit Lyncurium. Sed Veteres ſcriptores Succinum ſic appellarunt, quod ipſis perſuaſum eſſet ex urina Lyncis fieri. Siquis tamen unquam Græcorum Lyncurium, quod non eſſet ſuccinum, vidit, hos Belemnitas, opinor, vidit. Nam ex iis quidam Succini Falerni habent colorem, & pellucent: quidam paleas aliaſque res minutas, tanquam Succinum ad ſe alliciunt: reperitur autem in pluribus Germaniæ locis: eſtque aut cinereus, aut candicans, aut in rubro niger, qui omnes inveniuntur Hildesheimi; aut Succini Falerni colore, ut Pruſſicus, & Pomeranicus. Uſtus vel candidus fit, vel in candido cinereus. Uterque reperitur inter urbem Hildesheimum, & arcem Mariæburgum in marmore antri, quod à Nanis appellant, ad ſiniſtram. Nam locum illum quondam arſiſſe, alia multa, præter huius lapidis odorem, indicant; quin aurea armatura non modo Belemniten Hildesheimi in foſſa mœniorum generatum ortu, ſed etiam radicem conveſtit extrinſecus: quæ armatura ſine arte mirifice nitet atque imaginem inſtar ſpeculi reddit. Belemnitæ autem ſi confricentur, ex iis quidam olent Cornu bovis limatum aut uſtum, ut Hildesheimi in marmoris eiuſdem odoris cõmiſſuris nati: aliqui ſine odore ſunt, ut reliqui. Diverſa vero ipſis eſt magnitudo: cum enim maximis eſſe ſoleat digiti longitudo & craſſitudo, Hildeshemiis in foſſa mœniorum qua ſpectat ad ſeptentriones repertis,

eſt interdum ſeſquipedis longitudo, brachii craſſitudo. at figura omnibus eſt ſagittæ ex ampla radice deficientis in tenuiſſimam aciē: omnibus natura ineſt quædam quaſi rima, qua fit ut facilius in longitudinem diffindantur, ſed ea pellucidis magis quam cæteris eſt conſpicua; eadem interdum aurea armatura veſtitur intus: in aliis præterea ineſt terra, in aliis arena & terra. Verum lapis qui continet Belemnitas, aurei coloris armatura tectus, plerumque conſtat ex cruſtis, tanquam menbranis quibuſdam, primo latis, mox magis ac magis ſtrictis. Quoniam vero Belemnitæ exſiccant, Pruſſicis ac Pomeranicis Chirurgi curant vulnera: iiſdem medici & Saxones ſuis non aliter ac lapide Iudaico frangunt calculos. Hæc Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. Belemnitæ hic poſitas Icones ſecundum numeros deinceps enarrabimus.

1. Belemnites vel Dactylus Idæus maior nigricat, & radios à centro diffundit, ut apparet: ſolidus excepta baſi: ſicut etiam Cornua animalium aliquo uſque cava ſunt, inde ſolida: accedunt autem odore quoquę ad Cornu vel os uſtum, aut felium fere urinam. Subſtantia friabilis fere eſt, color nigricat. Quidam ex iis fracti videntur, & rurſus ſponte coagulati.

2. Eiuſdem baſis concava in medio, terram vel lutum continens.

3. Eiuſdem alia ſpecies, intus atra & læviſſima, nullis radiis, foris albicans tanquam cruſta è creta inducta: ſubſtantia ei duriſſima, ut & ignem emittat tanquam ſilex. Fœtoris nihil habet; magnitudine & figura, cacuminis etiam modice inclinati, pollicis articulum ſuperiorem referens.

4. Belemnitæ radiati ſpecies minor, linea per medium diviſa, & ad lucem perſpicua; minus nigra, è fuſco

fuſco candicans, vel etiam ſubruffa, obſcurius radiata; nec ita fœtida, quam multi Pharmacopolæ habent pro lapide Lyncis; eam præſertim ſpeciem, quæ parte altera pellucet & ſubruffi coloris eſt, lineâ media ſecundum longitudinem dividente. *Et poſt pauca.* Lapis Belemnites omnis plerumque conſtat cortice & parte interiori ceu carne: nonnullis etiam medulla ineſt mollior. Germani quidam hunc lapidem vocant Luchsſtein, id eſt, Lyncis lapidem; alii Schoſzſtein à ſimilitudine teli quod Schoſz vocamus: alii Rappenſtein, id eſt, Coraciam aut Corvinum lapidem, ſive à colore nigro, quo ſpecies eius quædam colorantur, ſive ut quidam nugantur, à Corvini veretri ſimilitudine. Ad renum calculos in Hiſpania eius uſum eſſe accepi: uſtus quidem mihi videretur utilior, ſaxifraga præſertim & aliis admixtis: aut potius liquor in quo macerata hæc fuerint, colatus. Dentes etiam uſtus expurgat; poſſet autem odoris gratia aliquid iridis miſceri. Sunt qui oculis equorum ad exterendas cicatrices, uſtum inflent. Audio & ad vitrum neſcio quem eius uſum eſſe, & Alabandicum, neſcio quam recte, appellari. *Addit deinde*; tertio loco pictum præ cæteris Dactyli Idæi nomine dignum. *& nominis cauſam exponit. Vbi & hoc habet:* Ab eodem quidem Cretæ monte, Corybantes etiam olim ſimiliter Dactyli Idæi dicti ſunt.

Quod Boetius ita accepit quaſi Belemnitæ hi ſeu Dactyli Idæi olim Corybantes fuerint appellati; perperam, quum Corybantes homines appellati fuerint Dactyli Idæi, non contra. Cætera vide apud Geſnerum.

Georg. Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. [a] *Idæi vero Dactyli in Creta ferreo colore pollicem humanum exprimunt:*

a *Plin. Lib.* 37. *c.* 10.

munt: iidem reperiuntur in Pruſſiæ locò, qui Roſarum hortus appellatur.

Dicit Boetius cap. 258. in Belemnite interdum reperiri lapidem in conum acutum, turbinatũ, etiam concavum, nec minus terra vel arena repletum: quẽ hic exprimendum duximus.



Quia autem Boetius de Belemnite agens, etiam Lyncurii meminit, pauca de illo dicenda. Theophraſtus de lapid. agens de gemmis aliquot, quarum ſpecies ſexu diſtinguuntur.

Καὶ τὰ λυγγούρια δ' ὡσαύτως, ὧν τὸ θῆλυ διαφανέστερον, καὶ ξανθότερον. Dixerat autem paulo ante, de Smaragdo agens: αὕτη τε δὴ περιττὴ τῇ δυνάμει, καὶ τὸ λυγγούριον. καὶ γὰρ ἐκ τούτου γλύφεται τὰ σφραγίδια, καὶ ἔστι στερεωτάτη, καθάπερ λίθος, ἕλκει γὰρ ὥσπερ καὶ ἤλεκτρον. Οἱ δέ φασιν οὐ μόνον κάρφη καὶ ξύλον, ἀλλὰ καὶ χαλκὸν καὶ σίδηρον, ἐὰν ᾖ λεπτὸς, &c. Plin. lib. 8. cap. 38. *Lyncum humor ita redditus ubi gignuntur, glaciatur areſcitque in gemmas Carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, Lyncurium vocatas, atque ob id Succino pleriſque ita generari prodito.* Et lib. 37. cap. 2. de Succino agens: *Demoſtratus Lyncurion id vocat, & fieri ex urina Lyncum beſtiarum è maribus fulvum & igneum, è fœminis languidius atque candidum. Alii dixere Langurium, & eſſe in Italia Langurias.* Et eodem lib. cap. 3. poſtquam plura dixiſſet de Succino: *De Lyncurio,* inquit, *proxime dici cogit authorum pertinacia. Quippe etiamſi non electrum id eſſet, Lyncurium tamen gemmam eſſe contendunt. Fieri autem ex urina quidem Lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam, quoniam invideat hominum uſui. Eſſe autem, qualem in igneis Succinis, colorem, ſcalpique. Nec folia tantum aut ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam ac fer-*

ri Laminas, quod Diocli Theophraſtus credidit. Ego falſum id totum arbitror, nec viſam in ævo noſtro gemmam ullam ea appellatione, & quod de medicina ſimul proditur, calculos veſicæ eo poto elidi & morbo regio occurri, ſi ex vino bibatur, aut ſi portetur etiam. Epiphanius meminit etiam utriuſque nominis Lyncurii & Langurii; & quoniam ſacræ literæ non faciunt mentionem Hyacinthi gemmæ, ſuſpicatur illam Lyncuriam appellatam. Et ſane deſcriptio Lyncurii non male convenit cum Hyacintho Neotericorum: ita ut mihi non fiat veriſimile lapidem Lyncis aut Belemniten Lyncurium antiquorum dici poſſe; eoq; magis quod figuræ non meminerint, & gemmas ex eo factas memorent: quæ è Belemnite fieri non poſſunt. Geſnerus in Corollario ad Epiphaniũ de XII. gemmis: Ego Lyncurium à Succino differre non video: & id quoque pro gemma habitum olim, præſertim quod aureo colore pellucet ac ſplendet, minime dubito.

CAP. XXIV.

De Ceraunia.

DE Ceraunia agit Boetius cap. 261, & illius figuras affert è Geſnero: operæpretium autem fuerit ipſum Geſnerum audire lib. de figur. lapid. fol. 39. *Similiter vocatur Aſtrios* (malim Aſterios ex Dionyſio Afro) *Cryſtallo propinquans, in India naſcens & in Pallenes littoribus, intus à centro ceu ſtella lucet, fulgore Lunæ plenæ. Quidam cauſam nominis reddunt quod Aſtris oppoſita fulgorem rapiat ac regerat. Optimam in Carmania gigni, nullamque minus obnoxiam vitio: Ceraunìam enim vocari quæ ſit deterior; peſſimam Lucernarum lumini ſimilem.* Plin. lib. 37. cap. 9. Legendum, peſſimam Lychnitem Lucernarum &c. Verum hæc Ceraunia non pertinet ad hanc de qua agimus: niſi ſta-

ſtatuatur nobiliſſima eius ſpecies. Subjicit autem Plinius eodem loco: *Sotacus & alia duo genera facit Ceraunia, nigras rubenteſque, ac ſimiles eas eſſe ſecuribus. per illas quæ nigræ ſunt & rotundæ, urbes expugnari & claſſes, eaſque betulos vocari: quæ vero longæ ſunt, Ceraunias.* Quod autem hic dicitur *betulos* vocari, alludit ad vocabulum *Beitels*, quo vocabulo Belgæ noſtri intelligunt cuneos, inſtrumenta fabrorum, quibus ligna & lapides dividunt. Porro Icones quas adiunxit Boetius, à Geſnero ſunt acceptæ, qui de ea quam litera E notavit, ita ſcribit: *Lapis quem Vir Nobilis quidam & rerum naturæ ſtudioſus mihi pro lapide fulminis* (Germanicè enim Stralhamer vocabat) *dono dedit, cuius hîc Iconem adiunxi: longus eſt digitos quinque, latus vero tres qua latiſſimus eſt, nempe ſub infimam partem, qua Cunei inſtar utrimque attenuatur & totus plane Cuneum refert: Craſſitudo ei pollicaris, qua craſſiſſimus eſt, circa medium ſcilicet, ubi caput & latera angulis clauduntur, ut quadrangula corpora in Cuneo vero anguli coëunt, ut in aciem ſecantem exeant, craſſitudine infra medium paulatim attenuata. Color in albo fuſcus, circa caput plus nigredinis eſt. Graviſſimus eſt duriſſimuſque; Silici vulgari, è quo ignis excutitur, ſimilis ſubſtantia: & ex ipſo quoque ignis ſimiliter ducitur. Cultrorum & ferramentorum, quæ in eo ducuntur, aciem dirigit, non etiam acuit. De hoc nimirum genere, ſentit Cardanus ſcribens:* Obſcure nitet lapis fulmineus, quem lima non tangit. *Nam meus quoque non ſentit, propter ſummam duriſſimamque lævitatem, ne in angulis quidem.* Ceraunię lapides ſunt, (inquit Chriſtoph. Encelius lib. 3. cap. 25.) quos Germani vocant Donnerſtein: cadunt de nubibus cum Tonitruo. Reperiuntur in Grania, item in Hiſpania, candenti colore, ut ignis fere. (Hæc forte de Ceraunia gemma veterum potius aliquis dixerit.) Inveniuntur etiam hinc inde in Germania, præcipue ad flumina, ut

ad

ad Albim: ubi Ceraunias gemmas (ego lapides ſimplicius hos dixerim) Cryſtallo ſimiles, infectos colore Cæruleo inveni diverſæ formæ: nonnunquam ſicuti clavas: nonnunquam tanquam pyramidem, ut repræſentarent caput Saccharinum (ſeu è Saccharo metam.) Integras tamen nunquam invenire potui, forſitan propter vim fulminis, qua excutiuntur nubibus, & reſultationem in terram. Harum vim eſſe prędicant (hęc è Marbodæo) provocare dulces ſomnos, & valere contra fulmina: item facere ad prœlia & cauſas vincendas. Hæc Encelius. qui certè Ceraunium gemmam, quam Aſteriæ nomine deſcripſimus, cum lapide è nubibus cadente confundit, ſicut & Marbodæus. Solinus in fine cap. 23. quod eſt de Germania. Ceraunium, inquit, genera diverſa ſunt. Germanica candida eſt: ſplendet tamen cæruleo; &, ſi ſub divo habeas, fulgorem rapit ſiderum. Similiter autem & Albertus & Marbodæus, Germanica legerunt; cum ex Plinio lib. 6. cap. 23. Carmanica ſit legendum, deque gemma intelligendum, non lapide. Vidi ego & alium apud eundem Nobilem virum, meo (quem is donavit) cuius Iconem exhibui ſimilem, figura eadem Cunei: Sed multo maiorem, nigrum & pertuſum foramine rotundo: quod quidem nulla arte, ſed impetu motus factum conjiciebat. Sic & diſcus lapideus perforabatur, ut ad projiciendum (ligno forte inſerto) idoneus fieret. Et hoc ipſo diſtinguitur à Solo Græcis dicto, ut in differentiis vocum annotavit Ammonius his verbis: Δισκὸς μὲν ἐστι λίθος πετρημένος, σόλος ἢ τὸ χαλκοῦν ὁλοσφύρελον, &c. Ex his ergo Cerauniorum lapidum differentiis, alios Cuneiformes, alios Diſcoides, δισκοειδεῖς; alios vero claviformes, non à clavi ſed à clavæ ſimilitudine: qualem & Encelius ſe vidiſſe ſcribit: noſque pictum talem à Kentmanno

ac-

accepimus, Iconem tamen omiſimus: alias vero ab eodem miſſas ſpecies eorum quatuor ſubjiciemus, literis diſtinctas A. B. C. D. A eſt lapis Torgæ 1561. deiectus. B prope Arcem Iuliam effoſſus. Uterque eſt nigri coloris, partibus quibuſdam in Cæruleum vergentibus. C aliâ figurâ. D in pago Siplitz effoſſus. Hoc etiam accepi, colore viridi interdum reperiri genus illud cuneiforme primo loco exhibitum. Veri autem Cerauniæ experimentum eſſe, ſi lapis totus tenui filo ita obvolvatur, ut filum nuſquam duplicetur, & lapidis nihil appareat, ſic prunæ impoſito lapide, ſi genuinus ſit, filum madeſcere, non uri, aiunt. Et poſt pauca. Poſtremo Gallos audio, lignum in lapidis naturam converſum, (ſi modo lignum unquam fuit, Petrus enim Bellonius putat nunquam lignum fuiſſe, ſed tale ſtatim à natura factum) vulgo lapidem fulminis, *pierre de fondre*, nominare. Inveniuntur autem in quibuſdam Galliæ locis magna eius fruſta in agris, quæ ædificiis etiam adhibeantur. Hactenus è Geſnero.

Cap. XXV.

De Chelonitide, Brontia, Ombria.


Hos lapides deſcribit Boetius cap. 264. Geſnerus de figuris lapidum fol. 59. Habent, inquit, etiam lineas eminentes & ſtrias lapides in agris nati: ex quibus eum qui cum tonitruis, ut nunc quoque credit vulgus, cadit, Brontiam vocant Græci, capitibus teſtudinum ſimilem: qui cum imbribus, Ombriam. Noſtri ſunt modo ſublutei, modo ſubvirides, modo ſubrubri, modo ſubfuſci: nunc vero variant colore. politi tanquam ſpecula, imagines reddunt. Figura ipſis fere dimidiati globi, raro oblonga. Interdum ovi magnitudine ſunt, ſæpius minores.

res. Aliquibus bini ſunt circuli, quaſi quidam moduli, (modioli Plinio ſunt mediæ partes cavæ & rotundæ rotarum, à quibus radii in circumferentiam extenduntur) à quorum ſuperiori, quinæ lineæ eminentes æqualibus inter ſe ſpaciis diviſæ, procedunt ad inferiorem: quarum ſingulæ utrinque ſtriam habent. Totidem rurſus lineæ eminentes à ſuperiori circulo per media ſpacia deſcendunt ad ſtrias proximas. Inter eas autem ſemper ſunt humilia ſpacia quadrata. Aliqui vero tantummodo habent has poſtremas quinas lineas deſcendentes cum multis tranſverſis, & ſpaciis non admodum longis. Reliqua autem media ſpacia tota eminent, carentque & lineis & ſtriis. Nonnulli eodem modo ſe habent, niſi quod linearum loco habeant ſtrias & quod ſpacia tranſverſa emineant. Hæc Georg. Agricola lib. v. de Foſſilib. Idem Brontiam ſimul & Ombriam Germanicè interpretatur groſz Krottenſtein, id eſt, Batrachiten (vel Bufonis lapidem) vel Chelonitidem maiorem: & Donnerſtein, id eſt, Tonitrui lapidem; & Wetterſtein, id eſt, tempeſtatis lapidem. Eiſdem vero tribus nominibus Cerauniam quoque interpretatur, niſi quod à lævitate differentiam addit, groſz glat Krottenſtein, &c. cum Ombriæ Brontiæque non læves ſint, ſed partibus quibuſdam inæquales, aliis eminentibus, aliis humilioribus. Chelonitidem vero, ein kleinen Krottenſtein, hoc eſt, Batrachiten minorem. *Brontia gemma capitibus teſtudinum ſimilis eſt, & cum tonitruis cadens, ut putant: & fulmine tacta reſtinguit ſi credimus*; [a] Plinius. Unde Brontiam quoque alio nomine Chelonitin vocari poſſe apparet. Ego teſtudinei capitis ſimilitudinem in nullo adhuc lapide animadverti: Batrachitæ vero dicti minores noſtri, cum

a *Lib.* 37. *c.* 10.

cum rotundi fere & cavi ſint, globi dimidiati inſtar, ſpecie ſua convexa Chelonium, hoc eſt, operimentum ſeu teſtam teſtudinis potius quam caput eius referunt. At ſi teſtudinis nomine ſtructuram cameratam accipias, & in ea caput appelles medium ſummumque veluti modiolum, quem Ariſtoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum umbilicum appellat, pulchre ſane videtur quadrare ſimilitudo: etſi lineæ quinque in Ombria à medio procedant: in ſtructuræ quaternæ &c. Differentias inter Ombriam & Brontiam; itemque inter Brontiam, & Ovum Anguinum explicat Boetius. Ubi & apponit Ombriorum ſpecies à Ioan. Kentmano ad Geſnerum miſſas. Geſnerus autem addit: Luteus hic lapis (inquit Kentmanus) ex Ombriorum genere eſt unus, niſi quod compreſſior eſt forma, ut notulæ in eo minus conſpicuæ ſint, quam in altioribus & maioribus. Hæc Geſnerus. Attigi nonnihil de hiſce lapidibus ſupra cap. IV.

Hîc




L Hic



Hîc autem altioris & maioris Iconem adiicere viſum eſt, ea mole & figura quam habet. Inveni autem ſimilem in Anglia ad Oſtium Thamiſis, aliquandiu fluctibus iactatum ita, ut lineæ & ſtriæ minus appareant, ſed forma plane ſimilis eſt, qualem & expreſſit Geſnerus de figuris lapid. fol. 166. Porro ſi accurate conſideres alterum lapidem, quem duplici facie hîc expreſſimus, manifeſta apparent in con-





convexa eius parte veſtigia diviſionum , quales in teſta Teſtudinis cernuntur: verum exterior tunica huius lapidis, ut ita vocem, ſubſtantia multum diſtat ab interiori corpore, nam cum illud duriſſimum & ſilicium ſit, illa paulo eſt mollior. Hoc quoque in illis lapidibus obſervavi, (habeo enim plures & unum triplo maiorem priore, quem & exprimen-

dum curavi, & quidem duplici facie , ut inferioris partis conformatio videri poſſet) plana ſeu inferiori parte habere illos rotundam protuberantiam, ita ut ſi lapidem in latus inclines, non male referat caput Teſtudinis cum parte colli. Quare pene adducor ad credendum hunc lapidem recte Cheloniten poſſe appellari.

Cap. XXV.

De Marmore, Lychnite & Phengite: Aliis.

DE Marmore agit Boetius cap. 266. & aliquot ſequentibus. Agricola autem ante illum diligentiſſime lib. VII. de Nat. Foſſil. Tantum ea adiungam quæ lucem aliquam videntur poſſe adferre. De generatione marmoris nihil dicam, (ſicuti & de cæterorum ſilui, quia tractatio illa longiorem diſquiſitionem requirit) quanquam mihi haud dubium ſit, lapides è ſicciſſima, & duriſſima terra conſtare, & viſco quodam naturali coniungi aut aqua lapidificante, quam quidam ſalſam vocant; (quanquam non abnuerim quoſdam etiam ex ipſa illa aqua coagulari ut multæ cavernæ faciunt fidem;) eorumque rudimentum eſſe in arenis, & quo partes tenuiores magiſque unitæ ſunt, eo perfectiores, politiores & lucidiores lapides gigni atque adeo gemmas: nam experientia docet etiam in Silicibus illam coagmentationem reperiri & eandem in illis obſervari colorum varietatem, & mixturam : Silices autem omniũ minime polituram exactam admittunt, vidi enim Silices in quibus quidem varii colores elegantiſſimè mixti erant, haud ſecus quam in Iaſpide, quique duriſſimi erant, à peritiſſimo artifice politos, in quibus tamen deſiderabatur neque ulla arte obtineri potuerat lævitas illa & nitor, qui in Achate & Iaſpide

de atque adeo marmoribus pleriſque politis cernitur. Ita ut hæc ſpecifica ſit differentia inter Silices & Marmora, quod hæc exactam polituram admittant, licet alia magis alia minus, & niteant, illi vero minime. Atque hoc obiter obſervato, de ſpeciebus marmoris quædam ſunt obſervanda.

Boetius agens cap. 281. de Porphyrite, citat locum Plinii lib. 36. cap. 7. ex eo candidis intervenientibus punctis, *Leucoſtictos* vocatur. Ubi Cl. Salmaſius corrigendum putat *Leptopſephos*. In MS[to] eſt *Leptoſephos*. Paulus Silentiarius vocat λεπτοὺς ἀστέρας candida illa puncta quæ in rubro lucebant, quas alii λεπτὰς ψήφους. Sidonius vocat *Furfures* Porphyritæ lapidis maculas Epiſt. 1. lib. 11. *Neque per Scopulos Aethiopicos & abrupta, purpuræ genuino fucata conchylio ſparſum mihi ſaxa furfurem mentiuntur*. Sic enim legendus & diſtinguendus ille locus.

Boetius cap. 267. agens de marmore Pario, ſimul agit de Lychnite; quod omnino diſtinguendum eſt à gemma Lychnite, ut bene obſervatum eſt à Geſnero: Is autem de hoc marmore tractans de figur. lapid. fol. 52, poſtquam mentionem feciſſet marmoris pellucidi albi ex Hiſpania allati Sangallum, ſubjicit: His ſcriptis literas ab Amico accepi, cui profecturo Sangallum, ut hunc lapidem inſpectum mihi deſcriberet mandaveram. Vulgo, inquit, lapidem Alabaſtrum vocant: tabulæ binæ ex eo factæ, ſive cruſtæ, ſingulæ circiter pedes duos longæ ſunt, ſeſquipedem latæ: quæ magnitudo ſpecularibus (feneſtris vulgo dictis) mediocribus fere convenit: in quē uſum marginibus ligneis includuntur; & lucis ſplendorem mediocrem tranſmittunt iis qui intus ſunt, ita tamen ut neminem foris agnoſcere poſſint: foris autem Aſtantium aut prætereuntium viſus omnino non penetrat. Quare ad cubiculorum ſpecularia,

quæ ad internas ædium partes ſpectant, aliquibus in uſu ſunt. In Hiſpania ferunt templorum aliquot ſpecularia ex hoc lapide facta eſſe vitri loco, & picturis quibuſdam ornata. Lapis albicat, albo marmori ad ſubfuſcum colorem vergenti, aut ſilici albo fluviatili ſplendido perſimilis, non ſine quibuſdam maculis tamen. Quibus in partibus fractus eſt, aluminis inſtar ſplendet. Planula (ut recentiores vocant, noſtri *ein hobel*) attenuari & poliri poteſt. Ungue digiti pulſatus vitri aut æris inſtar ſonat. Tabula nondum expolita pollicis; polita vero digiti craſſitudine erat. Fiunt & pocula aliaque vaſcula ex eodem lapide in Hiſpania; quæ in alias regiones exportantur: & fracta etiam, ſi cruſtæ integræ ſint, ferruminari poſſunt. Hæc Amicus.


Nerone Principe (inquit [a] Plinius) in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus & tranſlucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellant à Servio rege ſacratam. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpecularium modo (Cl. Salmaſius legit ex antiq. alio quam ſpecularium modo) tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.

De Alabaſtrite agit Boetius cap. 268. & ſeqq. Plinius lib. 36. cap. 8. *Hunc aliqui lapidem Alabaſtriten vocant.* (egerat autem capite præcedente de Onyche marmore, è quo ſcribit primum potoria vaſa facta, deinde pedes lectorum ſellaſque, poſtremo & columnas.) *quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur. Idem uſtus emplaſtris convenit. Naſcitur circa Thebas Aegyptias, & Damaſcum Syriæ. Hic cæteris candidior. Probatiſſimus vero in Carma-* nia,

a *Lib.* 36. *c.* 22.

nia, mox in India: iam quidem & in Syria, Aſiaque. viliſſimus autem, & ſine ullo nitore in Cappadocia. Probantur qui maxime mellei coloris, in vertice (Cl. Salmaſius *in vortices*) *maculoſi atque non tranſlucidi. Vitia in iis corneus color aut candidus, & quicquid ſimile vitro eſt.* Vide quæ Cl. Salmaſius annotavit ad Solinum pag. 558. & ſeq.

Plura alia marmora diligenter deſcribit Boetius, ad quæ nihil iam addo, præterquam è Franciſco Imperato cap. de marmorum generibus ab Antiquis cognitis, ſub finem: Inſigne, inquit, marmorum genus ſilentio prætermittere nolui, à nemine (ni fallor) deſcriptum, quod ex inſula quadam devehitur in Liguſtico mari ſita, communiter Mons Chriſti nuncupata, cuius color eſt albus ad viridem vergens, ſed totum eſt lineis nigris æquidiſtantibus delineatum: durum equidem genus, raro viſitur, ex eo tantum parva fragmenta ſervamus. Dat deinde hanc Iconem.



De Obſidiano & aliquid notandum. Boetius lib. 2. cap. 91. dubitat an ad Onychis genera ſit referendus. Dein cap. 163. dicit Agricolam putare eſſe Gagaten. Denique cap. 272. *Obſidianus lapis nigerrimi coloris ab Obſidio primum inventus in Aethiopia*

marmoris genus eſt. Recte marmor facit ſed ab Obſidio inventum perperam. Cl. Salmſius in Solinum pag. 204. Obſidianus lapis in Aethiopia inventus, quem Græci ὀψιανὸν vocabant, quod nigerrimi eſſet ſplendoris, & imagines redderet, ut ὄψις, & oculi pupilla. Heſych. κόρη. ὄψις.

Cap. XXVI.

De marmore Ophite & lapide fungifero.

OPhites, (inquit Encelius lib. 3. cap. 40.) eſt ſpecies marmoris, cuius Dioſcorides tres facit ſpecies. Prima eſt pōderoſa & nigra. Secūda cinerei coloris, habens lineas cinereas, diſtincta punctis, quæ reperitur apud nos non procul à monte Ioachimico, ſeu valle, ut dicunt. Tertia lineis quibuſdam candidis intercincta eſt. Dicitur autem Ophites quia colorem habet ſerpentinum. Non eſt vero Echites, *ein Natterſtein*, qui vipereas habet maculas; licet is quoque, Ophitis ſpecies eſſe poſſit: neque eſt Dracontias peregrinus, neque noſter, *der Drachenſtein, oder vnſer Schlangenſtein*, qui fit è cerebro Draconū aut Serpentum vel ex ſpuma ut docuimus coagulata. In ſumma Ophites dicitur tantum propter colorem, quia colore Serpentes repræſentat. Et illa ſpecies lineis cinereis, & nigricantibus omnino eſt, tanquam ſunt noſtri Chelydri in colore. Ad oſtium Tangræ, ubi fuit olim regia ſedes Caroli IV, in arce templum eſt variis ornatum gemmis, in quo undique parietes Ophite tali ſplendent, & huius ſpecies eſt Echites, qui vipereas notas habet. Eſt alia etiam ſpecies Ophitis magis accedens ad formam ſerpentis, quia ſquamas habet ut ſerpens, & eſt cruſtaceus lapis. Reperitur in Saxonia multis locis circa Hildeſheimum. Sordet omnino tanquam cornu. Illa ſpecies ali-

aliquando mihi à Cordo eſt demonſtrata. Eſt & tertia Ophitis ſpecies à me inventa ad littora Albis prope oſtium Tangræ: eratque lapis tenuis, oblongus, in forma omnino tanquam ſerpens, ut ſi ſerpens induruiſſet in lapidem, intus coloris nigri in cæruleo nitentis, foras albicantis.

Plinius lib. 36. cap. 7. de marmoribus agens: *Pretioſiſſimi*, inquit, *generis Lacedæmoniũ, viride, cunctiſque hilarius. Sic & Auguſtum, ac deinde Tiberium, in Aegypto Auguſti ac Tiberii primum principatu reperta. Differentiaque eorum ab Ophite, cum ſit illud ſerpentium maculis ſimile, unde & nomen accepit, quod hæc maculas diverſo modo colligunt, Auguſtum undatim criſpum in vortices, Tiberium ſparſum convoluta canitie.*

Geſnerus: Ophitem marmor legimus eſſe viride, maculis totum plerumque albis, tum vero alterius coloris diſtinctum. Bauhinus de fonte Bollenſi lib. 1. cap. 15. Venit in mentem Ophites lapis, mihi Rotemburgi ad Niccarum monſtratus, & laudatus à primario viro ad Colicum dolorem; lapis planus, ac nonnihil concavus, magnus: calefactum in aqua ferventi applicant abdomini; magno erat emtus lapis.

Accepi olim à Cl. Viro Carolo Cluſio fragmentum, cui ipſe inſcripſerat: *Fragmentum è poculo Eduardi* IV. *Angl. Regis ex Ophite lapide adverſus venena, donum H. Morgani anno* 1581. Eſt autem illud fragmentum coloris viridis obſcuri, & parum tranſparentis, maculis interſparſum Cryſtallinis læte virentibus, & ſatis conſpicuis, ſi luci obvertas. De lapide fungifero agit Boetius breviter cap. 298. De eo I. Scaliger Exercit. CXXXVII. Sect. 2. Privata lapidis natura inter admirabiles referenda: is apud Romanos magno in pretio eſt. Unum vidimus Neapoli; quo in regno tradunt inveniri. Cruſta craſſa eſt. Ea

terræ dodrante operta, aſperſaque tepida irroratione, quarto poſt die fungos edit.

Cap. XXVII.

De Geranite, Hieracite & Perdicite.



A *Gruis oculo*, inquit Boetius, *Geranites; ab Accipitris oculo Hieracites, nomen obtinuerunt*. Longe aliter Geſnerus, qui cap. XIII. de figuris lapidum: Pro capite, inquit, XIII. quo lapides ab avibus denominati, aut ex avibus ſumti enumerantur, non alios in præſentia pictos habemus, quam qui hic exhibentur, 1. Hieraciten & 2. Perdiciten: ab aliqua pennarum in hiſce avibus ſimilitudine dictos. Eos autem à Io. Kentmano accepi.

[a] Plinius Hieracitem deſcribens dicit: *Hieracites alternat tota, milvinis nigricans veluti plumis*. Quem locum ita corrigit Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 713. melius ſcripſeris è vetere; Hieracites alternata milvinis nigriſque veluti plumis. Quæ alternatim milvinis veluti plumis ac nigris diſtincta eſt. Aëtius: Ἱερακίτης λίθος, ὑπόχλωρος μέν ἐστι καὶ πρὸς τὸ μέλαν ἐπιῤῥερασμένος χροιαῖς ἱέρακος ὥστε ποικίλον εἶναι. Hoc eſt, ad verbum quod Plinius dixit: *alternatam eſſe milvinis ac nigris veluti plumis*. Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. Invenitur in tractu Hildeshemio, quâ itur verſus occaſum à iam dicta mœniorum foſſa, in colle ultra flumen, & citra: eſtque ſimilis ſpecie & colore accipitrum mollioribus pennis quæ ipſis ſunt in pectore.

Alter

a *Lib.* 37. *c.* 10.

Alter ibidem reperitur lapis qui exprimit ſtriis & colore perdicum pennas, quas itidem habent in pectore.

Sed non eſt hic prætereundum, quod ſcribit Pontus Tyardeus Biſſianus Cabilonenſis Epiſcopus in Libro de recta nominum impoſitione, edito Lugduni anno 1603. pag. 80. Sed aliud quiddam, ait, non tacendum quod de Perdicite experientia, cognitionis ſingularium rerum magiſtra, me docuit. Ea habe. Quum in Salano meo caſtro ſub finem æſtatis anni 1591, una cum Philippo Roberto doctiſſimo Iuris-conſulto, literarum omnium Latinarum & Græcarum eruditiſſimo, ſeceſſiſſem: & ibidem ille ſuo Demoſtheni vel Iſæo diei meliorem partem daret: ego vero in Philonem omnia mea ſtudia conferrem: die quadam cum iam adveſperaſceret, Calmontius Calligraphus à manu meus, geſtiens ad nos: habeo, inquit, me intuens, habeo, mi here quod addere poſſis ſi lubet libello tuo de Recta nominum impoſitione, quem mihi exſcribendum dediſti: Ecce Perdiciten, quam ego è ſinu gutturis unius pulli perdicis, qui inter reliquias cœnæ tuæ nobis appoſitus eſt his ipſis meis digitis extraxi. Ego vero id Cryſtallinum tanquam fruſtulum conſpiciens, eleganti pelluciditate, ab aqueo ſplendido nitore in dilutiſſimum ruborem emicante, ſed ea figura & magnitudine, ut vix crederes hunc à pullo parviſſimo, qualis erat hic περδικιδεύς, devoratum fuiſſe, at innatum putares: quare miratus & emiratus dubiuſque, Ohe, inquam, Calmonti, quibus facetiis nobiſcum ludis? Ille ſubpudens, honorem præfatus, bona, inquit, tua venia dixerim: Næ hac mea aſſertione ipſa certe verior non eſt veritas: ni ita ſit, mi here, poſthac neque divini, neque humani mihi quicquam accredas: ſinum diſcidi gutturis pulli, lapillum hunc offendi,

ſendi, evulſi ab ipſa ingluvie, quam eſitavi: Tuum iſtum piæ ſtipis erogatorem, huncque cubicularium, cæteros etiam alteros ex domeſticis quoſdam oculatos teſtes, te coram produco, ſi lubet. Acquievi ſubridens: & cedo igitur lapillum, inquam, fidem impetraſti. Tunc ad Robertum converſus: mentem meam ſubiit iſtud Aeliani, inquam, Συροπέρδιξ γίνεται περὶ τὴν Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας, καὶ σιτεῖται καὶ λίθους. Syroperdix circa Antiochiam Piſidiæ naſcitur, qui etiam lapides vorat. Sed longo ab Antiochia diſtamus intervallo. Poſtquam hunc ſuper, inter doctiſſimum Robertum & me, aliquantulum diſſertum eſſet, eum in dactylitheca incluſi, quem diligenter apud me ſervatum habeo. Verum dum hæc aliquandiu poſt ſcriberem, color ille rubeſcens, mihi penitus, perſpicuitate tamen Cryſtallina remanente, obliteratus & elutus eſſe viſus eſt.

Porro ut Geranites, & Hieracites, & Perdicites à plumis avium denominantur: ita & Aetites (non ille de quo ſuo loco egimus, ne quis erret) de quo Plinius lib. 37. cap. 11. Aetites à colore aquilæ candicante cauda. Quæ de gemma aliqua ſunt intelligenda, non Aëtite lapide, qui nomen gemmæ neutiquam meretur.

Cap. XXVIII.

De variis lapidibus qui nomen à ſimilitudine rerum quas referunt aut è rebus ipſis in lapides mutatis habent.

De his compendio agit Boetius cap. 299. ad quod caput tantum obiter quædam notabimus, nam multa ſuis locis tractata ſunt.

Ciſſites, inquit Plinius, *in candido collucet hederæ foliis, quæ totam tenent; Narciſſites venis etiam Ederæ diſtinguitur.*

guitur. Reliquit autem dubitandi locum, inquit Geſnerus, ne Narciſſitem cum Ciſſite forte confuderit, ederæ à qua Ciſſites denominatur, ſimilem utramque faciens, nulla Narciſſi in Narciſſite facta mentione. Et paulo poſt cap. VIII. Videntur autem duo lapides diverſi: & alius forte ab iis Ciſſites fuerit, quem eiuſdem libri cap. x. circa Copton naſci tradit candidam, & videri intus habere partum, qui ſentiatur etiam ſtrepitu. Ex quibus verbis ad Aëtitas hunc referendum eſſe apparet, & forte non à Ciſſo, id eſt hedera, ſed aliunde derivari. Κισσᾶν quidem verbum pro concipere in ſacris carminibus à ſeptuaginta tranſlatis legitur; ἐν ἁμαρτίαις ἐκίσσησέ με ἡ μήτηρ μου. Κυεῖν vero in eadem ſignificatione poëticum videtur. Verum hic Copticus lapis à Plinio non vocatur Ciſſites, ſed manifeſte Ciſſiten ab Hederæ foliis deducit; differentiam autem inter Ciſſitem & Narciſſitem conſtituit, quod in illo ederæ folia, in hoc etiam venæ foliorum appareant, & quidem utraque in candido. Narciſſites autem corruptum nomen videtur, nihil enim Narciſſo commune cum hedera. Cl. Salmaſius iudicat legendum *Inociſſites*. Nam ἶνες ſunt venæ foliorum unde ἐξινίζεσθαι dicuntur cum eximuntur illæ venæ. Porro pro Ciſſite illo altero, qui intus partum habere videtur ſcribendum iudicat Cyites ἀπὸ τοῦ κύειν, quod & series literarum indicat & vetus lectio ſuadet.

Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. iudicat Ciſſiten & Gaſidanen & Pæantides & Gemonides omnes eſſe Aëtitas: & omnino hos lapides quos Theophraſtus & Mutianus parere crediderunt.

Rhodites, inquit Boetius, *à roſæ figura*. Sed Geſnerus; Rhodites à roſæ ſimilitudine (in colore nimirum; nam & melites mali coloris, ſequitur) dictus memoratur Plinio. Cuius locus lib. 37. cap. 11. ita

ſe

ſe habet: *Rhodites à roſa eſt: melites mali coloris, Chalcites æris, Sycites fici.* Legendum credo; Rhodites autem roſæ, melites mali coloris,&c. Nam in hiſce omnibus non figuræ, ſed coloris ſimilitudo ſpectatur, & haud dubio aut Achatis aut Iaſpidis ſpecies fuerunt.

Stelechites, inquit Boetius, *à ſtipitis vel trunci forma.* Geſnerus; Stelechites ſtipitis ſpeciem oſtendit, cuius rami ſunt mutilati; colore cinereus reperitur in Chattis ad Spangebergum arcem. Agricola. Dat autem illius Iconem cap. XII. de Oſteocollis, quam Boetius expreſſit ad cap. 234. figura quæ A notatur. Et à Geſnero, Num. I. ad quam notat. Ex his primus in Palatinatu locis arenoſis copioſe naſcitur è ſabulo, oſſium ſpecie στελεχοειδῶς, hoc eſt, truncorum quadam forma, cum rudimentis ramorum, unde & στελεχῖται dici poſſunt: vel ὀστεῖται à ſimilitudine oſſium: vel ammoſtei, compoſita ab arena & oſſe dictione: vel oſteocolli à facultate qua oſſa fracta intra corpus ſumti, & foris emplaſtris additi, mirificè ferruminant; & ab eadem holoſtei: unde & Germanice Beinwell & Walſtein appellant. Vide cætera, ſi lubet.

Elatites. Geſnerus de figur. lap. fol. 126. verſo. Abies Græcis ἐλάτη eſt, unde Elatitæ lapidi nomen. Hæmatiten quarti generis Elatiten vocari Sotacus tradit apud a Plinium: forte autem Abietis lignum aliquo modo refert pectinum aſpectu, aliterve. Alni lignum in lapidem converſum *Clethrites* à quibuſdam hodie vocatur. Nam Clethram Græci Alnum dicunt; Tale ad me miſit Georg. Fabricius cum innato Pyrite. Hæc ille: Verum ſpecies illa Hæmatitæ, non dicitur Elatites ab Abiete; ſed à Phœnicio colore: ἐλάτη enim Græcis proprie dicitur integumen-

a *Lib. 36. c. 20.*

mentum fructus palmarum, quam primum florere incipiunt; σπάθην etiam vocarunt. Vide plura apud Cl. Salmaſium in Solinum pag. 409.


Amygdaloides, inquit idem Geſnerus, dici poteſt lapis Amygdali oſſi perſimilis; qualem Verona miſſum accepi. Invenitur etiam eidem fructui ſimilis Saccharo incruſtato. Huiuſmodi aliquot habeo, qui Amygdalam Saccharo incruſtatam tam probe referunt, ut ſimpliciores facile ſit iis fallere: Continent autem intus Siliculum Amygdaliformem, cruſta autem gypſea eſt.

Geſnerus fol. 143 verſo. *Polia* (πολιὰ, ſubaudi λίθος) canitiem quandam ſparti indicat; eandem duriorem, nigra ſpartopolios. Plin. lib. 37. cap. 11. Mihi in verbis illis, *eandem duriorem*, locus eſt ſuſpectus. Agricola tum poliam, tum ſpartopolion pro eodem lapide accipit, & Amiantum interpretatur: de Nat. Foſſil lib. VI. iiſdem, inquit, de cauſis Aſbeſtos, Boſtrychites, Corſoides, Polia, Spartopolios, quibus nominibus Amiantus vocatur, eximentur de numero gemmarum. In quo tamen fallitur. Merito autem Geſnero ſuſpectus fuit locus, quem Cl. Salmaſius in Solin. pag. 766. ita corrigit. Libri ſcripti culpam hanc, inquit, à Plinio in correctores eius tranſmovent, dum legunt; *Polia canitiem quamdam Sardi inducit, eandem duriorem, nigra Spartopolios.* Parvæ mutationes magna plerumq; momenta conficiunt. Totus ille locus ſic venit legendus: *Polia canitiem quandam Sardio inducit, eandem rariorem nigro Spartopolios.* Polia gemma eſt quæ radicem vel fundum habet colore Sardii vel Sardæ gemmæ, id eſt, rubrum, cui inducta eſt canicies quædam: unde & Polia dicta; nam πολιὰ eſt canities. Eandem porro caniciem, ſed rariorem, non rubro ſed nigro inductam & impoſitam habet, ideoque σπαρτοπόλιος appella-

pellatur, id eſt, canis ſparſa. Græci σπαρτοπολίους appellant homines qui non penitus ſunt cano capite, ſed quibus intermixti cum nigris cani, qui caput aſperſum canis habent. Fuerint ergo hæ gemmæ potius è genere Achatum aut Iaſpidum, quam Amianti.

Geſnerus de fig. lapid. cap. ult. dat Iconē lapidis, quem Scolopendriten dici poſſe putat, quia per eum diſcurrunt lineæ undarum pene ductu, plenæ utrimque breviſſimis ceu petiolis tranſverſis, ſicut inter vermes Scolopēdrę. Quam Iconem hic addendam duximus; cum aliis duabus quas è noſtris delineari curavimus.







Mei autem Scolopendritæ diverſi ſunt coloris, alter enim eſt colore albo, alter fuſco: in utroque autem ductus illi Scolopendriformes ſunt manifeſti. Inſcitè autem reprehenditur Geſnerus à Franciſco Imperato, quaſi lapidem ibidem depictum, quem ovum anguinum opinatur nominaverit Scolopendritem; quum deſcriptiones ſequantur & tantum Icones tranſpoſitæ ſint.

Agricola lib. v. de Nat. Foſſil. Lepidotes ſquamas piſcium imitatur variis coloribus. Dicam hoc

loco

loco de quibuſdam lapidibus qui in eodem Hildesheimio reperiuntur tractu. Itaque inter antrum quod ex nanis nomen reperit & Charadram, lapis invenitur fuſci coloris, planus, ammoniaci ſalis inſtar ſciſſus, tubercula ſuperius habens clavorum capitibus ſimilia: & ad Haſdam pagum alter huic non diſſimilis, niſi quod candidus ſit & careat tuberculis. Ibidem reperitur & Rhombites magnitudine caſtaneæ vel nucis iuglandis, candidus, undique plenus ſquamis parvis eminentibus utrimque obliquis: unde Rhombi ſpeciem gerunt, quæ lapidi nomen dedit.

Quin alterius generis Rhombites reperitur in Galgebergo: Is longus eſſe ſolet digitos ſex, latus duos, craſſus unum: ipſi figura eſt Cylindri compreſſi, ſed ſtriæ tam inferioris quam ſuperioris partis, ita ſe interſecant, ut plures in earum medio fiant eminentiæ: quibus omnibus item Rhombi eſt figura.

CAP. XXIX.

De Teſtis ſeu Conchis lapideis quæ variis in locis reperiuntur.

QUemadmodum ſpiritus Metallicus à Deo terræ naturâ inditus, in venis auri argentique mirabili artificio efformat arbuſculas, & herbas, ex puro auro atque argento; ita in lapicidinis etiam varias effigies teſtaceorum animantium è materia plane lapidea, & quaſi metallica, quod & ſupra vidimus in lapidibus Serpentinis & cornu Ammonis. Quare meo iudicio fruſtra ſunt qui opinantur has conchas aliquando teſtaceas fuiſſe & viva animantia continuiſſe & ſucceſſu temporis in lapides eſſe converſas. nam præterquam quod nulla ratio ſit cur hoc magis cre-

damus de his, quam de illis, reperiuntur ut plurimum in gremio terræ, & quidem ſatis profundè, atque adeo aliis lapidibus incluſæ. Sed non eſt nobis propoſitum hanc controverſiam plenius diſcutere aut definire. Tantum aliorum ſententias annotabimus, & tum demum Icones dabimus aliquot eiuſmodi concharum quas habemus.

Georg. Agricola lib. IV. de ortu & cauſis ſubterraneorum. Cochleas vero in ſaxis repertas calor concluſus ex materia pingui & lenta efficere videtur; & ex eadem gignere muſculos, murices, conchylia. Sed terra quanto eſt craſſior quam mare, tanto magis ea imperfecta gignuntur. Item lib. V. de Nat. Foſſil. Redeo, inquit, ad eos quos multos in uno loco vel in pluribus eadem natura gignit: quales ſunt qui naſcuntur in terra glutinoſa, quæ eſt in venis, venulis, & commiſſuris ſaxorum, teſtis aquatilium ſimiles. Sed quanto craſſior eſt terra quam aqua, tanto imperfectiores gignit formas, & quæ animantibus careant. Quod genus lapides reperiuntur in Germania, in Hildesheimio Saxoniæ tractu, & in ſaxum incluſi in multis regionibus. Itaque *Strombites* aſſimilis eſt cochleæ aquatili: ex amplo enim in tenue turbinis inſtar deficit, in ſpiram à dextra tortus. Is interdum eſt brevis, interdum longus dodrantem: intus candidus; extrinſecus terræ, in qua naſcitur, colorem aſſumit. Reperitur autem in Saxonia ad Hildesheimum in Galgebergi lapicidinis, & in nova urbis parte cum fodiuntur cellæ, in quibus vinum cereviſiave recondi ſolet. In eadem Saxonia Alfeldæ inter ſpeculam & oppidum, petenti Embecam: Hanoveræ in lapicidina Saxi calcis: in Miſena in vico Rabſchytio ad Trebitiam torrentem. *Ctenites* vero ſtriatus eſt, omninoque pectinis effigiem repræſentat: color ipſi plerumq; cinereus.

Hil-

Hildesheimi reperitur in lapicidinis illius tractus, qui eſt ultra montem Mauritii, & in Pruſſiæ loco, qui Roſarum hortus vocatur. *Myites* quia ſtriatus non eſt muſculi ſpeciem præ ſe fert. Is duplex, oblongus,& pectinis modo rotundus. Hic colore cinereus reperitur in Chattis ad Spangebergum arcem: ubi & Trochitæ; & in Saxonibus ad Hildesheimum in lapicidinis iam dictis: ille modo ſubfuſcus, modo ſubflavus effoditur ex foſſa mœnium urbis, qua ad ſeptentriones ſpectat. *Onychites* unguibus odoratis, quos Græci nominant Onychas, fere ſimilis tam colore quam figura, naſcitur in iiſdem Hildesheimi lapicidinis.

Oſtracis lapis ex Oſtreis, quibus ſimilis eſt, nomen invenit: duplex eſt, maior qui lapidis ſpecularis modo fiſſilis effoditur etiam ex foſſa Hildesheimiæ urbis, qua, ut dixi, ad ſeptentiones ſpectat; minor non longe ab Hanovera, prope Lindam pagum, reperitur in terra pingui & ſubviridi, quæ eſt in loco abrupto. *Porphyroides* purpuræ inſtar aculeis clavatus, & colore cinereus reperitur in eadẽm foſſa Hildesheimiæ urbis, ſed ut purpura turbinatus non eſt. Ibidem alius invenitur huic non multum diſſimilis, verumtamen caret aculeis; ſtrias vero habet tranſverſas. Ex eadem foſſa eruitur *Conchites* qui incurvis liris ad ſcapulas redeuntibus & aurei coloris armatura decoratur. Longus eſſe ſolet palmos duos, latus palmum.

Sed *Conchites* in Pruſſiæ loco, qui Roſarum hortus nuncupatur, repertus, ex lapide intus armatura obducto eruitur. quinetiam conchæ marinæ, ut Pauſanias ſcribit, in toto corpore lapidis Megarici ſparſæ ſunt, atque ob id Conchites dictus. Armatura autem quoniam Philogynos etiam obductus eſſet, Chryſites eſt appellatus: Is vero Oſtreæ Atticæ aſſimula-

ſmulatus invenitur, ut Plinius ſcribit, in Aegypto. In Italia quoque Veronæ ex monte urbi vicino effoſſæ ſunt Conchæ, Cochleæ, Echini, Paguri, Oſtrea, Stellæ piſces, avium roſtra. In ripa inſuper fluminis Elſæ aquarum impetu abrupta Conchæ reperiuntur: & prope oppidum ex Florentinis conditoribus nominatum: & in Germania in Rabſchicio Miſenæ pago ad Trebitiam amnem. Hæc ille. Idem lib. VII. Quin Megaræ in Saxo valde albo, & reliquis lapidibus molliore, undique inſunt Conchæ Marinæ, quod iccirco lapidem Conchiten appellant, ex quo ut author eſt Pauſanias, fuit monumentum Phoronei & multa opera in urbe Megarenſium. Id genus Saxa etiam reperta ſunt in Theſſalia, in Hemionia, in Macedonia, in montibus Calabriæ: ſimiliter Saxa quæ effodiuntur ad Lutetias Pariſiorum, non raro Cochleas habere ſolent. Ibidem Saxum nuper diviſum Coronę Laureæ ſpeciem reddidit. At in Eula Bohemiæ pago prope Tetſcham oppidum in Saxo Calcis reperiuntur *Ctenitæ*. Item in Toringia ad Berchlingum Arcem in ea ſylvæ parte, quæ inter ſeptentriones & Orientem ſita eſt, ſolidum effoditur Saxum, quod diſruptum, ſex, ſeptẽ, pluresve *Ctenitas* in ſe continet aut *Myitas*.

Geſnerus in Commentario ſuo de figur. lapid. à fol. 164. aliquot Icones illorum lapidum nobis dedit. Cochlea quædam, inquit, (à Io. Kentmano ad me miſſa ſicut & aliæ plures) quam σιδηροειδῆ à ſuperficie ferro ſimili vel Hopliten cognominare licebit. Lapis eſt intus cultro cedens: foris cruſta tenui, ſplendida & ferri politi inſtar intectus, fuſci vel cinerei coloris. Ambitus externus totus pulchrè intortus eſt, ita ut margines placentarum rotula coquinaria vel placentaria diſſecti. Videtur quidem ſimilitudinem aliquam habere primo aſpectu cum

Cornu

Cornu Ammonis, ſimiliter fere ſtriata & revoluta ſuperficie; plurimum vero differt; nam huius exterior ambitus non tereti figura ſpectatur ut Cornu, ſed in anguſtū margine torto ſe colligit, & tum foris ferro ſimilior eſt, tum intus lapis durior: totaque figura latior, planior, compreſſior. Sed neque fœtet in ore mandentis, ut illud. Media pars, qua revolutio deſinit, cava eſt ab uno latere: ab altero protuberat, nec apparent revolutiones. Ad ferrum ignem emittit. Adfert deinde & Icones alias, Strombi lapidei, Conchæ ſtriatæ, à Rondeletio dictæ, genus; Pectinem lapideum; Cochleę genus ſciſſile, ſubruffo colore foris, intus albo: lapidem cum Cochleis lapideis, partim extantibus, partim in eo latentibus, ita ut totus ex iis compoſitus videatur: Ctenitæ ſpeciem: quæ Hildesheimi in lapicidinis reperitur: pectunculos, umbilicum: Strombos duorum generum: Echinum marinum; pagurum: quorum omniū Icones apud ipſum videre eſt: nam quia ſimiles daturus ſum, non putavi operæpretium eas huc accerſere.

Memorabilis eſt locus Io. Bauhini in Methodo nova de Aquis medicatis lib. 1. cap. 1. Agens enim de fonte Bollenſi & eius effoſſione, ita ſcribit: Ut autem hoc fieret commodius, fiſſæ & perfractæ fuerunt rupes, ubi plures & varii reperti lapides ſciſſiles, quorum magna pars domibus integendis in Boll pago inſerviunt: quoſdam etiam videas tenues, quadratos inſtar pugillarium, valde fragiles & inutiles fere. In fiſſilibus lapidibus variæ apparent figuræ, quarum aliæ ſerpentes, aliæ limaces, cochleas, chamas, mytulos exprimunt, omnia ſane eiuſmodi ut artifici ſculptoris pictoriſve manu delineatæ videantur. Reperiuntur etiam ſquamæ tenues cupri inſtar lucentes, quibus figuræ plures quaſi inſculptæ con-

ſpiciuntur, non aliter quam in lapide ſciſſili Manſfeldiano piſces. Impreſſa ſunt & pectinum veſtigia: Cochleæ lapideæ figura marinis egregiè reſpondentes acervatim obſervantur: Concharum etiam lapidearum aliæ tenues, aliæ læves, oblongæ aliæ.

Adſunt & Cochleæ pulchræ limacum inſtar compreſſæ, & quos Serpentes convolutos dicas, ex duro lapide cinereo, cum pyrite & ſine pyrite. Reperiuntur quoque veluti Cornua, quæ Ammonis vocant. Limaces item quidam cupri modo lucentes, pavri, &c Dat autem lib. IV varias Icones Chamæ lævis, rugatæ è lapide cinereo, pectinum & ſimilium.

Camdenus de Provincia Gloceſtrenſi. Sub hoc (loquitur de oppidulo *Barkley*) *Aven* fluviolus mare ſubintrat, ad cuius fontes vix VIII paſſ.mil. à littore in collibus prope *Alderley* viculum lapides Cochlearum & Oſtrearum ſpecie enaſcuntur, quæ ſive viva aliquando fuerint animantia, ſive naturæ ludicra, quærant Philoſophi naturæ venatores. Fracaſtorius vero Philoſophorum noſtra ætate Coryphæus, animantia fuiſſe minimè dubitat in mari enata & in montes undis delata. Montes enim à Mari fuiſſe egeſtos affirmat, arena primum in tumulos coniecta, mareque inundaſſe ubi nunc montes exſurgunt, eodemque recedente inſulas & montes fuiſſe detectos. Meminit & eorum lapidum in Eboracenſi provincia, iuxta Richemondiam.

Iul. Scaliger Excercitat. 196. Sect. 9. In Saxis Lanarum (tractus eſt hic Agri Vaſatenſis) ad pagum qui *Côhors* dicitur, ſaxeos Cancros multos vidimus; procul à mari plurimum, à Garumna triginta circiter millia paſſuum.

Bernardus Paliſſius (in lib. ſuo Gallico, quem inſcripſit *Le moyen de devenir riche* parte ſecunda) opinatur.

tur, in locis ubi eiuſmodi lapides reperiuntur aliquando aquas fuiſſe ſalſas, quæ animantia illa teſtacea generaverint, deinde abſumto humore ab affluxu aquæ petrificantis non modo illa ſed & terras vicinas in Saxa eſſe converſa.

Loca autem in Gallia ubi reperiuntur prodit, primò ſuburbium S. Martialis prope Lutetiam Pariſiorum: deinde montes Sylvæ Ardennæ & inprimis iuxta Sedanum. Tertio in Provincia Valeſiæ. Quarto in montibus prope oppidum Sueſſionenſe. Quinto in Provincia Sanctonum & Campania.

Torellus Sarayna de Antiquit. Veronæ; Civitatis illius montem deſcribens ea parte qua fons eſt, qui à ferro dicitur: *Aliud*, inquit, *etiamnum mihi ſubivit miraculum; quum in eodem monte foderetur, ſpectabantur Echini lapidei, Paguri, Conchæ, Cochleæ, Oſtreæ, Scillæque piſces, Avium roſtra & id genus alia paſſim multa.*

Meminerat porro Sarayna (inquit And. Chioccius ad Muſæum Calceolarium) ſe apud Theophraſtum & Plinium legiſſe oſſa & alia multa lapideſcere; Pontanum quoque ſcripſiſſe; *Vidi lapideſcere Sarni Cæruleo ſub fonte alnum, filiciſque maniplos:* non adeo mirandũ eſſe ſi illa diuturnitate temporis in lapidem concreverint: illud maiori dignum admiratione, quo pacto hæc ſi viva quandoq; fuere, in hos montes aut delata fuerint, aut enata. Cum ergo de his valde anceps eſſet Sarayna Clariſſ. Fracaſtorium à ſe lapideo paguro egregio & prægrandi donatum rogavit, quænam eſſet de hac re Philoſophorum opinio. Reſpondit, tres eſſe de hac quæſtione ſententias; unam eorum qui putarent hos effigiatos lapides iactatos fuiſſe in montes quo tempore aquarum colluvia montes ſuperavere: quam ſententiam ſibi non probari profeſſus eſt, tum quia aquæ, quæ montes exſuperarunt non fuerunt maria, ſed inundationes è

cœlo, tùm quod oporteret videri Conchas, & id genus alia, in verticibus montiū, aut ſi ſuper, excreviſſet terra, videri certo ſaltem tractu, qua tum vertices montium erant: quod certe non liquido conſtat; quando erutis montibus in quibus ſunt hęc non una ſaltem parte appareant, ſed etiam in mediis & in imis & ubique. Aliam ſententiam eſſe, dicentium, in montibus eſſe humorem quendam, & alicubi ſalſum & varium, à quo ſæpe vera animalia maritima fiunt, & quodam modo generantur, ut in Dactylis videre eſt, qui in mediis ſaxis naſcuntur, & inde excavantur. Interdum non vera animantia fieri, ſed quæ imitantur vera: nam quemadmodum & natura imitatur ſpecies terreſtrium in mari, ita in montibus nō veras Conchas fieri viventes, ſed conſimile quiddam, quod mox lapideſcit ob frigiditatē circum ambientis loci, cuius ſignum affirmant eſſe, quod Conchæ quantùm ad id quod intra eſt, non plane animal referunt. Sed hanc quoque ſententiam non placere ſibi aiebat, quoniam lapidea hæc aut unquam vixere, animantiaque extitere, aut non: ſi quidem olim vixere, non iam iocatur natura & imitatur, ſed verum animal facit, quale in mari gignitur: at vero in Montibus inter ſaxa eſſe eam vim generatricem, quæ in mari, non ſatis rationi conſonum videtur: præſertim in grandioribus animalibus, quæ multa poſcunt, & illud poteſt, quod ſi olim genita fuiſſent oporteret & nunc alicubi gigni & erui è montibus viventia hæc animalia quemadmodū & Dactyli: ſi vero numquam vixere, ſed imitationes tantum fuere verorum animalium, hoc certe contra ſenſum eſt: eruuntur enim Conchæ non paucæ, quarum pars in lapidem concrevit, pars nondum mutata eſt, ſed veræ Conchæ rationem habet & teneritatem, & cū reliquis mollitudinem.

Quare

Quare videre eſt, illas olim veras fuiſſe Conchas. Quod ſi id quod intra eſt in quibuſdam non plane Concham refert, cauſa eſt quod caro quæ mollis ex ſe erat & contrahi nata, multa terra circumtecta mox in lapidem coivit.

Ex Philoſophia nova (opere poſthumo MSto) Gulielmi Gilberti; lib. v. cap. xxi. *Quod lapides brevi tempore generantur, deque celeri rerum in lapides metamorphoſi*, &c.

In Britannia noſtra in foreſto de *Knaresborovve* fons eſt, cuius aquâ ligna, frondes, carnes in lapides mutantur, poſtquam aliquod tempus in eo reſiderint. Iuxta rivulum inde aquæ ſunt quæ ex pendentibus rupibus diſtillant, in quibus impoſita quæcunque temporis intervallo lapideſcunt. In Germania, in Saxonia varii ſunt fontes, in quos immiſſa corpora lapideſcunt.

In montibus iuxta *Alderley* prope *Kingsvvod* in Anglia frequenter inveniuntur lapides, qui formam habent Cochlearum & Oſtreorum. At vulgus exiſtimat ea fuiſſe illic à diluvio uſque. Ipſe inter multa mea rariora, domi Silicem habeo duriſſimum, in cuius latere magna Cochlea, cuius altera medietas eminet, in lapidem duriſſimum converſa, altera vero in lapide abſconditur. Cor etiam habeo animalis lapideum, ut etiam caput Anatis. Viperam etiam aut alium viperæ ſimilem ſerpentem in lapidem mutatum, quorum tres vidi; qui reperiuntur in monte quodam Angliæ Borealis; lapides ſunt ad duplam pugni magnitudinem excreti, quos dum indigenæ frangunt, in medio tanquam in ventre ſerpens conglobatus cernitur lapideus, omnibus membrorum lineamentis abſolutus: dicunt vexatum tali peſte populum, & à Sta quadam omnes illos ſerpentes in lapides converſos: quæ licet ad pietatem ſit opinio, ta-

men in lapides mutatos manifeſtum eſt, forſan frigorib⁹ enectos gelatos permanſiſſe, donec terrę proximæ partes concreſcerent: ita & lapide intumulatos & ipſos etiam in lapides converſos.

Pago quodam Gloceſtriæ in Anglia, plurimæ ſunt arbores, quercus aliæque quarum radices lapideam naturam induunt; & tamen locus ille eſt arborum feraciſſimus. Iuxta *Stonie-Strafford* fons eſt in quo ligna fiunt lapides. In *Nevvenam* etiam Comitat. Warwicæ, quæ diutius permanſerint, lapide tanquam cortice veſtiuntur. Quare citiſſimam generationem eſſe manifeſtum eſt; Nec ita multa ante ſecula fuiſſe, nec ſemper longiſſimis temporibus concreſcere, formaſque induere: non aliter atque in humano corpore calculi ſubito in perniciem mortaliũ generantur. Hæc ille.

Ioan. Goropius Becanus noſter in originibus Antwerpianis prolixe diſputat de hiſce lapideis Conchis lib. III. qui inſcribitur Niloſcopium.

E quo tantum quædam adducam. Præter eas quas ſe in Alpibus reperiſſe ſcribit; addit: Apud vicinos noſtros Limburgos, Leodios, Chondruſios, Namurcos, Hannones, Atrebates, Tornacenſes, & alios multos, à quibus vel marmora nobis vel alia lapidum genera advehuntur, nõ parva eſt Concharum copia & varietas. Vidi ipſe in marmore cæruleo ſolidiſſimo pectinem, & ipſius ſedem ita affabre delineatam ut nihil ars ſimile poſſe videretur. Vidi in Silice duriſſimo, Bethunis advecto, quo viæ apud nos ſternuntur, tot Conchulas totas lapideas & concluſis valvulis integras, magna ut cura & arte ex illis fuiſſe cæmento aliquo compactus iudicaretur. Et poſt alia: Ubicunque igitur humor ſive liquor invenitur ad teſtaceorum vitam idoneus, viva teſtacea generantur. Ubi vero materia illa erit capax quidem

for-

formæ eius, quæ dat ut teſta quid ſit & vocetur, non poſſit vero vivo piſciculo liquorem idoneum præſtare; fiet ut teſta duntaxat, non piſciculus generetur. Formas autem iſtas, ſive figuras, accuratas & animalium proprias, non cœlo adſcribo, quod inſtrumentorum peculiares formas dare non poteſt; ſed ipſi formarum datori: quem ſingulis ſpeciebus alium & alium adeſſe, tanquam efficientem quandam ideam, ſi dixero, id dixero quod poſſem tueri. Antwerpiæ latomus quidam vivum bufonem in medio marmore invenit. Quod ſi eo loco aptus humor bufoni fuit inventus; quid vetat quo minus aliquando liquor in Saxis inveniatur, quo marina quoque animalia generentur; viva quidem, ſi locus & humor ferant, corporata vero tantum, ſi humor vitam non admittat? Opifex enim progreditur eo, quoad eius materia patitur, ultra progreſſurus, ſi loci & materiæ inopia non excluderetur. Non eſt igitur mirum teſtas in montibus ſummis inveniri: minus vero mirum in illis inveniri, in quibus Salſugo aliqua eſt, marinæ Salſugini compar. Similis enim materia ad formas recipiendas eſt apta. In Aegypto igitur, regione non Salſuginis modo, ſed nitri etiam ferace, quis admirabitur Conchylia generari? quis etiam in noſtræ regionis ea ſubterranea arena, quæ loco & natura marinis vadis reſpondet, illa admirabitur, cum ea temperamentum quoddam marini liquoris exugat? Oceano in terras ſurſum per omnes canales magna vi irruente. Cavis igitur ſubterraneis & maxime ei arenæ quæ proxima eſt aquis, per orbem terræ ſubtus meantibus, liquor quidam apud nos communicatur, qui Conchyliorum figuras facile induit, vitam etiam accepturus, ſi locus vivum piſciculum alere poſſet. Videmus itaque Antwerpiæ quibuſdam locis, poſtquam ad hanc aquam ſubterraneam

fodiendo

fodiendo ventum eſt, magnam quandā cruſtam, ad duos pedes vel plus eo craſſam, aliquando etiam tenuiorem, quæ tota eſt ex eiuſmodi varia Conchyliorum congeſtione coagmentata, quaſi vena quædam lapidis aut marmoris eſſet. Nec porro uſquam in littore aut mari tanta congeries Concharum cuiquam viſa eſt: ut fruſtra ſomniemus, ita paulatim mari recedente fuiſſe congeſtam. Nam ſi hoc ita eveniſſet, cerneremus adhuc in Zelandiæ, Hollandiæ, & Flandriæ littoribus, tantæ craſſitudinis congeriem iacere. Quid? quod pectinum in littoribus noſtris magna eſt raritas, adeo ut à D. Iacobo è mari Gallæco pro monſtris adferantur? at è foſſis noſtris infinita copia eſt educta, quam in vallo, quod montis inſtar eſt, cuivis licet videre. Et, qui Conchulas legere volet; ei nihil opus eſt ad littora proficiſci: in mœnibus habet plus multo, quam littoribus, abundantiæ. Ego igitur non magis hîc mare fuiſſe credo, quam in lapicidinis Megarenſium, è quibus lapis effoditur concharum marinarum coalitu conſtans, cæteroqui candidiſſimus; quem à re ipſa conchida appellarunt. Quod ſi mare huic originem cauſamque dediſſet, in Piræo potius debebat inveniri. Iam cum tota Græcia variis promontoriis in mare excurrat, variis finibus mare admittat, nuſquam tamen Conchis, quam Megaris invenitur. Utinam noſtra cruſta ſic induruiſſet, ut lapidem quoque ſolidum componeret. Nam Megaricus ille adeo ſolidè coivit, ut Caris Phoronei filii ſepulchrum & alia non pauca opera ex eo facta fuiſſe Pauſanias teſtetur. Qui plura volet, adeat ipſum authorem. Eius autem ſententiam, ut maxime vero conſentaneam, amplectitur Achilles Aldrovandus in commentario ſuo de teſtaceis: neque video hactenus quicquam melius ab authoribus traditum.

Scribit

Scribit ad me Divione Cl. Bartholome⁹ Moriſotus: Et hic quoque natura paſſim gignit, quod mireris; in proxima quippe rupe, hæc nobis *le fort aux Feos* dicitur, ſcis quam longe à mari, ubique proſtant lapides, formâ rotundâ ac ſtriatâ, qui ipſam ſuperinduiſſe videntur Conchyliorum marinorum materiem, neſcio quo ſale per infirmiora creſcentium lapidum penetrante, paulatimque ita creſcente, ut ambienti undique lapidi uniformem Conchyliorum formam faciat, niſi quod alia aliis maiora ſunt, ita ut ſi lapidi lapidem attriveris, è medio utriuſque Conchylia lapidea erumpant, obverſi, tranſverſi, mixti, inæquali quidem proportione, ſed forma una. Interdum etiam, ſed rarius, eodem in loco phucarum fluviatilium, æquoreorumque, & limacum, lapideæ & conchyliatæ domus inveniuntur.


Iacobus à Salmaſia Salviniaci Dominus, patruelis Claudii Salmaſii. Pagus ille Salviniacum uno milliari diſtat ab *Avallono*, ut nunc appellatur, vel ut prius vocabatur Aballono & tribus aut quatuor milliaribus à Vezelio Patria Theodori Bezæ. Huius pagi ager arabilis montoſus eſt, & lapidoſus totus, qui tamen eſt feraciſſimus. In lapidibus illis reperiuntur inſerta quaſi ex differenti lapidis materia omne genus Conchylia, aliquando plura, aliquando pauciora, prout eſt ipſius Saxi magnitudo. Viſuntur ibi Pectines, Oſtrea, Solenes, Cornua Hammonis, & alia genera. In toto illo tractu per ſpatium trium aut quatuor milliarium hæc κογχυλιώδη in agris reperiuntur uſque ad oppidum vel caſtrum Montis Regalis, nomine *Mont real*, cuius ditionis ager conſitus eſt totus huiuſmodi lapidibus varias Conchyliorum ſpecies partim interius inſertas partim in ſuperficie etiam extantes præferentibus.

Accepi à Nobiliſſ. illo viro quamplures eiuſmodi

di lapides, quorum Icones ſicuti & aliorum quos ex Anglia & aliis locis accepi hîc adjiciendas curavi. Potuiſſem utique & plures addere: ſed quia hæc opera, alia occaſione, ſi Deus vitam conceſſerit, repetenda erit, & penitius de natura horũ lapidũ diſquirendũ, nunc tantũ de hiſce obſervo; materia plurimũ inter ſe differre & forma, pro natalium diverſitate.




Nam Conchæ cuius Iconem primo loco ponimus, forma plane rudis eſt & materia mollior & pene cretacea, qualem nullam aliam hactenus vidi. Secunda autem Icon repreſentat potius interiorẽ Conchæ compoſitionem, quam integram Concham; & conſtat ex eadem materia, qua prior, paulo tamen durior eſt, ita ut opiner exteriorẽ partem detritam aut abruptam eſſe.




Tertia






Tertia & quarta quæ ſequuntur elegantiſſimæ ſunt, & conſtant ex materia arenoſa, duriuſcula, quas è Sedanenſi tractu accepi, ubi in vivo Saxo naſcuntur: & ſunt pene eiuſdem materiæ cum quadratis Saxis, quorum in ædificiis uſus eſt.

Reli-





















Reliquæ plane lapideæ ſunt & duriſſimæ, & variorum colorum, cinerei & fuſci, quas ex Burgundia & Anglia accepi: figuras cum Conchis & Oſtreis communem habent, & quivis eas cum veris Conchis poterit conferre. Non eſt autem prætereundum, me una cum hiſce accepiſſe, quarum partes à veris Conchis ſubſtantiâ parum admodum differrent, & præſertim ab Oſtreis proprie dictis. Verum de his aliâs plura dicenda erunt.

Cap. XXX.

Obſervationes aliquot ad cap. CCCIII. *Boetii in quo agit de nonnullis lapidibus & gemmis variorum Auctorum ſecundum ordinem Alphabeticū.*

FEcerat hoc Plinius lib. 37. cap. 10. in quo multa repetita ſunt quæ ante dixerat, (& quidem melius,) quia diverſos authores eſt ſecutus: potuiſſet

ſet Boetius huic operæ parcere: nam inter authores quos hic citat, ſunt tam inepti, ut potius explodendi fuerint, nam inſcitia ſua pleraque nomina vetera corruperunt & magica omnia deliria in ſcenam revocarunt. Obſervabimus tamen quædam ad hoc caput, omiſſis eis de quibus Boetius recte iudicavit.

Agapis lapis; nomen corruptum eſt ex Achate; nam Plinius lib. 37. cap. 10. ſcribit; *Leoninæ Pelli ſimiles potentiam habere contra Scorpiones dicuntur*: quod Agapi hic tribuitur. Epiphan. cap. VIII. idem tradit quod Plin.

Anachytes. Plinii locus extat lib. 37. c. 4. *Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metuſque vanos expellit à mente, & propterea quidã Anachitẽ vocavere*, Cl. Salmaſius ad Solin. pag. 1085. Corrupta vox *Anachites*. Nihil enim ſignificat quod illi efficacię reſpõdeat. Correxere aliqui *Eunacæten*: alii Anachyten volunt dictum quod animi mœrorem effundat. Nugæ. Lego: *& ob id quidam eum Ananciten vocavere*: hoc eſt, ἀναγκίτlω. Orpheus de Galactite ex correctione noſtra:

Ὃν καλέουσιν ἀναγκίτlω ἀδάμαντα.

In indice manuſcripto: *de Adamante ſive ancite*. Ita ſcriptum pro *anancite*. Sed cur ἀναγκίτης ἀδάμας quod mentium vanos metus pellat? Quæ ratio huius appellationis? Id explicemus. Ἀνάγκη Græce dicitur quicquid animum ſuæ ſpontis eſſe non patitur. Ira dolor, voluptas, metus aliique animi πάθη totidem ſunt ἀνάγκαι. Iſti enim affectus rapiunt nos ac trahunt quo ire nolumus. Vide cætera.

Androdamas: locum Plinii ita corrigit Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 564. *Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas, quadrata*, &c. Vim & duritiem Adamantis habere innuit. Et poſt pauca addit, Androdamas certe genus Hæmatitis pondere & duri-

tie inſigne, ſed ferrei coloris : nec alium puto Androdamanta veteribus fuiſſe cognitum: hinc vim Adamantis habere propter invictam duritiam ſcribit. Vide ibidem cætera.

Antachates. Agricola lib. VI, de Nat. Foſſil. aut Succinum putat aut ſaltem è Bitumine conſtare.

Anterotes, inquit Boetius, *Opali vel Pæderotidis ſpecies, Plinio teſte.* Sed fallitur. Plinius enim lib. 37. cap. 9. Ametyſti quintum genus ſcribit : *Tales aliqui malunt Pæderotas vocari, alii anterotas*, &c. decepit illum quod & Opalus, Pæderos appelletur, ſicuti aliæ res. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 565. Notum quid ſit ἀντέρως, hic ea voce ſignificatur qui æque venuſtus eſt ut amor, contra amorem pulcher: idem vult & παιδέρως.

Antipathes. Plinius lib. 37. cap. 10. *Antipathes nigra non tranſlucet,* &c. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 942. Ἀντιπαθὲς Græci vocant, quicquid adverſus effaſcinationes, incantationes, & amoris faciendi artes magicas potenter eſt efficax. Hinc *Antipathes* gemma Plinio quæ contra effaſcinationes auxiliari putabatur: & Antipathes Coralii genus ab eodem effectu dictum.

Arabica Plin. lib. 37. cap. 10. *Ebori ſimillima eſt & hoc videretur niſi abnueret duritia,* &c. Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 565. Idem Plinius inter lapides eum recenſet lib. 36. cap. 21. *Arabicus lapis, ebori ſimilis dentifriciis accommodatur crematus.* Nec dicendum diverſos eſſe lapides Arabicum & Arabicam, nam Arabica dicitur cum ſubintelligitur gemma, Arabicus autem cum lapis, & ſic ſolet Plinius, dum diverſos ſequitur, eandem rem alio atque alio loco referre. Dioſcorides: ὁ δ' Ἀραβικὸς λεγόμενος λίθος ἔοικεν ἐλέφαντος ἀστίλῳ. Similis eſt Eboris maculæ. Imo ſcribendum ; ἔοικεν ἐλέφαντι ἀστίλῳ Ebori ſine

ne macula. Quod extra controverſiam eſt. Dentifriciis accommodari Arabicum lapidem ſcribit Plinius. Dioſcorides de Arabico: ὀδόντων δὲ σμῆγμα γίνεται καυθεὶς κάλλιστον.

Encelius autem lib. 3. cap. 17. opinatur lapidem Arabicum non eſſe alium quam lapidem ſpecularem ſeu lunæ aut glaciem mariæ, German. *Merglaſz oder unſer Fravven eiſz:* unde olim feneſtræ parabantur, lignis lævigatis poſitis loco plumbi. Unde & fit gypſum optimum, teſte Plinio.

Argyritin nominat Plinius, ſed inter Spumas Argenti lib. 33. cap. 6. Hæc autem Argyritis quæ hic deſcribitur, non videtur alia quam Magnetis lapis, licet ſtigmata aurea non conveniant. Theophraſtus in commentario de lapid. οἱ δὲ γλυπτοὶ καθάπερ ἐλέχθη καὶ τορνευτοὶ τυγχάνουσι, καθάπερ καὶ ἡ Μαγνῆτις αὕτη λίθος, ἣ καὶ ὄψει περιττὴν ἔχουσα, καὶ ὥσγε δή τινες θαυμάζουσι τὴν ὁμοίωσιν τῷ ἀργύρῳ μηδαμῶς οὖσαν συγγενῆ. Dicit ſimilitudinem argenti in hoc lapide mirari quoſdam, quum nulla cognatione argentum attineat nec eiuſdem ſit cum illo generis. Vide Cl. Salmaſium in Solin. pag. 1102. & ſeq.

Aſpilaten deſcribit Plin. lib. 37. cap. 10.

Aſyctos. Plin. l. 37. cap. 10. Sed Cl. Salmaſ. perperam in editis legi iudicat Aſyctos, cum in optimo libro *Apſictos* ſcribatur, ἄψυκτος.

Atizoen de qua Plin. lib. 37. cap. 10. Agricola lib. VI. de Nat. Foſſil. putat Bitumine conſtare.

Augitis Plin. lib. 37. cap. 10.

Bapten de quo Plin. Agricola lib. VI. de Nat. Foſſil. putat Bitumine conſtare.

Boleniæ; ſed apud Plin. lib. 37. c. 10. legitur, *Bolæ.* videtur idem lapis cum Ombria.

Callais. Plin. lib. 37. cap. 10. *Callais Sapphirum imitatur, candidior & littoroſo mari ſimilis.* & eodem

libro cap. 8. *Comitatur eam* (nimirum Topazii ſpeciem) *ſimilitudine propior, quam authoritate Callais e viridi pallens. Naſcitur poſt averſa Indiæ apud incolas Caucaſi montis Phicaros ac Aſdatas amplitudine conſpicua ſed fiſtuloſa ac ſordium plena, ſincerior multo præſtantiorque in Carmania: utrobique autem in rupibus inviis & gelidis, oculi figura extuberans, leviterque adhærens*, &c. Male autem iudicat Boetius qui Aquam marinam recentiorum opinatur; nam mihi non dubium eſt Turcoidem deſignari, uti ſupra pluribus dixi.

Callaina: Plin. lib. 37. cap. 10. *Callainas ferunt plures coniunctos ſemper inveniri.* & mox: *Galaicos Argyrodamanti ſimilis eſt paulo ſordidior. Inveniuntur autem binæ vel ternæ.* Videtur de eodem lapide vel gemma loqui ſed nomen variare pro diverſitate authorum à quibus ſumſit. Porrò Cl. Salmaſius priorem locum ita corrigit è MS^to (in quo legitur Callaica è turbido Calamo. Ferunt plures coniunctas inveniri.) *Callaica è turbido Calaina.* Callaicam dicit Callaini coloris eſſe, ſed turbidi. Callainum enim Latini pro Veneto etiam uſurparunt. Vide in Solinum pag. 237. quem locum aſſcripſimus cap. de Turcoide.

Capnites Plin. 37. cap. 10. Sed non erat omittendum, quod Plinius interſerit, *ut ſuo loco diximus:* deſignat enim locum cap. 1x, ubi de Iaſpidum generibus agens: *& veluti fumo infecta, quæ Capnias vocatur.* Fuerit ergo ſpecies Iaſpidis; eſt enim etymi eadem ratio.

Catochites de quo Plin. 37. cap. 10. Bituminis quoddam genus videtur. Κατοχὴ Græcis coloris alligatio, cum ſuperinducitur medicamentum quo tinctura alligatur & ex fluxa fugacique redditur hæſura ac permanens.

Cepites ſive Cepocapites, *Candida eſt, venarum nodis*

dis coëuntibus, candore imaginem regerens. Plin. lib. 37. cap. 10. Ad quæ Claudius Salmaſius hæc obſervat. Cepites lapis vel gemma in Plinio ſine dubio nomen ſortita eſt à voce κῆπος quæ hortum ſignificat. Atqui nihil in eius deſcriptione quod horti ſimilitudinem præferat. Alterum eius nomen in vulgatis eſt *Cepocapites*, quod eſt corruptiſſimum. Nam in Indice ſcripto exemplaris Regii vetuſtiſſimi legitur *Cepolaſius*. Puto reſcribendum *Cepopraſius*. πρασιαὶ ſunt areæ hortorum qui Latinis pulvini. In ipſo Plinii contextu legerim, ut deſcriptio ſit nomini congrua, *pulvinorum notis coëuntibus*. Nam vulgata ſcriptura non poteſt explicari. Quod ergo pulvinorum quales in hortis ſunt notæ in illa gemma coëant, dicta eſt κηπίτις & κηποπράσιος : vel etiam κηποπλάσιος, ut nihil mutetur in ſcripta lectione. Nam pulvini hortorum maxime herbis conſiti ſunt & λάσιοι, intervalla inter pulvinos aut areas nuda.

Cepionites quoque in Plinio mendoſum eſt. Nam ex ordine literarum apparet nomen eius incepiſſe à litera χ non κ; præcedit quippe χρύσοφρυς. in Indice ſcripto legitur Cetionites, ſcribendum *Chetionites* vel *Chetonites*, fortaſſe eſt χυτονῖτις. Nam χυτὸν Heſychius etiam interpretatur ξεστὸν λίθον. Alioquin poſſet videri à loco dictus χιτονίτης. Nam χίτων nomen loci eſt in Græcia & fluminis à quo & Diana dicta χιλώνη & χιτώνια. Sed ſeries literarum eius loci poſtulat ut per υ ſcribatur; non per ι. Nam debet eſſe litera quæ poſterior ſit ordine litera ρῶ; Cum præcedat χρυσοφόρος. Χυτὸς etiam locus eſt Epiri à quo lapis ille dici poteſt χυλίτης. Nihil aliud poſſum divinare. Salmaſius.

Chryſopagion Alberti; haud dubio eſt Chryſolampis Plinii lib. 37. cap. 10. *Chryſolampis*, inquit, *in Aethiopia naſcitur, pallidi coloris die, noctu ignei.*

Hæc autem gemma eadem eſt cum Chryſopaſio Solini, pro quo tamen Cl. Salmaſius in Solin. pag. 406, legendum monet *Chryſopaſtus.* Ita autem vocatur Chryſolithi quædam ſpecies: nimirum quæ varia erat & ſcobe ſua referta. Plinius de Chryſolithis Aethiopicis: *præferuntur iis Indicæ, & ſi variæ non ſint, Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ ſunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ limpidæ contigere, veluti ſcobe ſua refertæ.* Hæ ſunt quæ vocantur χρυσόπαστοι, quod aurea ſcobe quaſi aſperſæ eſſent. Vide ibidem cætera.

Chalazias. locum Plinii ita legendum eſſe è veteri libro docet Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 718. *Chalaziæ figuram grandinum & candorem & adamantinam duritiem ineſſe narrant, etiam igni addito manere ſuum frigus.* Id eſt, Chalaziæ in ignem addito; nam eſt ὁ χαλαζίας λίθος, ut ὁ καπνίας, ὁ ἀστερίας. Hunc lapidem χαλαζίτην vocant Geoponicorum Eclogæ & ſic dictum aiunt, quod grandinem imminentem avertat ac depellat: σιδηρῶν λίθον χαλαζίτην ἔχε, καὶ ὅταν ἴδῃς τὴν χάλαζαν, κρῦσον αὐτὸν, καὶ ἀποστραφήσεται.

Cholon Smaragdi genus Plin. lib. 37. cap. 5. quod ita dicitur à felleo colore; nimirum viridi ſed non auſtero, in aureum deſcendente, qualis & fellis. Male à quibuſdam cola appellatur.

Cyamea Plin. lib. 37. cap. XI. quomodo poſſit eſſe Neotericorum Camehuia, ut vult Boetius, non video: potius Aetitæ ſpeciem crediderim.

Diadochus Plin. l. 37. c. 10. *Diadochus Beryllo ſimilis eſt.* Unde autem cætera commenta acceperit Lud. Dulc. ignoro.

Emites haud alius eſt lapis quam Plinii Chernites. de quo dictum ſupra cap. 12.

Exhebenum. Agricol. lib. VI. de Nat. Foſſil. nihil

hil differre putat à Samio lapide, ut diximus cap. XI.

Galaxia, de hac iam ante dixi cap. XVIII.

Galaricides vel Galarictis, non eſt alius lapis quam Galactites Plinii. Ita miſere barbari iſti homines nomina corruperunt.

Gallerica, hæc quoque exſculpta videtur ex Galactite; nam dicit Plinius ibidem; *ſunt qui Smaragdum albis venis circumligatum Galactiten vocent.*

Hyæniæ, inquit Plin. lib. 37. cap. 10. *ex oculis Hyænæ & ob id in vaſe inveniri dicuntur.* Quæ ita corrigenda oſtendit Cl. Salmaſius in Solinum pag. 337. *& ob id invaſæ*; quaſi niſi ob hoc ipſum invadatur Hyæna, lapis hic in eius oculis non ſit inveniendus. Nam vulgata caret ſenſu.

Iſcultos, inquit Albertus, gemma croco ſimilis, in ultimis Hiſpanorum partibus & iuxta Gades reperitur, quæ friabilis eſt propter viſcoſitatem in eo arefactam; ſi de ea fiat veſtis, non comburitur, ſed igne purgatur & nitet. An idem ſit cum Amianto, an eius ſpecies, inquit Encelius, tuo relinquimus iudicio.

Lapis Fabalis: præter teſtimonia Plutarchi & Stobæi, addit Mauſſacus in Notis ad Plutarchum, & authoritatem Ariſtotelis ex fragmento quod adiunctum eſt libello de Mirabilib. & Euſtathii in Dioſyn. de ſitu orbis.

Liparis. Agricola lib. VI, de Nat. Foſſil. iudicat è bitumine conſtare. & ſane ipſum etymum hoc indicat, λιπαρὸς enim ſignificat pinguem, reſinoſum ac lentum.

Libanochros ad eundem modum è reſina videtur conſtare.

Lychnites, de marmore Lychnite iam ante egimus, hîc agendum de gemma. *Ex eodem genere* (in-

quit Plinius, lib. 37. cap. 7.) *ardentium Lychnites appellata à lucernarum accenſarum præcipua gratia.* Ubi Cl. Salmaſius ad Solinum pag. 1104. docet legendum; *appellata à lucernarum accenſu:tum præcipuæ gratiæ.* Tum præcipuæ gratiæ eſſe dicit hanc gemmam cum lucernæ accenſæ ſunt, quia vigor eius & ardor excitatur accenſarum lucernarum flagrantia: legendum quoque Lychnis: nam ſi ſcripſiſſet Lychnites non fœmineo genere id nomen enuntiaſſet: aut igitur λυχνῖτις aut λυχνὶς ibi ſcribendum. Græci tamen etymon accerſunt ab eo quod inſtar lucernarum accenſarum ardeat. Dionyſius:

--- Λυχνὶς ἣ πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη.

Græci quoque qui de lapidibus ſcripſere ἄνθρακα exponunt λυχνίτην quia luceat ut lucerna accenſa vel ignis. Unde & remiſſior Carbunculus dicta. Nihil autem commune habet cum Aſtrio quæ candida eſt. Solinus autem duo tantum genera Lychnitis facit, Plinius quatuor. Primam ac probatiſſimam apud Indos, quam remiſſiorem Carbunculum dixere quidam. Secunda ab Indica, bonitate illi ſimilis, Ionia appellata. Sequentia apud Plinium ita legit Cl. Salmaſius in Solinum pag. iam dicta: Et inter has invenio differentiam. Una purpura radiat, altera cocco. A ſole excalefacta, aut digitorum attritu paleas & chartarum fila (non folia ut perperam in veteri codice legitur) ad ſe rapit. Subdit deinceps Plinius; hoc idem & Carchedonius facere dicitur, quanquam multo vilior prædictis. Porro hæ gemmę hodie non aliæ videntur quam Granatorum ſpecies; bene enim conveniunt Notæ. Confundit dein Plinius, ut ſolet è vicinitate nominum & diverſitate auctorum, cum lapide Lychnite. Sed gemma à lapide omnino diſtinguenda eſt.

Medum haud dubio exſculpſere ex Medea Plinii &

& illi ſuas nugas aſſuerunt. Rulandus in Lexico Alchemiæ, iudicat Hæmatitem nigrum qui reperitur Goſlariæ & reddit ſuccum croceum. Quod à Chriſtophoro Encelio accepit lib. 3. cap. 6.

Meroctes Plin. lib. 37. cap. 10. Sed legendum Morochtis, ut docet Cl. Salmaſius, in Solinum pag. 769. male autem ex lapide hîc gemmam fecit Plinius.

Mythridates Lud. Dulc. haud alia eſt gemma quam Mitrax Plinii; nam ita infit; *Mitrax à Perſis accepta eſt & Rubri maris montibus, multicolor, contra ſolem variè refulgens.* Hæc autem Solino dicitur *Mithridax*, è quo barbari ſuam Mythridatem formarunt.

Nebrites, (inquit Plin. lib. 37. cap. 10.) *Libero patri ſacra, nomen traxit à nebridum eius ſimilitudine.* Nam Bacchus qui in initiis Cereas, Atticis ſimul colebatur: miniſtri & Bacchæ νεβρίδας geſtabant, id eſt, hinnulei pellicula induebantur. Fuerit igitur gemma quæ colore illas pelliculas imitabatur: quam facilè inter Achatas invenias aut Iaſpides.

Nemeſites. Hunc lapidem finxiſſe puto barbaros authores ex hiſtoria quam prodit Plinius lib. 36. cap. v. Narrat enim Argoracritum à condiſcipulo Alcamene non tam opere quam populi ſuffragiis victum, ſignum Veneris à ſe factum ea lege vendidiſſe ne Athenis eſſet & appellaſſe Nemeſim.

Ornicus, id eſt, Sapphirus, inquit, Boetius: imo Oreniſcus Sapphirus. Rationem nominis reddit Cl. Salmaſius ad Solin. pag. 132. Infima ætas orinũ dixit pro aurino vel aureo. Unde & noſtrum *Orin*, quod eſt aureum. Hinc Oriniſcus Sapphirus, qui aureis guttis ſparſus eſt, quem Græci χρυσόπαστον vocant.

Phloginos, inquit Plinius, lib. 37. cap. 10, *quem & Chryſiten vocant, Oſtreæ Atticæ aſſimulata invenitur in Aegy-*

Aegypto. Oſtreæ Atticæ nuſquam mentio, itaque lege, *Ochræ Atticæ*, ea enim commendatur inprimis. Hæc corrupta lectio in Plinio Agricolam & alios fefellit, qui Oſtream petrificatam intellexerant: Sed mihi non dubium eſt fuiſſe lapidem Ochræ optimæ colore.

Punicus Lud. Dulc. non eſt alius quam Pumex. Videndus Plinius lib. 37. cap. 21. *Laudatiſſimi ſunt*, inquit, *in Melo*, *Scyro & Aeoliis inſulis*. & poſtea: *uſus farinæ eius oculorum maxime medicamentis*, &c.

Pheonicites itidem Lud. Dulc. eſt Plinii Phœnicites qui ex balani ſimilitudine appellatur. Βάλανος enim nomen Græciæ populare de Palmæ Dactylo, quod Latini uſu ſuum fecerunt.

Sarcites male apud Boetium ſcribitur pro Saurite. Plinius lib. 37. cap. 10. *Sauriten in ventre viridis Lacerti Harundine diſſecti tradunt inveniri*. Quanquam Plinius & Sarciten deſcribat. *Sarcites*, inquit, *Bubulas carnes repræſentat*. In hoc manifeſta eſt etymi ratio, & videtur Sardæ eſſe ſpecies. Sicut & in illo, nam Sauras etiam Latini pro lacertis dixere.

Sarmenius à Sarmia inſula nomen habens, Alberto, haud alius eſt quam Samius lapis; nam quæ eſt Sarmia inſula? Samius autem lapis inſervit auro poliendo. Utilis & in medicina, inquit Plinius, lib. 36. cap. 21. Quod autem ibidem dicit: *Vulvas & partus contineri adalligato eo tradunt*: Id eſt, abortum impedire; quod Albertus male intelligens ſcribit, ac manu parturientis alligatum partum impedire. quis enim ita inſaniat ut partum impedire velit?

Sallius Lud. Dulc. idem eſt; melius tamen ille dicit, *abortum prohibere*. Vide quam miſere nomina corruperint iſti nugatores.

Syno-

Sinochites eſt Synochites Plinius lib. 37. cap. 11. qua ſcribit *umbras inferorum evocatas teneri*. Boetius Galactiten dicit;ſed fefellit eum ratio, nam Synephites vocatur ille in libris editis, de cuius vocis correctione iam diximus cap. XVIII.

Syrus à Syria dictus Alberto; haud alius eſt quam Thyrreus Plinii nam eaſdem qualitates illi tribuit.

Staſites Lud. Dulc. à Camillo Leonardi vocatur Stuxites: ita ludunt in nominibus hi minorum gentium & fabuloſi ſcriptores.

Trichrus: Encelius lib. 3. cap. VI. Hæmatitæ ſpecies enumerans numero 5. Foſſilis reperitur in iiſdem locis, niger, tres ad cotem reddens colores, Trichrus qui poſſit dici, ſicuti Plinius lib. 37. cap. 10. Trichrum ex Africa deſcribit, &c. Turbinatus eſt & durus.

Xanthos; Plinius lib. 37. cap. 10. inter Hæmatitæ ſpecies: *Eſt alia eiuſdem generis, quæ vocatur Henui ab Indis, Xanthos appellata Græcis, è fulvo candicans.* Ad quem locum Cl. Salmaſius in Solinum pag. 410. In Indice libri veteris *Menui* ſcribitur & *Exyphos* pro *Xythos*: idque pro *Xuthos*. Eadem eſt gemma quam in genere Chryſolithorum retulit, quo loco & *Xynthi* ſcriptum eſt in Indice & in veteri libro *Xuthi*. Græcum eſt ξουθὸς quod è fulvo candicantem ſignificat. Heſychius: ξουθὰ οὐ μόνον ξανθὰ, ἀλλὰ καὶ λευκὰ καὶ πυῤῥά. proprie λευκόπυῤῥα. Capite IX, perperam Xyſthion legitur. *Eadem India & Xuthon parit plebeiam ibi gemmam.*

CAP.

Cap. XXXI.

De lapide Bononienſi: Cocco & Yta-Pu.

NE quid intactum prætermittamus, audiendus Fortunius Licetus de lapide Bononienſi; qui in Præfatione libri ſui qui inſcribitur Lithoſphorus ita breviter illum deſcribit. *Cæterum*, inquit, *quod omnem penitus excedere videtur admirationem & omnem prorſus Antiquitatem latuit, eſt genus lapidum in agro Bononienſi non ita pridem* an. 1604. *inventorum, qui ex arte calcinati & illuminato aëri, ſeu ſolis radiis, ſeu flammæ fulgoribus expoſiti, lucem inde ſine calore recipiunt in ſeſe: quam in ambientis lumine prorſus inconſpicuam, viſui ſpectabilem referunt in tenebris tantummodo, & in obſcuro loco penitus aliquandiu conſervatā, mox ſenſim atque ſenſim langueſcentē, pedetentim exuunt, atque extingui patiuntur.* Et cap. 11. *Nam & noſter lapis candidus eſt, qui cæteris in ſuo genere præſtat, Cryſtallina propemodum perſpicuitate præditus; & à ſidere Solis fulgorem ſibi rapiens ac regerens; & intus à centro radiorum inſtar undique Strias albas emittens ad circumferentiam in effigiem ſtellæ: quapropter incolæ ruſtici petram* Strellinam, *quaſi* ſtellinam, *adeoque cum ſapientibus & antiquis* Aſtrion ſive Aſtroiten *appellant; etenim villicis Bononienſibus ipſæ Stellæ materna lingua* Strelle *nuncupantur.* Et cap. XII. *à ſola natura non habet admirabilem illam vim concipiendæ lucis ab ambiente claro & in ſe diutius retinendæ etiam in obſcuro; ſed eam utcumque ſibi comparat à calore flammarum ipſum calcinantium.* Et cap. XVIII. *non niſi puſillæ magnitudinis reperitur; nam maioris amplitudinis quam pugnus hominis grandioris, nondum inventus eſt: quum enim ponderoſiſſimus ſit ſupra plumbum, maximus hactenus inventorum, qui ſervatur in Aldrovandi nobiliſſimo Muſeo crudus, ibi poſitus à Cl. Montalbano duarum librarum cum dimi-*

dimidia pondus non excedit; frequentiſſime nucis avellanæ, ovi gallinæ minoris ac primiparæ, ac ſemipugni quantitatem exæquare comperiuntur. Et cap. XIX. *Nullam à natura ſibi certam ac regularem figuram obtinuit; ſed tamen, ut Cl. V. V. Montalbanus & Poterius obſervarunt & ego etiam vidi non ſemel, alius eſt oblongus ac teres, ac cylindricus; alius planus, quem tabulatum appellant, alius ad rotunditatem inhiare videtur, ſed frequentiſſime ad ovi figuram ellipticam, alius perfectè ſphærrens, alius lenticularis & alius miſtæ figuræ, ſemper tamen irregularis magis minuſve. Lenticularis figuræ lapis, ubi cæteræ conditiones reſpondeant, inventus eſt ſemper optimus omnium.* Et cap. XXXVI. *Duriſſimus eſt, frangibilis, non ſectilis: & ideo multum aquei non eſt elementi particeps; & ea propter metallica non abundat ſubſtantia; quam à prædominio dicit Ariſtot. aqueam eſſe.* Calcinationem & reliqua huius lapidis vide apud Authorem. Idem [a] ex literis Caſſiani Equitis à Puteo hanc adtexit deſcriptionem: *Lapis alter eſt, qui naſcitur in provincia* Paraguay *& vocatur* Coccus, *quem iuxta ſententiam* Ferrantis Imperati *nuncupare poſſumus* ventrem Cryſtallinum *vel* Aetitam gemmatam, *aut quid ſimile. Magnitudo lapidis eſt, ad longitudinem dodrantis cum dimidio, in ſpeciem craſſi farciminis, ac eius ferrei fulminis, quæ ſolet ad voluptates publicas teſtandas vulgo diſplodi & Italicè dicitur* un mortatetto. *Color externæ ſuperficiei lapidis miſtus eſt ex rubro impuro & albo: intus apparet univerſus in ſpeciem pulcherrimi ingemmamenti (ut ita loquar in re nova) quaſi brillorum ſeu beryllorum multarum facierum ſuperficierumve; quandoque cum colore vergente ad dilutum purpureum cæruleumve, quem vulgo dicimus Italice* Avinato. *Ingemmamentum æquale ſatis eſt, nec magis apte poteſt aſſimulari quam ollæ cuidam Sacchari canditi nuncupati: lapis tamen in ſuo meditullio vacuus eſt,* ca-

a *De Cocco.*

capax ut plurimum materiei ad quatuor aut ſex & plures etiam uncias. Indigenarum relatu, lapis ubi pervenerit ad perfectam maturitatem, ſponte diſrumpitur: & dum diſrumpitur, ingenti crepitu ſonat, perinde ac diſploſum fulmen æreum ludicrum in ſpectaculis; & ſuperſtantem terram pellit in ſublime: quo crepitu audito coloni quæſitum pergunt huiuſcemodi lapides & inventos referunt. Cortex lapidis eſt ad craſſitudinem dorſi cultri ſeu numi argentei, quem Talerum dicimus aut Ducatonem: & apparet eſſe Chalcedonius lapis, & meo iudicio prorſus eſt, cum ſit duritie Chalcedonii. Pellis ſeu corticis exterior ſuperficies lapidis eſt referta veluti poris latioribus, ſeu parvis cavitatibus, ad intima tamen non penetrantibus. Vbi fuerit deterſus & expolitus iſte cortex, apparet lapis ſatis nobilis, habens naturam Chalcedonii Sapphirini, quia vergit ad colorem cinereum cærulei participem. Prope corticem interius ingemmamentum ſequens incipit colore Amethyſti diluti, ac terminat velut in conos Berylli vel Cryſtalli: pergit ingemmamentum æquale ab orificio lapidis uſque ad eius fundum, ad craſſitiem pollicis, vel ampliorem; & pulcherrimum eſt aſpectui, &c, Obſervat author & quidem iure meritoque ſimilem expreſſum in Muſæo Calceolario ex gemmato lapide ducis Mantuani.

Idem [a] Fort. Licetus cap. LIII, eiuſdem libri. *Nuncupatur alter lapis idiomate Paraguayano* Yta-pu *quod interpretatur* Campana ſonans, *ideo quia vacuus eſt intus & reipſa reſonat atque tinnit palſatus: & multo maiorem edere ſonum debet quando non eſt fractus aut apertus. Invenitur, in quibuſdam fluminibus. Magnitudo videtur eſſe quanta duarum manuum hominis iuſtæ molis, quæ ſimul coniungantur ſolo mutuo contactu Carpi & ſummorum digitorum, volis interim ſinum & caveam vacuam figurantibus. Arbitror eſſe ſpeciem* Aëtitis, *& dici poſſe* Aëtitem maximam Indiæ Occidentalis. *Craſſitudo lapidis*

a *De Yta pu.*

lapidis eſt dupla ad craſſitiem numi argentei, quem dicimus vulgo Ducatonem. Color lapidis interior, & labri eiuſdem eſt thalaſſicus obſcurus qui dicitur etiam Venetus, quin & lividus ſaturus, Italicè bigio obſcuro: *& apparet quaſi color materiæ uſtæ. Duriſſima plane eſt lapidis ſubſtantia. Cortex lapidis exterior eſt colore luteo; quum ſit aſperſus per totum arena quadam eiuſdem lutei coloris, quæ diſſolvitur affrictu inter digitos, & manibus inducit moleſtã quandam ſiccitatem & ſcabritiem, ita ut cogatur, qui lapidem paululum contrectaverit, manus abluere; quo liberetur ab ea moleſtia, qua non parum angitur. In huiuſmodi arena & ſub ea ſunt infixa multa tubercula, quæ referunt imaginem fere lapidis Alectorii, qui reperitur aliquando in ventriculo gallorum & caporum antiquorum, coloris albi non puri, vergentis tamen ad diaphanum: quæ tubercula huic lapidi Indico inſidentia, ſi ad rotam expolirentur, poſſent etiam annulis inſeri. Maximam vim adſtringendi neceſſe eſt habere quod intra lapidis cavum reperitur, cum inventum in eius externa ſuperficie moleſtam adeo ſiccitatem & adſtrictionem advehat in contrectantium manus.*


Vide quæ lib. I diximus cap. XXVI. de lapide Lipis, qui ſane colore aliquatenus cum hoc convenit.

CAP. XXXII.

De Bucardia.

NEque hic omittendus eſt Lapis quem ſub nomine Bucardiæ ita deſcribit Fer. Imperatus lib. XXIV. cap. XXVI. Bucardia, inquit, petra ſic dicta à figura & magnitudine, qua imitatur figuram cordis bovini, eſt ſuperficie lævi, ſimili ab utraque parte; unde demonſtrat condenſamentum cum interna concavitate Concharum valvis ambis convexis: habet autem in extremitate ſuperiore ab utraque valva

proceſſus revolutos, & eſt ſubſtantia quæ calcinatur. Reperitur & altera, figura cordis, minoris magnitudinis, proceſſibus brevibus & ſine revolutione, ſubſtantia arenoſa & quæ non calcinatur; ſpecies non minus Conchæ, ſimilibus valvis & convexis: Eſt & tertia ſpecies, quæ magnitudine & figura imitatur fructum Caſtaneæ, & habet in convexa parte concavitatem ſimilem valli, quæ à roſtro ad infimum ambitum quaſi in duos colles dividit, & à ſimilitudine quam refert appellatur *pie di Nibbio*. Id eſt, pes Milvi. Dat autem hanc illius Iconem, nimirum maioris & primo loco deſcripti.



Meminit & Plinius huius ſed admodum breviter lib. 37. cap. 10. *Bucardia*, inquit, *bubulo cordi ſimilis Babylone tantum naſcitur.*

INDEX

INDEX

Præcipuarum rerum quæ in his libris tractantur.

A.

ACbatæ conſideratio. 79

Adamantis vitia 1. locus natalis. ibidem. quomodo eruatur hæc gemma 2. eius forma naturalis 5. quomodo formetur & poliatur. ibid. quomodo ab aliis gemmis dignoſcatur 7. virtutes falſæ 8. 9. pretium. 9.

Aetites gemma. 172

Aetites lapis. 114

Agapis lapis falſus. 195

Ageratus lapis. 134

Alabandici Carbunculi. 20

Alabaſtrites lapis. 166

Alectorius lapis. 105

Alumen ſciſſile. 120

Amethyſti hiſtoria. 24. ſpecies variæ. 25. Natales. 26. quomodo poliatur. ibid.

Amentum dulce. 119

Amianthus lapis 118. Icones 119. 120. 122.

Amochryſos. 147

Amygdaloides lapis. 175

Anachyles Plinii. 195

Anconitanus lapis. 116

Androdamas. 195

Antachates. 196

Anterotes. 196

Antipathes Plinii. 196

Aphroſelinon. 128. 129

Arabica gemma. 196

Armatura in lapidibus quid ſit. 149

Aſſius lapis. 133

Aſteria vera. 97.

B.

Balaſii hiſtoria 14. *forma naturalis.* 15
Belemnites lapis. 151
Beli oculus qualis gemma 67. *ſpecies diverſæ & Icones.* 68.69
Berylli hiſtoria. 44. *differentiæ* 45. *uſus.* 46.
Bezoar 113. *foſſile in N. Hiſpania.* 114
Bononienſis lapis. 206
Bracteæ quæ gemmis ſubduntur. 10
Braſiliani Smaragdi. 41
Brontia lapis. 158
Bucardia lapis. 209
Bufonis lapis. 98
Bugloſſus lapis. 106.

C.

Callais Plinii. 197
Callaina Plinii. 198
Callimus ſingularis. 115
Camilli Leonardi error taxatus. 51
Capnites lapis. 198
Carbunculi. 10
Catochites lapis. 198
Cepites vel Cepocapites. 198
Cepionites Plinii. 199
Ceraunia Plinii. 55
Ceraunia hiſtoria. 155
Chalazias Plinii. 200
Chalcedonii hiſtoria 76. *recentiorum circa illam errores.*
Chelonitis lapis 159. *Icones* 162. 163.
Cholon Smaragdi ſpecies. 200
Chryſolithi hiſtoria 49. *natales.* ibid.
Chryſopagion Alberti. 199
Chryſopraſus. 13. 45
Chryſopetron. 48
Ciſſites Plinii. 172
Coccus lapis. 207
Corallium & Corallio cognata. 101
Colici lapidis hiſtoria. 85
Conchites lapis. 179

Cornu Ammonis. 148
Corvorum lapis. 114
Crapandina lapides 98. *vires* 99.
Crucifer Iaſpis. 81
Cryſtalli hiſtoria 56. *figura ratio.* 60.
Ctenites lapis. 178.180
Cyanea Plinii. 200
Cyani ſeu lapidis Lazuli hiſtoria. 90.

D.

DActyli Idæi. 153
Diphues vel Diphris lapis. 136.

E.

EChites lapis. 168
Elatites lapis. 174
Encrynos lapis. 139
Enhydros aetites. 116
Enorchis lapis. 117
Enoſteos lapis. 144
Entalium. 119
Entrochos lapis. 138
Exhebenum. 128.

F.

FLuores varii 94. *etiam veteribus noti.* ibid. *variæ ſpecies.* 95
Fulminis lapides. 156
Fungifer lapis. 169.

G.

GAlactites lapis. 140: 141
Garatronius lapis alius à lapide Bufonis. 100
Geodes aetites. 116
Geranites lapis. 170
Gloſſopetra hiſtoria 103. *variæ ſpecies & figura.* 104
Granatorum hiſtoria 17. *variæ ſpecies.* ibid. 18. *natales* 18. *quomodo poliantur.* ibid.

H.

HÆmatites ſingularis.
Hammites lapis. 145
Heliotropii hiſtoria. 80
Hephœſtites lapis. 150
Hyacinthi gemmæ hiſtoria. 27. variæ ſpecies 28. 29. Neotericorum error circa hanc gemmam. ibid.
Hyſterapetra lapis. 136.

I.

IAſpidis hiſtoria 78. viridis ſpecies. 80
Iridis hiſtoria 57. Citrina iris 58. natura illius. ibid.
Iudaicus lapis, & variæ illius ſpecies 136: 137. Icon. ibid.

L.

LAzuli lapis eiuſque virtutes. 91
Lepidotes lapis. 176
Lipis lapis eiuſque vires in medicina. 91
Linum asbeſtinum. 119
Lychnites gemma. 201
Lychnites lapis & marmor. 165
Lyncurius lapis veterum. 154.

M.

MAnati lapis. 112
Marmoris hiſtoria. 164
Medus lapis. 202
Metzanttlatl lapis. 130
Melitites lapis. 143
Molochites lapis. 87
Morion hiſtoria. 74. 75
Morochtus lapis. 140
Myctes lapis. 179.

N.

NAτίζος quid ſignificet. 28
Nebrites Plinii. 203

Nephri-

Nephritici lapidis hiſtoria 81. *virtutes* 83. *electio.* 84.
Novacularum lapis. 93.

O.

OBſidianus lapis. 167
Oculus mundi. 69.70
Oculi felis hiſtoria. 54
Ollæ foſſiles. 126
Ombria lapis. 158
Onychites lapis. 179
Onychis hiſtoria 62: *ſpecies* 65
Opali hiſtoria. 52
Ophites lapis. 168.169
Oſtracites lapis. 124
Oſſifragus lapis. 144
Oſteocolli lapides. 174
Oſtracis lapis. 179
Ovum anguinum. 109.

P.

PEntagonion. 58
Phengites. 166
Perdicites lapis à Ponto Tyardæo obſervatus. 171
Piſciculi qui in Saxis reperiuntur. 117
Plinii locus correctus. 141
Phrygius lapis. 135
Polia lapis. 175
Porus lapis. 131
Porphyroides lapis. 179
Pramnion quæ gemma. 74
Praſii hiſtoria. 42
Pſeudoadamantes varii. 59.60
Pumices. 131.

R.

RHodites lapis. 174
Rhombites lapis. 177
Rubaci & Rubacelli. 16
Rubini veri 11. *pretium* 12. *natales.* ibid. *forma naturalis* 13. *Virtutes.* ibid.

S.

SAlamandra Pauli Veneti. 120
Samius lapis. 127
Sandaſter Plinii, 21

Sap-

Sandareſus. 22

Sapphiri hiſtoria 30. *ſpecies* 31. *natales* 32. *pretiũ* ibid. *virtutes.* 33

Sarcophagus lapis. 133

Sarda gemma 60. *vires* 62.

Sardonychis hiſtoria 70. *eius politura.* 73.

Schiſtos lapis. 123

Scolopendrites lapis. 176

Selenitis lapis. 129

Serpentis convoluti facie lapides 107. *quibus locis reperiãtur.* 108

Silicum eadem ſubſtantia qua gemmarum. 164

Smaragdi hiſtoria 33. *ſpecies* 34. 35. *natales incerti* 37. *Occidentales* 38. *forma naturalis* 39. *magnitudo* 40. *virtutes.* 41

Smaragdopraſus. 43

Spartopolios lapis. 175

Spinelli rubini hiſtoria. 16

Spongiæ lapides. 135

Stalactites lapis. 144

Stalagmites lapis. 147

Steatites lapis. 143

Stellaris lapis. 97

Stelechites lapis. 174

Sirombites lapis. 178.

T.

TAlci hiſtoria. 128

Tephrites lapis. 150

Teſtarum lapidearum hiſtoria. 177

Teufels lieb lapis. 118

Topazii hiſtoria 46. *color nativus* 47. *natales* 48.

Tophus è ventriculo Iuvencarum. 132

Thyites lapis. 142

Trœzenii Carbunculi. 21

Trichrus non eſt Sardonyx. 72

Trochites lapis. 138

Tuberonis lapis eiuſque vires. 113

Turcois gemma 87. *olim ſculpta* 88. *magnorum virorum iudicia de hac gemma & illius veteri nomine.* 88. 89.

V.

VMbilicus marinus. 110

Vteri morbis lapis qui medetur. 86.

X.

Xanthos lapis 205.

Y.

Yta-pu lapis.

FINIS.

GEMMARUM ET LAPIDUM HISTORIA.

QUAM

Olim edidit ANSELMUS BOETIUS de BOOT, Brugenſis, RUDOLPHI II. Imperatoris Medicus.

POSTEA

ADRIANUS TOLLIUS, *Lugd.-Bat., M. D., recenſuit; figuris melioribus, & Commentariis pluribus illuſtravit, & Indice auxit multo locupletiore.*

Tertia Editio longe purgatiſſima. Cui accedunt IOANNIS de LAET, Antvverpiani, De Gemmis & Lapidibus libri II. Et THEOPHRASTI liber De Lapidibus, Gr. & Lat. cum brevibus notis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
cIↄ Iↄ c XLVII.

Magnificis, Ampliſsimis, Prudentiſſimiſque Viris,

D. GERARDO ab HOOGEVEEN, I C. & Prætori:

D. ADRIANO à STAVEREN:

D. IOANNI à GROENENDIICK:

D. IOANNI vander MARSCHE:

D. MAURINGO vander AA:

Urbis Leidenſis Conſulibus:

Nec non ejuſdem Reipublicæ digniſsimis Scabinis:

Ut & D. IOANNI WEVELICHOVIO, I.C., *Urbis Leidenſis Syndico, & Dominis Curatoribus Academiæ à ſecretis:*

Felicitatem voveo.

Ampliſſimi, Prudentiſsimique Viri;

ITERUM prodit typis meis recuſa Gemmarum & Lapidum Hiſtoria: illa, quæ primùm auctore Anſelmo Boetio de Boot, Brugenſe Belgâ, Cæſ. Majeſtatis Rudolphi II Medico, ante annos circiter triginta & octo, id eſt, an-

no MDCIX, fuit evulgata. Poſtea ſæculi anno XXXVI Commentarium hunc typis meis recenſuit Adrianus Tollius, Lugd.-Batav., Med. D.; figuris melioribus, & cō-mentariis pluribus, illuſtravit; & Indice auxit multo locupletiore. Cujus Dedicationi inſcripta tunc erāt nomina Prętoris, Conſulum, Scabinorum, & Syndici huius florentiſsimæ urbis Leidenſis. In præſens verò hac tertiâ Editione, ampliſsima veſtra nomina huic operi iterum præfigenda conſultum judicavi, ita ut in locum vitâ defunctorum nomina ponerentur viventium ſucceſſorum; atque hac ratione, ſub inclytis nominibus Veſtris, tam viventium quam victurorum, ceu Eruditionis, Patriæque, columinum, hoc literatæ hiſtoricæque Eruditionis pignus omnibus Lectoribus quàm commendatiſſimum maneret. Idque tanto magis, quòd data eſt opera, ut ſecundæ Editionis fœditas, quâ per inſcitam auctoris correctionem typographicam reſperſa erat, in hac tertiâ, quantum fieri potuit, omnis tolleretur.

Acce-

Accedunt IOANNIS de LAET Antvverpiani De Gemmis & Lapidibus libri II, hactenus ἀνέκδοτοι, & in THEOPHRASTI librum de Lapidibus breves commentarii. Vos igitur, graviſſimi, ſpectatiſſimi-que Reipublicæ Rectores, quâ eſtis in bonas literas humanitate & benevolentiâ, gemmeum hoc atque ſplendidum clariſſimorum Virorum Opus, noſtræque qualiſcumq; diligentiæ exemplar, ſub ſplendore nominum Veſtrorum ſuum continuare ſplendorem in publico permittite; utpote gnari, ſuos ſpeculū radios emittere longiùs, à Sole illuſtratum. Valete. Datum Leidæ, calend. Auguſti MDCXLVII, exofficinâ meâ.

V. V. A. A.

Obſervantiſſ. cliens, eiusdemque urbis civis

IOANNES MAIRE.

IN HISTORIAM

Gemmarum & Lapidum

ANSELMI BOETII,

Editam nova cura clariſſimi doctiſſimique viri

ADRIANI TOLLII, Medicinæ Doctoris,

SCAZON.

ERECTE TOLLI, *cujus indoles geſtit*
Debere ſeclo, & otio fatiſcentes
Incuſat horas ſemiſeminatorum,
Per eruditas ambulare doctorum
Suëta curas, extricare perplexa,
Purgare verum ſordibus vetuſtatis;
Γαλλωικωτερωτάτων *decus grande,*
Recentiorum lima terſa ſcriptorum:
Vt nunc Eoos Indicoſque ſplendores
Inter refulges, & tuos Smaragdorum
Radiis honores Sardioque diffundis,
Ditemque Hydaſpen gemmeumque derivas
In noſtra Gangen regna. Non tibi ſputa
Et inquinata fercla ventris affecti
Moleſta nunc ſunt, pituita vel putris,
Aut ore manans turpe fœtido tabum,
Aut pravè olentis vultus ater urinæ.
Quin tranſmarinis elegantiis totus
Nites decorè, & fulgetris lapillorum

Gem-

Gemmiſque luces undique, & coruſcantem
Beryllon ardes, ſuccinumque lychninque;
Onycheſque nigras. ipſe quas iacit flammas
Pyropus, in te torquet, & vireſcentes
Notas Iaſpis lætior tibi pandit.
Carbunculuſque, & pulcher ora Sapphirus,
Non uſitatis ignibus magis, flagrant.
Precioſa ſcribis, ut Cylindrus, ut Baccæ
Vndis latenter obſtrepant Erythræis,
Adamaſque duras nil moretur incudes:
Quàm multiformis lividas averruncet
Peſtes Achates, languidamque Torcois
Venerem laceſſat; vulſaque è mari magno
Coralla largas fluminum vias ſiſtant.
Et tu feracis munus inclytum Cypri
Cærulea Cyanos, ſeu Pharum magis laudas
Scythicaſque rupes, Caucaſique prærupta,
Per te fugari diſce torva nocturni
Portenta Morphei, & Incubum gravem lectis.
Cum ventre matris abditum latet pondus,
Pullus medetur & ſonorus Ætites.
Aquaſque Magnes allicit putreſcentes.
Electra mentem, margarita languentes
Vires redonat; quique friget, inſomni
Hyacinthus ægro ſomnolentiam ſuadet.
Quis ſplendor artis, quàm ſuperba maieſtas
Medici theatri eſt, Æſculapidûm Patres.
Queîs apparatus Cœlites parant tantos,
Famulantur aſtra; format unda, quod ſanet;
Aër medelam ſufficit, vomunt fontes,
Montes miniſtrant. queîs ſalubre quodcunque eſt,

Arbi-

Arbuſta ſtillant, ſaxa robur indulgent;
Gemmas, lapillos, ferra, vitra, tot petras,
Hic Porphyriten, hic dat Alabaſtriten,
Illic Pyriten, hic bitumen & gypſum,
Aurum, ceruſſam, nitra, ſulphur, argentum,
Opeſque cunctas Mater alma largitur.
Centum iuvatur, læditur modis centum
Humana Vita. totus orbis obiectat
Et damna & uſus. commoduſque viventi
Incommoduſque eſt: cauſa mortis, atque idem
Salutis auctor, qualis haſta Pelidæ.
Ante ora morbi fomes, & comes iuxta
Medicina præſto eſt. quicquid obvium, tangit.
Sanum flagellat, allevat laborantem.
Corpus vacillat ſæpius remorbeſcens,
Cadaveroſis debitum ſepulcretis.
Rurſum reſurgit, & valemus athletæ,
Viceſque ſervant Sanitaſque Morbuſque.
Et nunc amica; nunc iniqua Natura.
Quæ cuncta dum nos impiger doces, Tolli,
Æternitatis præmio ſupervive.
Quod ſi nepotes nomen oſcitabundi
Tuum ſilentî nubibus tenebrabunt,
Lapides loquentur. & Boëtii famam,
Tuaſque laudes, Gemmulæ recognoſcent.

Caspar Barlæus.

Ad

Ad Lectorem.

INTER *omnes, benevole Lector, qui de lapidibus, ac gemmis ſcripſerunt, ac ad manus meas pervenerunt, nulli hactenus peculiari aliqua methodo uſi ſunt. Nam alii ſecundum alphabeti ordinem, ut Plinius, Albertus Magnus, & Ludovicus Dulcis, alii promiſcue ut Franciſcus Rueus, ac Andreas Bacius de iis tractarunt. Solus quod ſciam Geſnerus in claſſes, vel à ſimilitudine, vel nominibus rerum ſumptas, gemmas & lapides diſcrevit. Quia vero Geſneri methodus propter varias cauſas, quas hic recenſere longum eſſet, mihi non placebat; à rarioribus, & carioribus tractationem incipere, mihi gemmis ipſis dignius eſſe, magiſque convenire videbatur. Itaque à Diaphanis, ut ab Adamante omnium gemmarum pretioſiſſima, diaphana, nulloque colore prædita, exordium ſumpſi: Deinde ab ea ad diaphanas colore præditas, & viliores gradatim progreſſus ſum. Ita tamen, ut quæ eiuſdem generis videbantur, licet dignitate multum inter ſe differrent, iiſdem capitibus ſubiungerentur. Vt videre eſt poſt caput de Carbunculo, cui cæteræ gemmæ omnes rubræ, & diaphanæ, licet viles, ſubſequuntur, ut Granatus, Amethyſtus, Hyacinthus &c. Poſt rubinorum, & rubrorum lapidum Hiſtoriam, ſequitur Margarita dignitate tertia ab Adamante: licet proprie inter lapides recenſeri non deberet, quod potius mixtum oſſeum, quam petroſum ſit. Sed ſequutus ſum hac in re vulgi ſententiam, quod Margaritas inter gemmas numerat, ac plerumque Adamantibus, & rubinis, aliis gemmis excluſis, dum peculiare, & regium aliquod*

 opus

opus ex gemmis concinnat, adiungit. Poſt Margaritas, ſequuntur Cæruleæ gēmæ, ut Sapphirus, & Opalus, qui aliquid cærulei habet. Has gemmas ſubſequuntur virides, flavæ, & ſemidiaphanæ: tandem opacæ, ac pretioſiores primo, ut Turcois, & Cyaneus. Deinde quæ fere ab animalibus deſumuntur. Ita ut ab his paulatim ad ignobiliores lapides & ſaxa perveniatur. Qui tamen ordo, ut verum fatear, mihi ipſi, conſcripto iam opere, non ſatisfecit. Exiſtimabam enim illuſtrius eſſe methodo aliqua abſoluta, quam manca de gemmis agere. Itaque cum non dubitarem, quin in claſſes non minus lapides & gemmæ redigi, quam animalia, herbæ, ac alia quævis, poſſent: Tandem differentias quibus lapides vel gemmæ à ſeſe mutuo differunt diligenter obſervavi, (ut ex capitibus nonnullis huius libri notari poteſt) ac ex iis duabus tabellis lapides in genera & ſpecies dividi poſſe oſtendo: ſecundum quas tabellas optime, ac methodice de lapidibus, & gemmis opus hoc conſcribi potuiſſet. Verum quia prius à me non ſine magno labore ac moleſtia perſcriptum, Typographoq; paratum erat, Intempeſtivum fuit ordinem iam obſervatum mutare, ac iterata ſcriptione me novis moleſtiis & tædiis, deficiente otio, ac prohibentibus curis afficere. Quod ad gemmas attinet, quæ à veteribus deſcriptæ hoc tempore ignotæ, aut à recentioribus conficlæ, & nunquam viſæ, aut dubiæ ſunt: quia in ordinē redigi, ut omnia incerta, non potuerunt, ſecundum alphabeti ordinem à me ſub finem operis annectuntur. Itaque hæc quæcunque à me præſtita ſunt boni conſule Lector, ac grato animo ſuſcipe. Id ſi feceris, ad maiora edenda calcar addes. Vale.

CATA-

CATALOGUS LAPIDUM

Omnium, quorum mentio in ſequenti libro fit.

A.

ABſinthus.
Achates.
Adamás.
Adarces.
Ægyptilla.
Ægophthalmus.
Æriuſa.
Aëroides.
Aëtites.
Agapis.
Ageratus.
Alabandinus.
Alabaſtritis.
Alabaſtrum.
Alcionium.
Alcionum.
Amandinus.
Amatides.
Ambra.
Amethyſtus.
Amiantus.
Amygdaloides.
Ammochryſus.
Amoſteum.
Amphitane.
Anachitis.
Androas.
Androdamas.
Antachates.
Anterotes.
Antipathes.
Aphroſidiace.
Aphroſelinitis.
Apiſtos.
Aquileus.
Argenon.
Argyritis.
Argyrodamas.
Armenius.
Aromatites.
Aſbeſtus.
Aſius.
Aſinius.
Aſpilates.
Aſteria.
Aſtrion.
Aſtrobolus.
Aſtroitis.
Aſyctos.
Atizoen.
Augites.
Autoglyphus.
Azur um.
Azul.

B.

BAlanites.
Balaſſius.
Baptes.
Baroptis.
Baſaltes.
Baſanites.
Baſanus.
Batrachias.
Batrachites.
Belemnites.
Beli oculus.
Bellochio.
Beryllus.
Betulus.
Bezoar.
Bolenia.
Borax.
Borea.
Borſicites.
Boſtrychites.
Botrytis.
Brontia.
Brocarella.
Bucardia.
Bufonius lapis.
Buga.

C.

CActonites.
Cadmitis.
Calaminaris.
Calamites.
Calcarium ſaxum.
Calcedonius.
Callais.
Callainas.
Callimus.
Calendrimus.
Camaſeus.
Cambnites.
Camehuia.
Cantharias.
Capnites.
Carabe.
Caratobates.
Carbunculus.
Carb. Æthiopicus.
Alabandicus.
Anthracitis.
Amethyſtizõtas.
Charcedonius.
Ionis.
Lychnitis.
Lythizontas.
Sandaſtros.
Syrtites.
Trœzenius.
Cardiſce.
Cariſteus.
Carneolus.
Carrarieſe marm.
Carpionum lapis.
Catochites.
Catoptrites.
Catorites.
Cegolithes.
Celicolus.
Cepionites.
Cepites.
Cepocapites.
Cepoides.
Cerachates.
Ceraunia.
Ceramites.
Cerites.
Ceruleum.
Chabatre.
Chalaxias.
Chalcedonius.
Chalcophonos.
Chalcoſmaragdus.
Chelidonius.
Chelonia.
Chelonitis.
Chermites.
Chloates.
Chlorites.
Choaſpis.
Choaſpites.
Cholo.
Chryſantherinus.
Chryſolectron.
Chryſolithus.
Chryſoberyllus.
Chryſopagion.
Chryſopilon.
Chryſitis.
Chryſolampis.
Chryſopation.
Chryſophis.
Chryſopteris.
Cimilianthus.
Cinedia.
Ciſſites.
Ciſteolithus.
Citrinus.
Clenites.
Cletrites.
Clites.
Coaſpis.
Cola.
Conchites.
Confecti lapides.
Corallium.
Corallina.
Corallachates.
Coracias.
Coramus.
Coravus.
Cornelius.
Corneolus.
Cornu foſſile,
amonis,
monocerotis.
Corſoides.
Corvinus lapis.
Cos.
Crapaudina.
Craterites.
Criſopilone.
Crocallis.

Cro-

Crocia.
Cryſtallus.
Cyanus.
Cyamea.
Cydonites.

D.

DActylus Ideus.
Dæmonius.
Daphnia.
Dendrachates.
Dendrites.
Diadochus.
Diacodus.
Diphris.
Dorialtides.
Dotto.
Droſolithus.
Dryites.
Duchodnych.

E.

EBenum foſſile.
Echidna.
Echinites.
Echiſtis.
Echites.
Elatites.
Electrum.
Egyptilla.
Eloſſites.
Encoſtis.
Engangis.
Enhydros.
Enorchis.
Entrochos.
Emetres.
Emites.
Encrinos.
Encardia.
Ennophius.
Epimelas.
Epiſtis.
Epiſtites.
Eriſtalis.
Erotilos.
Eſtiomenes.
Eumeces.
Eumetren.
Eureos.
Euſebes.
Eurrheus.
Eupetalos.
Exacantholitus.
Exacolithos.
Exhebenus.
Exolicetus.

F.

FElis oculus.
Filaterius.
Fingites.
Fongites.
Fungifer lapis.

G.

GAgates.
Galactites.
Galaicon.
Gangitis.
Gatamantica.
Garatronius.
Galaicos.
Gallatides.
Gallaticides.
Gallatica.
Gagatronica.
Galaricides.
Galarictis.
Galaxia.
Gallerica.
Gamaia.
Gamites.
Gaſidane.
Gatti oculus.
Gecolithus.
Gelatia.
Geloſia.
Gemites.
Gemonides.
Gelachides.
Gelatides.
Genianes.
Geodes.
Geratides.
Giraſole.
Gleſſum.
Gloſſopetra.
Gorgonia.
Grammatias.
Granatus.
Gypſum.

H.

HÆmachates.
Hæmatites.
Hammites.
Hager.
Hephæſtites.

Haloſachne.
Heliotropius.
Henui.
Hepatitis.
Heraclius.
Hexacantholithus.
Hexagonus.
Hieracitis.
Hiſmero.
Holoſteus.
Hoplites.
Hormeſion.
Horminoides.
Horco.
Hyacinthus.
Hyacinthus bellus.
Hydrinus.
Hyenia.
Hyppopotami cornu.
Hyſterapetra.
Hyſtecolithus.

I.

Iaſpis.
Iaſpachates.
Iaſponyx.
Icterias.
Idachates.
Idæus dactylus.
Intrita.
Indica.
Ionis.
Iris.
Iſcuſtos.
Iſodomos.
Iudaicus lapis.
Iuguntia.

K.

Kakaman.
Kaman.
Kalcabre.
Kacabre.
Karate.
Karadre.
Kenne.
Kimedinus.
Kinocetus.

L.

Lamiarū dens.
Lactea.
Lac lunæ.
Lap. Armenus.
Bezoar.
Caimanum.
Cevar.
fabalis.
felleus.
Lazuli.
Limacis.
Lydius.
molaris.
Malacenſis.
manualis.
Nephriticus.
Palumbellarum.
Porcinus.
Percæ piſcis.
Rhenalis.
Syriacus.
Sanguinalis.
Sabuloſus.
Tuberonum.
Leſbias.
Leucachates.
Leucas.
Leucogea.
Leucoſapphirus.
Leonina.
Leucophragis.
Leucophthalmos.
Leontios.
Leucopetalos.
Lepidotes.
Leucoſtylus.
Libanochros.
Lithantrax.
Lithiſontas Carb.
Lithodemum.
Linurgus.
Lichinus.
Limacius.
Limoniates.
Lince.
Lito.
Lunæ ſpuma.
Lychnitis.
Lycophthalmos.
Lychnitis Carb.
Lyncurius.
Lyſimachus.

M.

Magnes.
Malachites.
Maltha.

Machea

Machera.
Margarita.
Marmor Cinereũ.
flavum.
nigrum.
rubeum.
viride.
album.
Parium.
Medea.
Medus.
Meconitis.
Melitites.
Melichryſis.
Melichryſon.
Memphites.
Menois.
Menonia.
Meroctes.
Meſomelas.
Meſpileus.
Molybdos.
Molochites.
Monocerotis cornu.
Morion.
Morochthus.
Myites.
Myrmecias.
Myrmecites.
Myrrhites.
Myrſinites.
Myrtites.
Mythrax.

N.

Narciſſites.
Naſamonites.
Nebrites.
Nemeſites.
Nephriticus.
Nichomar.
Nicolus.
Niſus.
Noſes.
Nympharena.

O.

Obſidiana gemma.
Obſidianus lapis.
Oculus felis.
Oculus cati.
Oculus cancri.
Oculus ſolis.
Olaris lapis.
Olea.
Ombria.
Onagrus.
Onoſteus.
Onyx.
Opalus.
Ophites.
Ophicardelon.
Oritorius.
Ornicus.
Orites.
Orea.
Oripendulus.
Orphanus.
Oſſifragus.
Oſteocolla.
Oſteolithus.
Oſteites.
Oſtracites.
Oſtracias.
Oſtreites.
Othônna.
Ovum anguinum.

P.

Paachee.
Pæderos.
Pagurus.
Pallacius.
Panchrus.
Pancros.
Pangonius.
Panis dæmonum.
Panſebeſtos.
Palmatus.
Pantarbes.
Panthera.
Paragone.
Pardalios.
Paredonium.
Parium marmor.
Parnia.
Peantides.
Pentagonus.
Pentaurea.
Perdiates.
Perla.
Perileucos.
Peruzaa.
Peramites.
Perite.

Pœnites.
Petra Columbina.
Phaſachates.
Phengites.
Phœnicites.
Phrygius lapis.
Phycitis.
Phloginos.
Piperitis.
Piſolithus.
Polia.
Polo.
Polygrammos.
Polyzonos.
Polythrix.
Pontica.
Porcellana.
Porus.
Porphyrites.
Pramnion.
Praſſius.
Præconiſſus.
Prontea.
Pſeudoadamas.
Beryllus.
Corallium.
Opalus.
Topaſius.
Sapphirus.
Smaragdus.
Pumex.
Pygargus.
Pyrene.
Pyrimachus.
Pyrrhopœcilon.
Pyrobolus.
Pyrites.

Q.

Quadratum.
Quandros.
Quiricia.
Quiris.
Quirinus.

R.

Rabri.
Radaim.
Radainus.
Ramai.
Ramius.
Reiben.
Rhodites.
Roſten.
Rubinus.
Rub. pallacius.
Spinellus.
Rubacellus.

S.

Saetta.
Sagada.
Sagda.
Sagitta incubi.
Salamandra.
Salegre.
Samius lapis.
Samothracia.
Sandaſtros Carb.
Sapphirus.
Sapphirolucus.
Sarcites.
Sarcophagus.
Sardachates.
Sarda.
Sardius.
Sardoiaſpis.
Sardonyx.
Sarmenius.
Sartoplios.
Savalia.
Saxum.
Saurites.
Sanguinalis lapis.
Sallius.
Scambia.
Scarites.
Sciſſilis lapis.
Schiſtus.
Scolopendrites.
Sedehego.
Selenites.
Senochites.
Serp. marmor.
Smaragdopraſius.
Smaragdus.
Smiris.
Solis gemma.
Soriani granati.
Solis oculus.
Spartopolios.
Spinellus.
Spongiæ lapis.
Spongites.
Spuma maris.
Stalactites.
Stalagmites.
Stelechites.

Stel-

Stella terræ.
Stellaris lapis.
Stignites marmor.
Strombites.
Struſites.
Succinum.
Sycites.
Syderopecillus.
Sydonites.
Syenites.
Syfinus.
Synephites.
Synodontis.
Syringites.
Syrites.
Syrtites.
Syrus.

T.

TAbarget.
Talcum.
Taos.
Tarak.
Tarti.
Tecolithus.
Telicardius.
Telirrhiſus.
Telithus.
Tephria.
Tephrites.
Theamedes.
Thracius.
Thyites.
Thyitis.
Thyriſites.
Tillinites.
Topaſius.
Tophus.
Trachinus.
Trapendanus.
Trichrus.
Triglites.
Triophthalmos.
Trochites.
Trœzenius.
Turcois.

V.

VErdello.
Vientana.
Ultramarinum.
Umbilicus marinus.
Umbria.
Unicornu.
Unio.
Vulturius.

X.

XAnthos.
Xiphinus.

Y.

YEttus.
Ydrinus.

Z.

ZAmarrur.
Zamech.
Zauthene.
Zeblicium marm.
Ziazaa.
Zignitis.
Zingrites.
Zirites.
Zmilaces.
Zoronoſtios.

CATALOGUS AUTHORUM,

Quorum opera uſus eſt Author in hoc Libro.

Albertus Magnus.
Andreas Baccius.
Andreas Libavius.
Andreas Matthiolus.
Bartholomæus Anglicus.
Dioſcorides.
Epiphanius.
Conradus Geſnerus.
Franciſcus Rueus.
Galenus.
Georgius Agricola.
Hieronymus Cardanus.
Iacobus Mockius.
Ioannes Centmannus.
Ludovicus Dulcis.
Matthias Maichofer.
Plinius.
Proſper Alpinus.
Ioſephus Quercetanus.

DE

DE LAPIDIBUS, AC GEMMIS IN GENERE,

Liber Primus.

Caput I.

De Lapidum, Gemmarumque definitione, & diviſione.

NATURALEM cuiuſque rei ſcientiam adipiſcimur, dum ſub quo genere res contineatur, & quo pacto ab aliis rebus vere differat, id eſt, quos affectus producat, quam formam, & figuram habeat, ac ex quibus conſtet, cognoſcimus. De gemmis itaque ac lapidibus in ſpecie ſcripturus, operæprecium videtur, ut non ſolum, quid lapis aut gemma in genere vocetur, explicem; ſed etiam in differentias, ſpecies, vel claſſes diſtribuam, ut hoc modo ſingulorum lapidum vel gemmarum à ſeſe mutuo differentia, ac exinde natura, & eſſentia facilius dignoſci, & perſpici poſſit. Differentia enim rem à re diſtinguit, ac quo pacto hoc aliud non ſit, oſtendit. Dum eſſentialis eſt, eſſentiam rei in apertum profert, dum accidentalis, ignotæ eſſentiæ tantum index eſt. Accidentalis ea eſt, quæ ab extrinſeca figura, ac qualitatibus ſumitur. Eſſentialis quæ ab effectu, effectuum cauſis, forma, ac materia depromitur. Verum hæc non facile in gemmis, & lapidibus

pidibus innoteſcit: quod tanquam corpora inanima vix aliquos effectus edant, ac communem quãdam, eandemque videantur habere formam, & materiam; ita ut figura extrinſeca, qualitateſque illi inhærentes ſolæ differentiam omnem conſtituere debere videantur. Quæ ſane difficultas me ſæpe ab hoc opere deterruit, ac calamum deponere compulit. Huic difficultati accedebant aliæ, quæ fere perſuaſerunt ἀδυνάτων prorſus eſſe in claſſes lapides, & gemmas redigere. Nempe quod à multis authoribus ita lapidis, gemmæque nomen confundatur, ut quod mixtum hic gemmam vocat, alius non gemmam, ſed lapidem eſſe velit, & vice verſa. Deinde quod ea, quæ minime ad gemmas, aut lapides referri deberent, pro iis habeantur; ut animalium nonnullorum oſſicula, vel teſtæ, terraque paulo durior, item Gagates, & Succinum, aliaque complura, quæ vel ad animalium, terrarum, vel vegetabilium claſſem potius, quam ad lapidum, aut gemmarum ſpectant. Hæ difficultates etiamſi me aliquoties perturbarint, ac à ſuſcepto onere, ut dixi, dimoverint: Nihilominus tamen potius aliquid, quam nihil in medium proferendum eſſe utilius iudicavi. Dabitur enim hoc modo anſa aliis ſtudioſius ea, quę à me inchoata ſunt, ſcrutandi, ac perficiendi. Quia itaque de lapidibus, & gemmis agendum eſt. Primum omnium quid lapis & gemma ſit, explicandum eſt; Deinde genus in ſpecies, aut differentias dividendum eſt. Licet autem nonnulli nolint gemmas ſub lapide tanquam genere comprehendi: quia tamen genus proximum commune habent, (cum utrumque corpus mixtum ſit, & inanime) ac neutrum, neque metallum, neque ſal, neque bitumen, reſtat ut proximum eorum genus ſit terra indurata, quę nullo alio nomine quam lapidis appellatur. Merito

itaquę

itaque lapis genus ſtatuetur, ac etiam de gemma prædicabitur; ut gemma quævis ſit lapis, ſed non quivis lapis gemma.

Lapis itaque eſt corpus mixtum, inanime, durum, inductile, in aqua non liquabile, & ſolidum, quod è terra ſimplici tanquam præcipua, magiſque conſpicua materia, citra multas alterationes à natura concretum eſt. Quia vero infiniti ſunt lapides qui gemmæ non ſunt, ut gemmæ definitio aut deſcriptio habeatur, neceſſe eſt lapidem in ſuas differentias, vel accidentia dividi, donec gemmarum claſſis occurrat. Lapis itaque alius à natura magnus, alius parvus producitur. Parvus alius rarus inventu, alius frequens: rarus alius durus, alius mollis. Durus alius pulcher, aſpectuque gratus, alius turpis. Pulcher, gemmę nomen meretur. Erit itaque gemma lapis parvus, rarus, durus, & pulcher à natura procreatus. *Definitio gemmæ.* Hac definitione excluditur Onyx, Crapaudina, & ſimiles lapilli, quos ſi quis velit definitione contineri, pulchritudinis nomen à definitione auferendum eſt. Sed conſultius videtur in gemma pulchritudinem requiri, reliquoſque lapillos duros & raros tantum lapilli pretioſi nomen (ſi care veneant) retinere. Excluduntur etiam à definitione Cryſtallus, Topaſius, Iaſpis, Nephriticus, Heliotropius, ac omnes qui à natura magni, non parvi procreantur, ac lapidum pretioſorum nomen ſervare poſſunt. Verum quia magnitudinis, raritatis, duritiei, ac pulchritudinis vocabula varie accipi, & extendi poſſunt, circumſcribenda ſunt. Parvi itaque ſic lapides habendi ſunt, qui ovi gallinacei magnitudinem nunquam ſuperare, aut perquam raro viſi ſunt. *Parvi lapides qui.* Rari qui in paucis provinciis, neq; copioſe reperiuntur. *Rari qui.* Duri dicuntur, qui neque digitis teri, neque ferro ſcindi poſſunt. *Duri qui.* Qui enim poſſunt, hi

Duritiei tres gradus.

hi molles,cum durioribus comparati,dicuntur.Digitis teri poſſunt porus, pumex, & Armenus lapis: ferro ſcindi poſſunt fluores omnes,qui etiamſi pulcherrimi ſint, pro gemmis propterea haberi non debent. Duritiei tres ſtatuo gradus .Primus cum chalybea ſolūmodo lima lapis radi poteſt, qualis in Turcheſia deprehenditur. Secundus cum non niſi Smiri lapide teri poteſt, qualis in Iaſpide obſervatur.Tertius cum Adamante tantum teri poteſt,qualis in Adamante ipſo,&Topaſio orientali,ſeuChryſolitho veterum animadvertitur. Pulchri dicuntur lapides à colore, diaphanitate, radiorum reflexu, aut figura concinna, viſuique grata. Colorem pulchrum habet Turcheſia; diaphanitatē Cryſtallus; radiorum reflexum Iris: figuram concinnam aſteria,& oculus cati.Si qui ſint lapides qui plures pulchritudinis notas habeant, ii eo magis gemmæ nomen merentur,ut Opalus, qui coloribus variis,diaphanitate, radiorumque reflexu egregie præ aliis gemmis ſuperbit.Ad pulchritudinem ſplendor referendus non eſt,quia polituram durioris lapidis,ac abſurdo colore præditi,ſequitur.

Pulchri qui.

Hactenus lapidis,gemmæque definitiones traditę ſunt,quę procul dubio non omnibus placebunt, quod differentias eſſentiales non contineant, ſed tantum accidentales, & quæ non videntur debere diſcrimina in rebus conſtituere.Quid enim ſi Adamas reperiatur humani capitis magnitudine,& copioſe in aliqua provincia nondum cognita? an propterea deſinet eſſe id quod eſt,videlicet Adamas,& gemma?Fateor manere quidem Adamantem. Sed propter magnitudinem & copiam vileſcet,nec amplius nomen gemmæ habebit. Quia gemmæ vocabulum potius raritatem, pretiumque lapilli, quam eſſentiam ipſius explicare videtur, propterea quod omni-

DIVISIO LAPIDUM ET GEMMARUM.

- **Lapis alius**
  - **parvus**
    - **rarus**
      - **durus**
        - **Pulcher**
          - **Opacus**
            - integre, Turcois, Chameus.
            - non integre, Sardonyx. Aſtroites. Leucoſapphirus. Opalus.
          - **Diaphanus**
            - colore: Hyacinthus. Beryllus. Rubinus. Praſſius. Rubicellus, Chryſopraſius. Spinellus. Granàtus. Amandinus. Chryſolythus, Balaſſius. Carbunculus. Sapphirus. Smaragdus. Gemma Solis. Almandinus.
            - ſine colore Adamas.
        - **Turpis**: Pantarbe. Brontia. Umbria. Dracontia. Aëtites. Lapis palumbell. Chelidonius. Ovum anguinum.
      - **mollis**
        - **Pulcher**
          - colore: Margarita. Bezoar. Molochites.
          - figura, Oculus Cati, Gloſſopetra. Umbilicus marinus. Lapis Iudaicus. Trochites.
        - **Turpis**: Morochtus. Lap. Caymanum. Enorchis. Lapis cevar. Lap. Manualis. Lap. Rhenalis. Lap. porcinus. Lap. Anguium. Enhydros. Callimus. Lapis Malacenſis. Lapis Manati. Lap. Hyſtericus. Lap. Tuberonum. Lap. Bugolda. Lapis Bufonius.
    - **frequens**
      - durus, Pſeudoadamantes Hungarici.
      - mollis: Lapis fellis. Oculi cancri. Lap. Spongiæ. Lap. Limacis. Lap. Carpionum. Lap. Percæ.
  - **magnus**
    - **rarus**
      - **durus**
        - **Pulcher**
          - **Opacus**: Porphyrites. Heliotropius, Smaragdites. Iaſpis. Lapis Lazuli. Achates. Corallus. Ophites. Cornu Ammonis.
          - **Diaphan⁹**
            - colore, Amethyſtus. Topaſius. Smaragdopraſius.
            - abſque colore: Cryſtallus. Pſeudoadamas Bohemicus.
        - **Turpis**: Steatites. Eneoſtis. Stalagmites. Onyx. Ceraunia. Baſaltes. Smiris. Dactylus Idæus. Oſſifragus. Stalactites. Lydius. Lap. Nephrit. Lap. Sanguinalis. Geodes. Magnes. Hephæſtites. Hyſtera petra.
      - **mollis**
        - **Pulcher**
          - colore. Specularis. Alabaſtrum. Succinum. Armenus.
          - figura. Ammites. Stellaris.
        - Turpis. Aſius. Samius. Ageratus. Melitites. Gagates. Porus. Schiſtus. Thyites. Amiantus. Galactites. Margargenteus. Hæmatites. Phrygius. Calamita alba. Fungifer.
    - **frequens**
      - **Durus**
        - Pulcher. Marmor.
        - Turpis. Cos. Pyrites. Saxum. Silex.
      - mollis. Gypſum. Talcum. Pumex. Sciſſilis. Lithanthrax.

Hæc Tabula ad fol. 15. poſt cap. 1. lib. 1. pertinet.

omnibus linguis id nomen pro lapillo pretioſo explicetur. Quæ autem frequentia ſunt, & magna mole inveniuntur, pretioſa, & rara nunquam ſunt. Si quis differentias eſſentiales quibus lapis à lapide, aut gemma à gemma differt, perſcrutari, ac inde diviſionem generis in ſpecies elicere velit: neceſſe eſt ut vel formam, vel materiam lapidum, vel utramque iſtorum cognoſcat. Nam cum ſint corpora naturalia, forma, & materia conſtant; Quæ materia licet homogenea videatur, tamen ex rebus diverſis conflata eſt, quæ inter ſe ut ſunt diverſo modo mixtæ, ita etiam diverſos lapides producunt, ut ex capite de lapidum & gemmarum materia intelligetur. Ut itaque diverſitas hæc innoteſcat, & quid unicuique proprium ſit appareat, inprimis quot modis lapides à ſe differant oſtendere convenit.

Cap. II.

De Lapidum differentia in genere.

VT planta in arborem, fruticem, cremium, & herbam dividitur, magnitudinis prȩcipue habita ratione, ita etiam in lapidis diviſione non plane abſurdũ viſum fuit in priore tabella præcipuas differentias & communiſſimas à magnitudine ſumere. Quia tamen differentiæ illæ quæ à forma & materia rerum accipiuntur, rei uniuſcuiuſq; naturam melius explicant, quam illæ quæ deſumuntur à figura externa, ac qualitatibus, quæ ſenſus externos afficiunt, qualis magnitudo, color, & ſimiles ſunt: nihilominus tamen, quia iſtæ palam ſunt, ac ſenſibus omnibus, viſuique præcipue obviæ, taleſque, ut dum forma aut materia non facile indagari poteſt, ipſæ lapidem à lapide diſtinguere videantur: utile iudicavi omnes hic, aut ſaltem quas obſervare potui, oſtendere.

Cap.

Cap. III.

Differentiæ Lapidum, & Gemmarum à loco natali, & à modo ortus.

Lapides, quia à ſemine, ut plantæ vel animalia, non naſcuntur, alii vel ex humore qui terreſtres portiones in minima reſolutas in ſe continet, paulatim augentur additione novi humoris, ut Unio, & Bezoar, vel ex luto areſcente coaleſcunt. Nonnulli etiam è radicibus aut quod radicum loco eſt excreſcunt, ut Cryſtallus, Amethyſtus, Baſaltes, & ſimiles, qui confuſam quandam materiam pro radice habere videtur; à qua in angulares figuras prorumpunt: Nonnulli abſque radice oriri videntur, ut granatus Bohemicus, Geodes, Unio, Bezoar, aliique ex animalibus eruti lapides, qui omnes integri nulli alteri materiæ adhærentes oriuntur. Alii rurſus in matre, ſeu theca proveniunt, ut Calim⁹ in Aëtite, Rubinus in Pallacio, alii in veſte, ſeu tegumento, ut Hoplites, alii nudi gignuntur, ut granatus Bohemic⁹, Silex, ac innumeri alii. Sunt etiam qui ex animatis corporib⁹ eruuntur, videlicet è plantis, quadrupedibus, avibus, piſcibus, ac inſectis: ut ſemen Lithoſpermi, Bezoar, Alectorius, lapis tuberonũ, ac Limacius; Sunt alii qui in corporibus anima privatis oriuntur, ut in aëre Ceraunia, in aqua Silices, in terra diverſi, prout illa diverſo modo ſe habet. Nam in molli, & friabili granatus Bohemic⁹, in molli & viſcida Cos. In aſpera & lapidoſa ſilex, in aſpera & metallica magnes, & marchaſita. Alii rurſus lapides cuticulis, ſeu ſquammis ceparũ inſtar, ac humoris acceſſione augentur: alii acceſſione pulveris, ut ſaxa aëri expoſita. Pulvis enim in lapidem deiectus accedente pluvia illi affigitur, ac paulatim ſpiritus lapidifici beneficio indureſcit in lapidem.

In-

Inveniuntur præterea qui per additionem diverſarum maſſarum excreſcunt, ut Marmora, Iaſpides, & Achatis genera, in quibus partes diverſæ coniunctæ conſpiciuntur: ac alii qui per contractionem in lapides abeunt, ut Cryſtalli, & angulares omnes, quos recedente à maſſa humido non eſt dubium ſe contrahere, ac in angulos faceſſere. Atque hæ ſunt præcipuæ differentiæ, quæ à modo, ac loco ortus proveniunt, quarum differentiarum cauſæ in ſequentibus capitibus oſtendentur. Scio alios lapides in oriente, alios in occidente naſci, ſed iſta loca differentiam nullam conſtituunt, cum omnis generis lapides in quavis cœli conſtitutione naſcantur, vel naſci poſſint.

CAP. IV.

De differentiis, quæ à ſubſtantia ſumi poſſunt.

INter lapides, alii partes habent in ſe diſtinctas, alii indiſtinctas. Quæ diſtinctas habent, vel punctulis diſtinguuntur, vel corporibus. Punctulis diſtinguuntur Iaſpides nonnulli, Ophites, Saxaq; vulgaria, in quibus arenulæ conſpici poſſunt. Sunt enim corpuſcula exigua atomis vix maiora: corpora vero, quibus diſtinguuntur lapides, vel ſunt unius coloris, vel plurium colorum. Unius coloris, nempe rubei corpora habet Heliotropius, vulgus guttulas ſanguineas vocat. Plurium colorum corpora habent Marmora diverſi generis. Ad ſubſtantiam etiam refertur durities, alii enim molles ſunt, alii duri. Molles, vel digitis teri, ut lapis Armenus, vel ferro poſſunt, ut Bezoardicus, ac infiniti alii. Duri vel chalybe teri, & ſcindi, ut Cryſtallus, vel Smiri lapide, ut Iaſpis, & Smaragdus, vel tantum Adamante poſſunt, ut Adamas, & Topaſius orientalis neotericorum.

corum. Ad ſubſtantiam non minus, quam priores differentiæ videtur ſpectare forma, & figura extrinſeca, qua alii lapides ſunt angulares, alii rotundi. Angulares pluribus angulis, ut Baſaltes, vel ſex, ut Cryſtallus proveniunt. Rotundi aliqui ſecundum longitudinem ſunt, ut Silex, vel ſecundum omnem dimenſionem, id eſt, fere ſphærici, Granatus, Geodes, aliique complures.

Ad figuram refertur quod alii habeant lineas à ſeſe coloribus diſtinctas, ut Sardonyx, alii ſuperficies, ut Achates, Marmor, & Iaſpis. Deinde quod alii poroſi ſint, ut Alabaſtrum, quod humorē tranſudat, alii denſi, ut Achates. Item quod aliqui concavi ſint, ut Geodes, Aëtites, Bezoar, & Chalcophanos, alii pleni, ut cæteri fere omnes.

Cap. V.

De differentiis Lapidum, quæ ab actione, & paſſione eorum accipiuntur.

Quemadmodum uniuſcuiuſque rei actio ab intrinſeca quadam vi, id eſt, forma ſubſtantiali videtur originem ducere, ita paſſio à materia quæ formæ ſubiacet. Differentiæ propterea quæ ab his ſumuntur, id eſt, effectuum varietas, lapidem à lapide melius diſtinguit, quam qualitas, quæ à figura extrinſeca, aut ſenſuum externorum obiectis (ut ſæpius monui) deſumitur. Lapides itaque nonnulli electricam vim fricatione calefacti habent, ac pilos trahunt, ut diaphani & duri, nempe Topaſius, Rubinus, Adamas; alii non, ut opaci, nempe Iaſpis, Sarda, Achates, exceptis bituminoſis, ut Succino, Gagate, & Lithanthrace. Præterea ſunt è quibus ignis excutitur, ut è Silice, Iaſpideque, & è quibus non: nam ex Unione, aut Bezoar nullus excutitur.

Alii ſunt præterea lapides, qui accenſi ardent, ut Succinum, Gagates. Alii qui non, ut Iaſpides, Marmora, Saxa, ac complures alii. Ad actionem lapidum etiam ſpectat quod nonnulli homini amici ſint, ut Nephriticus, Unio, Turcheſia, nonnulli inimici, ut Onyx. Qui amici ſunt, infinitis modis diſtinguuntur. Nam alii urinam movent, ut Nephriticus, alii ſudorem movent, ut Bezoar, alii purgant, ut Molochites, Cyaneus, & lapis Armenus, alii à caſu præſervant, ut Turcheſia, alii à dæmoniis, faſcinis, & morbis, ut Corallia, alii morbos curant, ut ſingulis capitibus, ubi de ipſorum facultatibus agetur, explicabitur.

Lapides homini amici qui.

Ad materiam, ut dixi, refertur paſſio. Huc ſpectat quod alii colorem in igne perpetuo ſervent, ut Granatus Bohemicus, alii ſatis diu, ut Sapphirus, alii non diu, ut Topaſius. Deinde quod nonnulli lapides perennent, nec vetuſtate facile ipſorum venuſtas corrumpatur, nonnulli vero è contra facile ſeneſcant, ac ætate turpeſcant, ut Margaritæ, & Turcheſiæ, quæ coloris magnam faciunt iacturam. Prȩterea quod aliqui ab acribus ſtatim lȩdantur, & corrumpantur, ut Uniones, alii non facile, ut Adamas, & Sapphirus. Alii rurſus lapides polituram egregie recipiunt, ut duriores omnes, alii nequaquam, ut Nephriticus, licet durus, & molliores omnes. Alii inſuper tincturam recipiunt, ut Adamas, qui hac nota ab aliis omnibus diſtinguitur, alii nequaquam.

Sunt prȩterea lapides qui ignis vim perferunt, ut Adamas, & Granatus Bohemicus, & qui nõ ferunt, ſed in calcẽ reſolvuntur, ut Saxum calcarium, Unio, Corallium, multique alii. Sunt enim qui fluunt in igne aquæ inſtar, ut Silices glaciales, & qui non fluunt, illi nempe, qui vel calcinantur in igne, vel igni reſiſtunt. Alii iterũ ſciſſiles ſunt, ut lapis Schi-

ſtus, Amiantus, Talcum, Specularis, alii frangibiles, ut molliores omnes.

Cap. VI.

De differentiis, quæ à qualitatibus, ac obiectis quinque ſenſuum ſumuntur.

Lapides omnes quia ex partibus ſimilaribus conſtant, ac inſtrumentales nullas habent, ut animata corpora, temperiem quandam primarum qualitatum determinatam ab elementis manantem, qua conſerventur, requirunt. Hæc ut varia eſt pro formæ cuiuſque conſervatione, ita etiam diverſos effectus ſi homini applicetur edit. Nam calida qualis in Succino & Gagate deprehenditur calefacit: frigida vero quæ in unione, corallio, ac cæteris percipitur refrigerat. Quemadmodum ſicca quæ in omnibus lapidibus apparet, ſi in pulverem redigantur, exiccat. Differunt autem maxime inter ſe colore. Nam aliqui ſunt diaphani, aliqui opaci. Diaphani aliqui colorem habent, eumque vel rubrum, ut Rubinus, vel roſeum, ut Balaſſius, vel ſanguineum ut Granatus, vel violaceum, ut Amethyſtus, vel viridem, ut Smaragdus, Praſius, Topaſius, id eſt, Chryſolithus recentiorum, vel cæruleum ut Sapphirus, vel flavum, aureumve, ut Chryſolithus, Chryſopaſtus, & quicunq; ab auro nomen habent. Aliqui colorem non habent, ut Adamas, & Cryſtallus. Opaci lapides alii pulchrum, viſuique gratum habent colorem, alii abſurdum. Gratus eſt albus, viridis, flavus, cæruleus, & ruber; Albus apparet in Margarita, Pario Marmore, & Alabaſtro, viridis in Turcoſa, & Malachite. Cæruleus in Cyaneo, & lapide Armeno. Flavus in Iaſpidis ſpeciebus. Ruber in Sarda, & Iaſpide. Inter hos aliqui ſemiopaci ſunt,

ut Chalcedonius,& Sarda,aliqui in una parte tantũ opaci, in altera diaphani ſunt, ut Sardonyx, Achates,& Iaſpis; abſurdum colorem habent, Saxa, Silices, ac viliſſimi quique lapides. Niger color qualis in Onyche, Gagate, & Lydio lapide conſpicitur, à nonnullis pulcher ſi ſplendeat politura, ab aliis turpis, quod iucundus non ſit, habetur. Sæpe etiam uno in lapide non unus color, ſed diverſi apparent. ut in Iaſpide,& Achate videre eſt. Quæ ſæpe multicolores ſunt, imo vix color reperiri vel ſimplex, vel compoſitus poteſt, qui in Iaſpide non inveniatur. Differunt prӕterea lapides odore. Nam aliqui odorem habent, aliqui non. Odor vel gratus eſt, vel ingratus. Gratum odorem Iridis Florentinæ vel violæ habet Geodes Miſenus, ſeu lapis Aldebergicus. Moſchi odorem habet lapis Mariebergius, qui in vena divi Fabiani, & Sebaſtiani invenitur. Serpilli odorem habet Thuringicus, qui prope arcem Beiclingam invenitur. Muſti odorem habet Zeblicius Ophites. Vinum olet Echites apud Solinum, Lac olet Galactites,& Cornu Monocerotis foſſile. Ingratum odorem cornu uſti habet Enoſteus. Sulphuris odorem habent Silices illi, ex quibus ignis excutitur. Reſinæ odorem refert Succinum, ac Gagates, aliaque bituminoſa, quæ inter lapides referri non deberent. Sapores in lapidibus vix deprehenduntur, quam in mollioribus,& qui digitis teri poſſunt: qui à materia unde conſtant, & præcipue à ſalibus, qui iis immiſcentur, diverſitatem ſaporis acquirunt. Differunt inſuper lapides à ſe ſonitu. Nam aliqui ſonum habent intrinſecum, ut concavi omnes, nępe Geodes, Aetites,& Chalcophanos; alii extrinſecum ſonum propter duritiem, alii nullum, vel exiguum, ut lapis Armenus, & quicunque digitis teri poſſunt.

Cæteris qualitatibus accedit quantitas, qua lapides in genere à ſe invicem diſtinguuntur. Nam alii magni ſæpe à natura procreantur, ut Marmora, alii parvi, ut Adamas, Rubinus, Sapphirus, & gemmæ omnes, à qua differentia nos lapidem tanquam genus diviſimus. Raritas, & frequentia, etiamſi qualitas nulla lapidis ſit, tamen quia hac nota à ſeſe diſcerni poſſunt, non inepte (ut nobis videtur) ea pro differentia uſi ſumus.

Lapides etiam inter ſe differunt pondere, ſi enim eadem quantitate ſint, non ideo eodem ſunt pondere. leviſſimus omnium eſt Pumex, & Tophus. Quo denſiores eo graviores, ac illi qui ex metallis originem habent, alios ut plurimum pondere excedunt.

Cap. VII.

Vſus differentiarum.

HActenus differentias præcipuas, quæ in lapidibus & gemmis deprehendi poſſunt, oſtendi: quarum uſus eſt, ut ex illis diverſæ diviſionum ſpecies eruantur, ac ſinguli lapides à ſe invicem melius diſcerni poſſint. Cui itaque prior à me tradita diviſio diſplicet, is facile aliam ex prædictis capitibus concinnare poterit, cum multis diviſionibus ſuppeditent materiam: ut ſequens diviſio demonſtrabit, quæ ex variis capitibus deſumpta eſt, ac nonnullis fortaſſis magis, quam prior.

Cap. VIII.

De mixtorum, gemmarum, & lapidum cauſa efficiente.

CUm D. Opt. Max. ab initio totum hoc univerſum ex nihilo infinita ſua potentia creaſſet, terram

- Lapides ex rebus ſumuntur
  - Animatis
    - volatilibus.
      - Chelidonius.
      - Palumbellarum lapis.
      - Alectorius.
    - non volatilibus.
      - Aquatilibus
        - Piſcibus. Lap. Carpionum. Tuberonum. Percæ.
        - Inſectis. Oculi cancri. Margaritæ. Umbilicus Veneris.
      - Terreſtribus
        - Plantis.
          - Corallium.
          - Lapis ſpongiæ.
        - Animalibus
          - Homine. Lap. fellis. Veſicæ. Renum.
          - Bruto.
            - Quadrupede. Bezoar. Bufonius. Lap. Porcinus. Dracontias. Aſininus.
            - Inſecto. Limacius.
  - Inanimatis.
    - ardentibus. Succinum Gagates. Lythanthrax.
    - non ardentibus. Habentq; figuram
      - certam
        - mathematicam
          - rotundam. Enorchis. Ovum anguinum. Geodes. Aëtites.
          - aliam quā vis
            - angularem. Cryſtallus. Baſaltes. Iris.
            - aliam quamvis
              - hemiſpæricam. } Umbria. Crapaudina.
              - aliam. } Umbria. Crapaudina.
        - alicuius rei
          - Animatæ
            - Toti⁹
              - Senſitivæ. Oſtracites.
              - Vegetabilis. Corallina.
            - Partis
              - Senſitivæ
                - Hyſtera petra. Oculus Cati. Dactylus Idæus. Ammites.
                - Eneoſtis. Ægophthalmus. Triophthalmus. Amiantus.
                - Beli Oculus. Bucardia.
              - Vegetabilis. Piſolithus. Tecolithus. Amygdaloides. Cenchrites. Meconites.
          - Inanimatæ
            - Naturalis. Stalagmites. Steatites. Stalactites. Porus. Pumex. Hæmatites. Ammochryſus. Cadmitis. Capnites.
            - Artificialis. Trochites. Stellaris. Ceraunia. Belemnites.
      - nullam. Sunt vel
        - Diaphani
          - integre
            - duri
              - colore aliquo.
                - Rubro. Rubinus. Spinellus. Balaſſius. Amandinus. Almandinus. Granatus. Alebandinus. Carbunc.
                - Flavo. Hyacinthus.
                - Aureo. Chryſolithus. Chryſopraſus. Chryſopaſtus. Chryſopteris. Chryſolampis.
                - Viridi. Smaragdus. Praſius.
                - Cæruleo. Sapphirus. Beryllus.
                - Purpureo. Amethyſtus.
              - nullo. ut Adamas.
            - molles
              - Parvi. Opalus. Fluores.
              - Magni.
          - non integre ſecundum
            - Partes. Sarda. Sardonyx.
            - Totum. Chalcedonius. Camehuia.
        - Opaci
          - Pulchri
            - Parvi. Turcheſia. Lazuli. Camehuia.
            - Magni. Iaſpis. Achates. Nephriticus. Heliotropius.
          - Turpes
            - Saxa.
            - Silices.
            - Marmora.
            - Marchaſitæ.
            - Lapides. Lapis Armenus. Calaminaris.

Hæc Tabula ad fol. 22. poſt cap. 7. lib. 1. ſpectat.

ram & aquam tanquam materias ad quævis fabricanda ac omne formarum genus ſuſcipiendum procreavit. Terra primo fuit inanis, & vacua, hoc eſt, nulla prorſus re ornata, neque ſemine turgida. Poſtmodum die creationis tertio ſeminalẽ & formatricem facultatem, quia herbas, & arbores, omneq; vegetabile protulit, à Creatore ſuo obtinuit. Hęc facultas procul dubio pro vehiculo habuit Spiritum illum divinum, qui prius ferebatur ſuper aquas, & coadiutricem lucem primis diebus nondum conglobatam: tum ut Spiritus beneficio motus in rebus, tum ut lucis ope cui adnatus fuit calor, alteratio, & conſervatio rerum creatarum fieret. Spiritus enim is potentia calidus eſt, & à lucis calore eius calor in actum redigitur; ita ut motus omnis author, & efficiens rerum omnium cauſa videatur. Rebus enim inſidens, rerumque ſeminalem & formatricẽ facultatem in ſe ferens, tanquam architectus quidam, plantam, ſeu arborem fabricat, pingit, ac tandẽ in infinitum multiplicat. Similem Spiritũ, ubi animantia crearet, D. Opt. Max. illis ad varia officia obeunda, vitamque cuſtodiendam, ac ſpeciem multiplicandam dedit. Homini etiam eundem inſpiravit tanquam animæ proximum inſtrumentum, quo vitam & poſteritatem conſervare poſſet. Hic ut rerum omnium fere author poſt Deũ eſt, ac proximum quaſi eius inſtrumentum, terræ viſceribus, aquæ, & aëri inſidens; otioſus nunquam manet: Sed perpetuo materiam quam nanciſcitur, calore, qui illi innatus eſt, ac ab externo cœleſti excitatur, exagitat, format, ac in varias ſpecies, pro ſeminis ſibi adiuncti, aut materiæ immixti varietate mutat. Hæc varietas efficit ut præter animantia, inſecta, & vegetabilia; tam varia, & multa mixtorum ſint genera. Nam ut pictores ex albo, nigro, rubro, cæru-

Spiritus mundi, lucis, & caloris facultas.

Spiritus mundi igneus, & aereus.

Spiritus mundi

architectus mirabilis.

leo, & flavo colore omne colorum genus facere poſſunt, ita ex rebus à Deo prius formatis, & diverſis, licet paucioribus, infinitas res componere, & efficere poteſt hic Spiritus, formatrice facultate inſtructus. Dum enim materiam, multas alterationes paſſam nanciſcitur, ac ipſe copioſus eſt, nobiliora mixta, ut animantia imperfecta, inſecta, herbas, arbores, & vegetabilia efformat. Dum rudem, ac parum paſſam, metalla, mineralia, lapides, aut gemmas tanquam proxima earum efficiens cauſa, producit. Verum vel materia Seminarium futurę formæ, vel ipſe Spiritus continere debet. Id ſi non fuerit, nihil generatur, aut producitur. Errant propterea, qui ſola elementorum varia commixtione, ac primarum qualitatum beneficio, tanquam efficientibus cauſis, rerum illam varietatem effici opinantur, id enim & ſacris literis, & rationi contrarium eſt. Quia ſacræ literæ vim, & facultatem ſeminalem, ſeu formatricem Deum creaſſe, & terræ indidiſſe tradunt, ſine qua nunquam terra, quacumque ratione aliis elementis commixta, quicquam ope qualitatum primarum ſolarum, producere potuiſſet. Deficiente ſiquidem ſemine, vel formatrice facultate, commixtio diverſarum partium ſemper remanſiſſet, & compoſitũ nullam peculiarem formam habuiſſet. Si quis obiiciat Gemmas ex materia quæ exiguam alterationem ſubierit conſtare, ac ex ea quæ adhuc minorem paſſa fuerit lapides, qui à terra ſimplici vix alio modo, quam quod firmiter illorum partes cohæreant, diſtare videntur, Scire debet, nullam amplius reperiri terram ſimplicem, & inanem, qualis primo die creationis fuerat. Sed ab eo tempore quo illi à ſummo Opifice rerum Seminaria infuſa fuerunt, manſiſſe formatrice facultate fœcundam. Quæcunque itaque terra lapideſcit, aut

Elementorum mixtio ſimplex nihil producit.

Terra ſimplex nulla.

Spiritus lapidificus.

aut in Gemmam abit, lapidificum Spiritum in ſe, tanquam proximam efficientem lapidum & gemmarum cauſam, continet: qui motionis & alterationis ad formam cauſſa efficiens proximior eſt. Nam calor cœleſtis, qui Spiritus calorem in actum redigit; remotior cauſa efficiens eſt, & remotiſſima D. Opt. Max. rerum omnium parens.

Calor universi cõmunis cauſa.

CAP. IX.

De cauſa materiali Gemmarum, & lapidum.

COmmunis fere Philoſophorum opinio eſt, omnia mixta ex quatuor elemẽtis, terra, aqua, aëre, & igne, tanquam materia conſtare, ac lapides plus terræ, gemmas plus aquæ, quam lapides, aut plurima mixta, habere. Quod ad terram attinet, nemini dubium eſt, in lapidibus opacis, plus terræ, quam cæterorum elementorum eſſe. Id enim gravitas, durities, color, & analyſis, ſi in pulverem terantur aut redigantur, evidenter demonſtrat. De gemmis non ita conſtat, propter diaphanitatem, perſpicuitatem, & tranſparentiam, quam multi putant ab aqua, quæ etiam diaphana eſt, ſi videlicet à ſicco terreſtri condenſetur, provenire, non ſecus, quam aqua à frigore condenſata in ſpeciẽ Cryſtalli abit. Verum vehementer falluntur: Quia diaphanitas, aut perſpicuitas gemmarum, non propter aquæ copiam condenſatam, ut poſtea fuſius docebo, ſed propter terræ exactam in minima reſolutionem, talemque partium unionem, ut totum corpus nullis poris, aut atomorum terminis diſcretum ſit, efficitur. Continuitas enim omne corpus diaphanum facit, quæ in terra fieri non poteſt, niſi ipſa in corpuſcula atomis longe minora redigatur, ac illis terreſtre quippiam tranſparens addatur, ut vin-

Diaphanitatis cauſa.

culum minimarum partium ſit, ac earum terminos obliteret, atque ex illis continuum corpus faciat. Non eſt itaque magis aqua gemmarum materia, quam lapidum, cum à gemmis lapides aliter non differant, quam quod lapidum materia impurior, craſſior, minuſque ſubacta, & cocta, gemmarum tenuior, purior, magiſque ſubacta, excocta, ac condenſata ſit. Utriuſque profecto fere tota terreſtris eſt, minimum aëris, aquæ, vel ignis in ſe habens; licet ad lapidis, aut gemmæ generationem aqua, aut ignis magis quam aer neceſſaria ſint. Aer enim à diaphanis, & gemmis plane excludi debere videtur, ne partium continuitatē, & diaphanitatem impediat. In lapidibus ſiquidem aer atomos terreſtres terminat, ac illorum poros opplet. Neceſſitas aquæ præcipue requiritur ad coniungendas ſubtiliſſimas terreſtres partes, ignis ad ſubigendas, exiccandas, & condenſandas, ut indureſcant, & corruptioni reſiſtant, quam humiditas, & corporis mollities promovet. Verum ignem, aquam, & aerem actu manere in gemmis, & lapidibus omnibus, potius ratione, quam ſenſibus probari poteſt. Quis enim in Adamante, & auro, (à quo chymica arte, igniſque beneficio nullæ heterogeneæ partes ſeparari poſſunt) hæc oſtendere poteſt. Philoſophorum tamen omnium fere opinio eſt, omnia mixta, & proinde lapides & gemmas, ex quatuor elementis tanquam materialibus cauſis conſtare. Id etiam ſi concedatur, remotæ tamen eæ ſunt, ut pote omnibus mixtis communes. Ab hac opinione decedunt Paracelſiſtæ, qui mixtorum omnium, & proinde gemmarum & lapidum principia materialia alia conſtituunt, videlicet ſalem, ſulphur, & mercurium; propterea quod partibus mixtorum ignis opera ac ſpagyrica arte ſeparatis, ſal aperte, mercurius vaporis

Aquæ neceſſitas.

Gemmarum, & lapidum cauſa.

Materia gemmarũ ſecundũ Paracelſum.

aquei

aquei inſtar, ac deinde ſulphuri quiddam ſimile, & quod ignis noſtri vulgaris ſit pabulum & alimentum, appareat. Hæc opinio etſi multis veriſſima videatur propter analyſin, quæ idem in omnibus fere mixtis comprobare videtur: tamen neque in auro, neque Adamante hæc principia oſtendi facile poſſe exiſtimo. Scio multos iactare ab auro ſe hęc principia ſeparare, tandemque oſtendere poſſe: Sed nemo hactenus vir bonus mihi ſe id præſtitiſſe auſus fuit aſſerere. Quæcunque auri ſolutiones à Chymicis oſtenduntur, ab adiunctis materiis, non ab auro venire videntur. Interdum enim ſali, ſulphuri, aut mercurio quid ſimile ſe ab auro ſeparare oſtentant, ſed vel illi ſe, vel alios decipiunt, quod huiuſmodi ab auro non provenire, reductio manifeſte demonſtret. Si enim materia iterum igni concredatur, redit iterum ad priorem formam aurum; quod ſi in principia ſua reſolutum fuiſſet, nequaquam contingeret: quia à privatione ad habitum (Philoſophorum teſtimoniis) non datur regreſſus. Verum etſi id præſtare poſſent Chymici, ut multi opinantur, quibus non repugno, ac illorum opinio de tribus dictis principiis veriſſima eſſet: non tamen propterea Ariſtotelis falſa eſſet. Utræque enim ſimul veræ eſſe poſſunt: Nam neque ſulphur, neque mercurius, aut ſal Chymicorum, ſimplicia corpora ſunt, & elementa, ſed mixta ex ſimplicioribus conflata, videlicet ex elementis Ariſtotelicis: ex ſale enim quolibet etiam depurato, quem principium mixti vocant, & aqua & combuſtibile ac terreum quippiam elici poteſt. Idem de ſulphure aſſeri poteſt. Nam quod in eo flammam concipit, ignem Ariſtotelis, quod vero illi tanquam corpus aſſiſtit, reliqua elementa refert. Verum ſi iſta ſua principia nec heterogeniis partibus conſtare velint, nomine aliud,

Aurũ non ſolvitur facile.

Principia Paracelſica compoſita.

aliud, re elementa habent. Nam ſal, quia grave, & durum, terra erit; Mercurius, quia levis & mollis, aqua; Sulphur vero, quia combuſtibile, & aër, & ignis erit Ariſtotelicus. Ut itaque ex quatuor elementis mixta, gemmæque, & lapides conſtare, ita etiã ex tribus illis Paracelſi principiis poſſunt. Manifeſtius tamen in gemmis, & lapidibus fere omnibus, terræ elementum, quam dictorum principiorum aliquod, conſpicitur. In chymica tamen eorum analyſi Paracelſi principia, ex elementis compoſita, non minus, quam elementa aperte in conſpectum veniunt: præ cæteris autem ſal, ſine quo nullum mixtum coagulari poſſe à Chymicis putatur. Hoc enim gemmarum & lapidum præcipuum coagulum arbitrantur. Sed ut elementa nonnulla remotæ ſunt lapidum & gemmarum materiales cauſæ, ita etiam Paracelſica principia. Proximior cauſa materialis gemmarũ, communiter ab Ariſtotelicis ſtatuitur, lutum lentum, ſuccus, qui vehementi frigore congelaſcit, in quo aqua ipſa terram ſuperat, ramenta Saxorum, & ſuccus lapideſcens. Hæc etſi vere ſtatuantur, non tamen materiam ſatis explicant. Quid enim lutum lentum, & ſuccus lapideſcens ſit, non conſtat. Puto itaque proximam gemmarum materiam eſſe terram, tam tenuem, & ſubtilem, ut aquę immixta diaphanitatem ipſius non impediat, lapidum vero craſſiorem. Deinde amborum ſalem aliquem terræ viſceribus concluſum, ac poſtremo exhalationem pinguem, vel humidam. Non quod omnes neceſſariæ ſint pro lapidum, vel gemmarum materia, ſed quod aliquæ. His ſi accedat cauſa efficiens, lapidem, aut gemmam generari exiſtimo. Materiæ proximæ, aqua plerumque inſervit, tanquam cauſa quædam adiuvans, ut exhalatio. Aqua enim dum terram tenuiſſimam hume-

Gemmarũ principia.

Chymia prodit principia rerum.

Elemẽta remotæ cauſa ſunt gemmarum.

Proxima gemmarũ cauſa.

Vera cauſa materialis gẽmarum.

Aqua cauſa adiuvãs.

ctat,

ctat, lutum facit; Dum id maiori copia diluitur ac aqua, vel lutum ſalem continet, iam proxima lapidis materia conſtituitur, ac propter aquæ copiam non lutum amplius, ſed ſuccus lapideſcens, ſi facultas lapidifica illi inſit, dici poteſt. Quod ſi non inſit, accedente efficiente cauſa, id eſt, ſpiritu lapidifico, aut exhalatione, eundem ſpiritum deferente, materia in lapidem, excluſa aqua, omnique humido ſuperfluo quod coagulationem impedit, convertitur. *Succus lapideſcens.*

CAP. X.

De cauſa formali, & modo quo lapides, & gemmæ generentur.

CAuſa formalis lapidum, vel gemmarum, nihil aliud eſt, quam virtus lapidifica, quæ vel materiæ præparatæ inſidet, vel efficienti cauſæ accedere debet, ut lapis fiat. Hæc à Deo Opt. Max. ut aliarum rerum ſeminaria, ordinata, conſtituta, & creata eſt, nec, ut Ariſtoteles, Galenus, aliique Ethnici opinati ſunt, ex quatuor elementorum combinatione, ac illorum temperie, cooperantibus primis aut ſecundis qualitatibus, naſcitur, oritur, aut producitur. Nam, ut ante admonui, ex illorum quantumvis varia mixtione abſentibus rerum ſeminatiis nullum mixtum propria novaq; forma ornatum produci poteſt. Manent quippe confuſa, ſibique invicem appoſita, ac proprias & ſingulares ſuas formas, ut ante mixtionem retinent. Quod ſi abſque rerum ſeminariis potuiſſet forma è materia ex elementis compoſita gigni, fruſtra Deus rerum ſemina terræ indidiſſet. *Virtus lapidifica.*

Modus quo lapides & gemmæ generantur, non unus eſt, ſed multiplex, & diverſus. Idque propter- *Quomodo gēmæ generentur.*

ea

ea quod lapides ex craſſiori materia, gemmæ ex tenuiſſima generentur. Deinde quod aliquæ diaphanæ ſint, aliquæ angulis creſcant, variiſque coloribus ornentur: quemadmodum & lapides, quorum aliqui, ut Baſaltes, angulis excreſcunt, aliqui ad gemmarũ naturam proxime, ut Marmora quædam, accedunt: qui ex non adeo craſſa materia conſtant. Hæc in lapidibus & gemmis varietas, etiam diverſum modum quo procreentur deſiderat. Lapides craſſiores plerumque ita generantur. Dum aqua ſuccum lapidificum ferens terræ partes nectit, ac aqua è maſſa iterum exſtillat, vel ab exhalatione calida expellitur, aut abſumitur, maſſa illa paulatim expulſo humido indureſcit, donec in lapidem formam maſſæ ſervantem abeat. Si humidum à calore non expellatur, ſed à caloris defectu excludatur, ac terra ſeu materia lapidea in aqua ſoluta ſe ad intima recipere conetur, multorum angulorum lapis producitur ut Baſaltes: ſi ad centrum ſe recipere conetur, globoſus lapis naſcitur, & ſphæricus. Gemmæ diaphanæ hoc modo procreantur. Dum in materia ad generationẽ lapidis apta concavus locus aliquis aëre plenus eſt, ac is ab exhalatione, vel à ſucco lapideſcente, & diaphano è ſubtiliſſima lapidum materia conſtante repletur, abſorpto à materia circundante concavitatem humido, aut eo evaporato, terreſtris ſucci lapideſcentis pars in gemmam perſpicuam concreſcit, quæ concavitatis figuram ſervat, ſi tantum materiæ, quantum ſpatium requirit continuus ſucci affluxus, ſecum tulerit. Alias ſiquidem humido aquoſo abſorpto, vel à materia ſecreto, quod propter caloris defectum (ut in nitri congelatione oſtenditur) fit, in angulos gemma contrahitur. ita Cryſtallus generatur. Dum abſorbetur humiditas lapideſcẽtis ſucci à circunſtante materia,

Craſſiorũ lapidum generatio.

illa

illa in lapidem, qui mater vel cutis gemmæ dicitur, concreſcit. ſic Chalcedonii fere naſcuntur, in cute opaci, intus vero diaphani. Dum vero è materia circumſtante exhalat in aquam aut aërem concluſum cum ſpiritu tenuiſſima & perſpicua terreſtris materia, etiam aër vel aqua paulatim indureſcit, conſumitur, vel evaporat, ac in locum illius gemma diaphana ex immiſſa materia excreſcit.

Cap. XI.

De forma ſubſtantiali, & eſſentia lapidum, & gemmarum.

Forma ſubſtantialis lapidum vel gemmarum eſt quæ dat ipſis eſſe proprium, & propter quod vel Adamas, vel Ophites, vel Pumex, eſt id quod eſt. Quilibet enim lapis, quævisve gemma propriam formam habet, qua hæc vel illa gemma dicitur, & ab aliis diſtinguitur. Forma illa proficiſcitur à ſeminario, & ſpiritu qui in materia eſt, ac illam prout ſeminarium poſtulat, efformat. Hanc formam multi ex mixtura certa & proportionali elementorum produci exiſtimant. Sed rerum formæ à ſeminariis ſuis proficiſcuntur, ac ab architectonico Spiritu elaborantur, ut prioribus capitibus oſtendi. Seminaria vero à Deo creata ſunt tanquam rerum principia, ex quibus ſingulę rerum ſpecies ſuas eſſentiales formas nanciſcuntur. Hæc ſeminaria non ſemper certis corporibus & diſtinctis concluduntur, ut in herbarum ſeminibus fit, in quibus ſeminarium, & Spiritum architectonicum concludi videmus, ſed ſæpe in materia ita manent, ut conſpici nulla ratione poſſint. Sic in ramo ſalicis ſeminarium arboris confuſum eſt, quod tamen ibi eſſe, propagatio arboris docet. Nam ſi ramus amputetur, ac terræ com-

Seminaria rerũ.

committatur, producitur ex ramo arbor, ac ex illa infinitæ aliæ. Seminarium gemmarum & lapidum in materia lapidifica eodem modo conſpici etſi nō poſſit, tamen futuris gemmis vel lapidibus principium præbet & ope Spiritus formatrice facultate præditi in gemmam vel lapidem abit. Ut autem ſeminarium iſtud eiuſque eſſentia ignota eſt, ita etiam forma ſubſtantialis, ſeu eſſentia lapidum, & gemmarum. Hanc ſicut umbra corpus ſequitur, ita virtutes, & facultates ſequuntur. Gemmarū enim & lapidū vires nobiliores & occultæ à forma ipſarum, ut ignobiliores & manifeſtæ à materia manant. Sic vis trahendi ferrum in Magnete, ac ſiſtendi ſanguinem in Hæmatite à forma, exiccandi vero in Pumice, à materia proveniunt; atque hæ virtutes vel efficaces, vel minus efficaces fiunt pro diſpoſitione materiæ. Hæc enim ſi impura fuerit, non exacte elaboratam fuiſſe, neque ſeminarii vires efficaces ſuſcipere potuiſſe certum eſt, & proinde formam ſubſtantialem imperfectam eſſe; ut nec hominis eſt, ſi ſtultus ſit, & ratione uti nequeat. Ratio enim præcipuam facultatem à forma & eſſentia hominis proficiſcentem conſtituit.

Seminarium gēmarum occultū.

Gemmarum vires à forma.

Cap. XII.

De loco, & ſubſtantia in qua lapides, & Gemmæ generantur.

De cauſis lapides & gemmas generantibus, earumque eſſentia, ſeu forma ſubſtantiali ſatis dictum videtur. Nunc quia abſque loco generari non poſſunt, ac ille abſque ſubſtantia ſeu materia non ſit, cum nihil vacuum in natura detur, non ſolum is, ſed etiam illa oſtendenda eſt, ac præterea in quo loco vel materia facilius, commodius, & perfectius

fectius generentur. Quod ad locum attinet, experientia teſte, in quavis mundi plaga viliores, & craſſiores lapides generantur; turpes, ſaxa, & montes ſub polis, æquinoctiali, & tropicis conſiſtentes id demonſtrant. Lapides ex tenuiori materia conſtantes, ut Marmorum genera, rarius circa arcticum circulum inveniuntur. Puto tamen non minus ibidem, quam alibi non deficientibus aliis requiſitis ad earum generationem produci poſſe. Gemmas etiã aliquas in quovis cœli climate produci poſſe, docet nova Zebla ſub arctico circulo poſita, in qua totum littus, (teſtantibus Hollandis, qui primi Europęis hanc terram aperuerunt,) Pſeudoadamantibus, qui ſilicum inſtar globoſi ſunt, ſcatet. Teſtatur etiam Germania, Sileſia, & Bohemia, in quorum montium iugis, perpetuis algoribus & nivibus rigentibus, gemmæ varię, ut Topaſii, Amethyſti, Cryſtalli, Iaſpides, Corneoli, Sapphiri, Turcoſæ, aliaq; gemmarum genera inveniuntur. Nobiliora gemmarum genera in Indiæ orientalis regionibus præcipue reperiri ſatis notum eſt. Procul dubio ob id, quod illæ intra tropicos ſitæ ſint, ac propterea perpetuo Solem vicinum habeant, illiuſq; æſtu fruantur, ſine quo è terra exhalationes, quæ ad gemmarum nobilium propagationem, & generationem copioſe requiruntur, produci non poſſunt. Quod autem in Indię orientalis regionibus gemmæ nobiliores producantur, in Africa vero, & America, aliiſque regionibus, quæ ſub eodem climate, aut latitudinis gradu conſtitutæ ſunt, raro, & ſi producantur, orientalibus gemmis conferendæ non ſint, multi in cauſa ſolem exiſtimant; quia virtus eius ut aiunt in oriente efficacior eſt, quam in occidente; Tũ quia vicinior, tum quia citius orientales regiones ſuis radiis ferit. Sed ut verum fatear abſurda

Saxa ubiq; reperiuntur.

Pſeudoadamãtes ſub arctico polo inveniri.

India gẽmarum fertilis.

mihi hæc ratio videtur. Quia nulla pars orientalis dici niſi reſpectu alterius poteſt, & eadem, reſpectu ſuorum antipodum, vel etiam vicinorum, aut orientalis, aut occidentalis eſt. Exempli cauſa Hiſpanis Italia, Italis Græcia, & Græcis Perſia eſt orientalis. Iterum vice verſa Indis Perſia, Perſis Græcia, Græcis Italia, Italis Hiſpania eſt occidentalis. Simile etiam antipodibus contingit. Nam Americani Indorum ſunt antipodes. India Americanis orientalis eſt, eadem ipſis occidentalis, cum proficiſcenti occidentem verſus in eam pervenire liceat, neque maius itineris ſpatium ſit, ſive occidentem, ſive orientem verſus ad eam iter inſtituatur. Cum itaque eadem regio cum antipodum regione comparata, vel orientalis, vel occidentalis ſit: Quid, quæſo, iſte reſpectus, qui non aliter ſe habet, quam dextrum, & ſiniſtrum in homine, & per ſe nihil eſt, ut omnis relatio efficere poterit? nihil profecto. Si itaque India orientalis gemmarũ nobiliorum ferax eſt, id non propterea quod orientalis ſit noſtri reſpectu contingit, ſed propter aliquam aliam cauſam. Non quia Sol illis vicinior eſt; omnibus enim ſub eodẽ latitudinis gradu habitantibus æque vicinus eſt, apud quos tamen non naſcuntur. Non etiam quia, ut aliqui opinantur, citius orientem Indiam ſuo calore fovet, quam occidentem; Quia neque hoc niſi reſpective verum eſt. Nam in Hiſpania prius oritur Sol quam in Mexicana, in hac prius quam in Iaponia, & in Iaponia prius quam in India; ut hac ratione dici poſſit, citius in Hiſpania oriri. Verum dum Sol Hiſpanis oritur, verum eſt ante paucas horas elapſas Indis ortum fuiſſe. Quemadmodum verum eſt ſolem qui hoc momento Hiſpanis oritur, poſt 18. horas Indis oriturum fore. Ita idem ortus ſolis in Hiſpania, vel prior, vel poſterior, ſed reſpective dici

Cur India gemmarum ferax.

dici poteſt. Cum itaque Sol eodem modo ad quemvis latitudinis gradum dum orbem terrarum circumit, ſe habeat, neque aliquo in loco prior, vel poſterior niſi reſpective dici poſſit: certiſſimum eſt propter id nihil ſolem in rebus mutare, neque propterea uni regioni plus quam alteri tribuere. Cauſa ergo quod in India gemmæ nobiliores inveniantur potius quam in aliis locis, vel eſt terræ natura, vel cœli, ſtellarumque ſupra eminentium virtus. Cœlum, vel ſtellæ ſupra Zenith conſtitutæ ſi id efficerent, non tantum in India, ſed ſub eodem climate propter orbis quotidianum motum naſcerentur. Id quia non fit, reſtat terræ peculiarem diſpoſitionem in cauſſa eſſe, quod in India nobiliores gemmæ naſcantur. Niſi forte quis velit, in Africa & America ſub eodem climate eaſdem non minus, quam in India generari: Verum hactenus repertas non eſſe; quod ab incolis barbaris incognitæ, & neglectæ ſint: Ab Indis vero orientalibus, ante multa ſecula omnes regni angulos & loca ita eſſe explorata, ut illis nulla gemma latere poſſit. Nam & nunc in Germania, Bohemia, Sileſia, aliiſque Europæ provinciis contingit, à peritis metallariis ac ſimpliciſtis multa in lucem trahi, quæ priori ævo abſcondita, & incognita fuerunt. Multæ etiam gemmæ cuti aut ciſti ſaxeo ita includuntur, ut pro ſaxis habeantur, & non niſi à perito noſci poſſint. A paucis annis hic in Bohemia multi lapides pretioſi in lucem protracti ſunt, & in Hungaria Opali, qui cum orientalibus certare poſſunt, imo illos raritate, & dignitate ſuperare. Vidi enim qui ex nigro colore (cum alias albeſcant) ignem iacerent vivi carbonis inſtar, quos quis recte Carbunculos vocare poſſet. Si quis itaque aſſerat, in America & Aphrica æque nobiles, ac in orientali India gemmas generari poſ-

Cur India gemmas nobiliores habeat.

 ſe,

ſe, non repugno. Sub eodem enim climate cur terra ad gemmas æque diſpoſita, ac in India orientali eſſe non poſſit non video. Verum an ſit, dubium eſt, propterea quod, ut dixi, ab iis qui gemmarum habent cognitionem, illę provinciæ non ſint adhuc examinatæ. Poteſt ſane India terram habere gemmarũ generationi aptam, America vero, & Aphrica nequaquam.

In qua materia naſcãtur gemmæ.

Hactenus locus in quo lapides, & gemmæ generentur demonſtratus eſt; nunc materiæ in quibus generentur oſtendendæ ſunt. Hæ ſunt aër, aqua, terra, & ignis reliquorum corporum elementa. Nam in horum ſingulis gemmæ, vel lapides fieri, vel generari poſſunt. In aquis naſcuntur plerunque lapides, vel gemmæ perſpicuæ, dum exhalatio terreſtris, vel ſuccus lapideſcens eam indurat. In aëre ſubterraneo ſimili modo gemmę tranſparentes naſcuntur; Dum is in terræ meatibus concluditur, ac exhalatio concavũ locum terreſtri materia ſubtili replet. In aëre vero ſuperiori lapides interdum generantur: dũ exhalatio ex copioſa materia terreſtri à nubium frigore in anguſtum locum cogitur, & induratur. In igne vero noſtrate terram lapideſcere, lateres, vaſa coctilia, & vitra quæ gemmas æmulantur, oſtendunt. Terra vero, gemmarum & lapidum omnium haud dubie eſt feraciſſima; quia illa præcipuam ipſis materiam prębet. Sed non ſolum in illa, ſed etiam in animalibus aquatilibus, aëreis, terreſtribus, & arboribus, gemmæ ac lapides locum generationis habent. In homine ſiquidem, ſue, capra, bove, bufone, capricervo, gallo gallinaceo, hirundine, palumbellis, lucio, perca, cyprino, conchis, oſtreis, aliiſque animalibus ſæpe lapides gemmarum inſtar reperiuntur. Gaudent præterea peculiaribus ſuis locis multæ gemmæ, & lapides; Cry-

In animalibus lapides.

ſtallus,

ſtallus, & molliores gemmæ fere omnes libenter frigidis regionibus, locisque humidis, Nobiliores, & duriores, ut Adamantes & Rubini, calidis delectantur. Omnes facilius, & perfectius in terra molli minuta, & humida, ubi exhalationes & aquæ metallicæ plurimæ ſunt, quam in terra arenoſa, quæ non facile cohæret, ſed diffluit, proveniunt, ac gignuntur. Metallicæ enim aquæ, & exhalationes plerumque lapidificam facultatem in ſe habent, ut ipſa metalla, quæ facile in gemmas, & lapides etſi non veros, commutantur. Stibium enim, & plumbum in Hyacinthi formam, minium in Smaragdi trāſmutatur. Quod profecto non fieret niſi magna cognatio Spiritus metallici cum gemmis eſſet. Aquas autem metallicas vel minerales loca ubi defluunt efficere gignendis gemmis & lapidibus idonea, commonſtrant non ſolū arborum fruſta, quæ ab aqua tranſeunte in lapidem vertuntur, ſed ipſa animalia, ut limaces, & conchæ, ac animalium partes, ut oſſa, cornua, & caro, quæ tandem lapideſcunt, & in rimis ſuis concavis & inanibus tranſparentes lapides gemmarum inſtar gignunt, aëre ab exhalatione perſpicua condenſato, vel ſucco diaphano illic concreto. Terreſtria itaque loca mineralibus aquis vel exhalationibus gravida, præ cæteris omnibus locis, gignendis lapidibus & gemmis maxime ſunt idonea. *In aquis metallicis lapides.*

Cap. XIII.

De lapidum, & Gemmarum accidentibus, earumque forma accidentali.

Cauſis, forma, & loco generationis lapidum & gemmarum explicatis, nunc accidentia ac formæ extrinſecæ explicandæ ſunt. His enim, nobis

(qui eſſentias rerũ intrinſecas prorſus ignoramus) in cognitionem veniunt. Inter accidentia numero formam accidentalem, duritiem, pondus, colorem, opacitatem, & perſpicuitatem. Ad formam accidentalem gemmarum vel lapidum bene conſtituendam magni momenti eſt, materierum, quę ad eas producendas neceſſariæ ſunt, proba diſpoſitio, & mixtio, nec non concurrentium qualitatũ iuxta temperies ac formatricis Spiritus copia ſufficiens, ſituſque, ſeu loci aptitulo. Hæc omnia ſi legitime, & ut cuiuſque lapidis vel gemmæ natura poſtulat, ſe habeant, gemmæ vel lapides abſque vitio producuntur, ſi ſecus, vitioſæ fiunt. Cum itaque Spiritus formatrix, cum materia arenoſa, lutoſa, argillacea, lapidoſa, humida, ſicca, calida, vel frigida, ad lapidis, vel gemmæ generationem, non requiſita quantitate concurrit, ac in loco inidodeo, vitium oritur in lapide qui generatur. Hinc fit gemmas nonnullas feſtucas atomos, plumulas, nebulas, micas, terram, vel lapides in ſe continere, item hiulcas eſſe, ac alienis coloribus tingi, nec eam formam extrinſecam habere, quam ſolent dum legitime producuntur. Dum ſingulorum lapidum vel gemmarum materia neceſſaria, locus & ſeminarium præſto eſt, tum legitima ſingulorum accidentalis forma erumpit; quæ ſane in tanta lapidum, & gemmarum varietate diverſiſſima eſt. Nam nunc globoſa, angularis, ut quadrangula, pentagona, hexagona, heptagona, & polygona, nunc concava, plena, aſpera, læuis, magna, & parva eſt. Interdum animalibus, eorumque partibus, arboribus, aut herbis, rebuſque inanimatis ſimilis efficitur. Globoſam formam habet Granatus Bohemicus inter gemmas, & inter lapides fuſci illi, qui punctis referti partim albis, partim nigris in ditione Comitum Mansfeldenſium, durio-

Ad formã gemmarum ſtatuendam neceſſaria.

Cur gẽma vitiũ habeant.

Quando gemmæ perfectæ fiant.

duriores, & graviores vulgaribus lapidibus inveniuntur. Quadrangulam formam habent Smaragdi occidentales, & Granati ſpurii, hexagonam Cryſtalli fere omnes, ac complurimæ aliæ gemmæ, polygonam habet Baſaltes, concavam Crapaudina, lævem ſuperficiem habent Cryſtalli, & quicunque angulis excreſcunt. Aſperam, qui cuti, aut ciſti includuntur. Nam exempti omnes lævigari à ſculptoribus poſſunt. Magnam formam habent rupes, & lapides ignobiliores: quia ad earum generationem, terra multa, eiuſque exigua alteratio deſideratur. parvam habet Adamas, quia ex puriſſima terræ cõdenſatæ parte, ac exhalatione ignea, quę raro miſceri optime poſſunt, generatur. Animalibus ſimilem habet formam Conchitis, animaliũ partibus Oſteocolla, & Odontia: Arboribus ſimilem habet Corallus, herbis ſimilem Corallina, rebus inanimatis Aſteria, Trochites, &c. (ut in tractatu proprio gemmarum, & lapidum oſtendetur) formam ſimilem nacta eſt. Quod autem aliqui lapides uniti ex una, ſimilique materia geniti videantur, ut Alabaſtrum, & Lydius lapis, ille totus albus, hic totus niger, aliqui vero ex particulis etiam diverſis coloribus conſtare, & nonnulli ex venis diverſis coloribus aquæ fluentis inſtar, ut Achates, Iaſpis, & Chalcedonius conſpiciantur: id propter mixtionem materiæ, ac diſtincta tempora, quibus exhalationes tingunt materiam, dum ea à calore excoquitur, & ab aqua, ſeu ſucco lapideo irrigatur, contingit. Partes enim ſi non uno tempore uniantur, ex fruſtis lapis coagulatus videbitur, ut Marmora maculoſa. Si inter fruſta fluat ſuccus lapideſcẽs, variis coloribus ab exhalatione tinctis, fluentis aquæ inſtar in lapidibus vel gemmis venæ variæ conſpiciuntur, ut in Achate, Chalcedonio, & Iaſpide. Ut mixtio materiæ diver-

Cur diverſi colores in gemmis.

ſa lapidum & gemmarum genera conſtituit, ita etiam in ſingulis lapidibus & gemmis, ſi à determinato modo recedat, vitia plurima efficit. Qualis autẽ mixtio legitima eſſe debeat, natura ſola novit: ſi homini nota eſſet, veras gemmas procreare & gignere poſſet, quod hactenus nemo præſtare unquam potuit. Tentarunt id à multis annis Chymici: ſed nihil præſtiterunt, niſi quis mendacium pro veritate habere velit. Nam quas illi concinnant gemmas, nihil commune cum veris habent, cum neque materiam, neque locum, neque efficientem cauſam, quæ veras gemmas gignere debet, habeant, ac gemmæ ab illis factitatæ, vitra ſint gemmarum coloribus tincta, ita ut præter colorem, diaphanitatem, aliquamque duritiem, nihil ſimile gemmis habeant. ſed de iis ſuo loco. Cur autem rotunda forma lapidibus, & gemmis nonnullis peculiaris ſit, ut Granato Bohemico, Geodæ & Margaritis: aliis figura hexagona in pyramidem hexagonam deſinens, ut Cryſtallo, Amethyſto Bohemico, & Adamantibus Hungaricis, admiratione non caret; Tam enim arcte æquales ſuperficies habet Cryſtallus ut ab artifice politus videatur. Rotundam figuram nanciſci videtur Geodes, quia ex portiuncula argillæ gignitur, quæ cũ humectatur, arenoſæ particulæ illi poſtea facile adhærẽt, & adhærentes ab expirante paulatim humido aquoſo, metallica aut minerali exhalatione gravido, lutum circumſtantes facile uniuntur, & condenſantur, ac rotundam neceſſario figuram, ſi gleba rotunda fuerat, lapidi faciunt: quantum autem à ſphærica figura declinat, tantum & lapis: lutum vero ipſum humido & exhalatione privatum, pulverulentum, ac locus internus ex parte vacuus, redditur. Margaritæ rotundæ ſiunt, quia quodammodo ab atomo, aut exigua ter-

Gemmæ chymicæ falſæ.

Cur fiant rotundæ.

Cauſa rotundæ figuræ.

Perlarũ rotũditas unde.

ræ aut lapilli portiuncula excreſcunt, adiecto ſemper novo humore. Is enim cum portiunculam ab omni parte humectet, & poſtea cõcreſcat, & induretur, neceſſario etiam orbicularem figuram Margaritis tribuit. Nam ſi in corpore animalis, hæc adiectio ab omni parte non fieret, ſed tantum ab una parte, quia videlicet particula illa fortaſſis conchæ affixa eſſet, tum non rotundæ, ſed hemiſphæricæ Margaritę, quales ob eam cauſam plures inveniuntur, fierent. His enim humor non exacte & libere omnem partem humectare poteſt. Quod ad Granatos attinet, videntur ex aquæ guttis in terram, quã humectare non potuerũt, delapſis, quas poſtea ſanguinea exhalatio, antequam humidum evaneſcere potuerit, tinxit, coaluiſſe. Sed nihil in iſtis lapidibus, vel gemmis, quæ formam etiam accidentalem ab eſſentia intrinſeca ſumere videntur, certi quicquam definire auſim. Dabo paulo poſt in hoc capite aliam rotunditatis non ſolum Granatorum, ſed etiam Silicum rationem, quæ fortaſſis magis lectori placebit. De Cryſtallorum angulis, & cauſa cur fere ſemper ſex angulos hadeant, varia eſt authorum ſententia. Cardanus tentat rationem reddere, ſed principium petit. Aretinus, & alii, probabilius exemplo aluminis, chalcanthi, ſalis nitri, & ſacchari candidi, quæ poſt coctionem evaporato humido, à terreſtri materia in anguloſas ſuperficies congelantur, idem in Cryſtallo fieri arbitrantur. Quod autem ſex angulis perpetuo oriantur, hoc inprimis mirantur; ac ideo quia corporibus inanimatis figuram certam aſſcribere velle, id illis videtur rationi minime conſentaneum: cum ad virtutem organicam pertineat certam figuram efficere, quæ ideo ſolis animatis ineſt, anima alicuius gratia agentẽ: figuram autem omnem determinatam eſſe or-

Granati cur rotundi.

Cur Cryſtallus ſex angulos habeat.

ganici corporis, non ſimilaris, quę nullā habet determinatam figuram. Sed quia omne corpus figuratum eſſe debet, aiunt particulas humidorum cum per ſe fuerint, rotundas fieri, ut aquæ guttulæ, aut à continente corpore figurari, ſiccas autem, qua contigerit eas diſcindi, tales ſervari: ac ob eam cauſam, quæ in diſciſſione ordinatam habent diviſionem, ordinatam etiam figuram neceſſario retinere, quæ variam, variari etiam figuram. Diviſionem ſolidorum corporum aliquando fieri ordinatam, ut quæ in cruſtas ſolvuntur, ex quibus coagmentata ſunt. Aliquando in varias fortuito, ut cum frangitur malleo lapis. Poſſe etiam fieri diviſionem in coagulatione, dum humida adhuc ſunt corpora, & partes in diverſa tendunt: quo caſu pro diviſione determinatas figuras fieri, perinde ac in exiccatione ſoli paluſtris, ſcinditur ſolum in rimas diverſæ figurę. Simile etiam fieri in Cryſtalli coagulatione, ſuccum enim lapideſcentem, cum totum ſpatium impleat loci, in quo eſt, in coagulatione diſcedentibus in diverſa partibus terrenis, & ad latera ſaxi continentis attractis agglutinatiſque, figuram facere in concretis lapillis, quæ apta ſit ſpatium replere, ac propterea ſi non uniformiter, ſed vario modo diviſiones contingant, etiam varietate figurarum impleri ſpatium. Si autem uniformiter, quod ob puritatem, & æqualitatem ſucci contingit, neceſſario unum genus figuræ oriri in omnibus, eamque quæ apta nata ſit ſpatium implere. Tres autem eſſe huiuſmodi figuras, triangularem, quadratam, & hexagonam. Non fieri autem triangularem, quia medium non habet ad quod, tanquam ad centrum, undiquaque æqualiter conſtringantur partes. Non quadratam, quia imperfecta eſt, oriens tantum ex duabus lineis ſe invicem ſecantibus ad angulos rectos, & habens angu-

los à centro remotiſſimos. Supereſſe itaque ſolam hexagonam perfectam, ad circuli naturam prope accedentem, quia ex triplici diviſione ſuperficiei ad angulos acutos, ſex triangulis in unum veluti centrum coëuntibus, ut omnes maiores ſint recto, cõſtat. Sed ut verum fatear iſtorum opinio mihi non ſatisfacit. Nam Cryſtalli, etſi in ſpatio oriantur, id tamen non implent, neque angulis, ſaxi lateribus adhærent, ſed à radice quaſi expullulant, ac corpus reliquum in libero ſpatio habent, quemadmodum alumen, ſal nitrum, & chalcanthum ſimili modo in libero ſpatio, imo in humido ipſo angulares figuras ſortiuntur. Deinde ſi hexagona figura perfectior eſt triangulari, & quadrangulari, quia ad circuli naturam propius accedit, & propterea illam Cryſtallus optat, multo magis duodecim triangulorum figuram, aut circularem, optabit, tanquam omnium perfectiſſimam, & in qua omnes extremitates à centro æquidiſtant. In huiuſmodi enim figura commodius, æqualiter, & uniformiter puritas ſucci ad centrum tendet. Sed Cryſtalli nulli circulares inveniuntur, alia itaque huius figuræ cauſa eſſe debet. Putat Aretinus contra rationem eſſe, Cryſtallo & rebus inanimatis certam figuram tribuere, quod figura tantũ animatis competat, & ab anima fiat alicuius gratia agente. Animam autem proculdubio etiam vegetativam, & non ſolum rationalem, aut ſenſitivam intelligit, propterea quod arbores, frutices, herbæ, & flores ſuas peculiares figuras habeant, quibus à ſe invicem diſtinguuntur. Nam ſi hæc excluderet, naturam in iſtis contra rationem (quę tamen nihil fruſtra facit) quid efficere diceret, quod abſurdum eſſet. Ut itaque plantæ quia creſcunt, & in varias figuras formantur, vegetativam animam habere ſtatuuntur, longiſſime ab animantium ani-

ma

ma diſcretam,non video cur lapides nonnullos,qui creſcunt,aut formantur, ut Cryſtalli, creſcitivam, aut formativam animam habere, ſtatui non poſſit. Præſertim cum tanta differentia inter hanc animam,& vegetativam non ſit, quanta inter vegetativam,& ſenſitivam. Plantæ enim à lapidibus tantum differunt,quod ſemen,quo reſuſcitantur,proferant, lapides id, aut nunquam, aut raro faciunt: dicitur ſiquidem, ut in cap. de Adamante notabo, Adamas alium parere. Verum quia nondum conſtat, an Cryſtallus creſcat per augmentationem, an vero per ſeparationem oriatur, ac propterea hæc eius facultas,quæ format ſex angulos,anima creſcitiva appellari non debeat, formativam tamen dici poſſe nihil prohibet, cum rebus nomina libere dentur, & huius facultas ſemper eandem figuram in ſua ſpecie ſervans,animæ (ſed ignobilioris,quam vegetativæ) nomen mereatur, quod rem ipſam melius explicat, non mutat. Non eſt itaque contra rationem,ut ipſe putat, facultatem in re aliqua, ſeu animam,ſi quis ita appellare velit, formam aliquam certam producere. Nam,ſi facultatem ineſſe neget, magis contra rationem peccabit. Cum quicquid illud ſit quod ſemper eodem modo hexagonam figuram Cryſtallo tribuit, aliquid ſit & hoc ipſum efficiendi vi,hoc eſt,facultate figuram faciat. Nec refert an hoc per expreſſionem materiæ inutilis, an per attractionem utilis ad centrum futuri corporis fiat, quia utrumque à facultate aliqua, ut dixi, efficitur. Sed aliorum ſententiis referendis diutius immorari nolo: nunc meam, non contemptis tamen aliorum ſententiis, proferam.

Autoris ſententia cur Cryſtallus he-

Notum eſt, ut antea recenſui, Sal nitrum, ſal urinæ,alumē rochæ,chalcanthum, ſaccharum candidum, aliaque multa ſalium genera, humore diſ-

ſoluta

ſoluta, eoque ex parte poſtea evaporato, congelari, ſeu coagulari, ac formam angularem adipiſci. Demonſtratum etiam eſt in capite de materiali gemmarum cauſa, ad earũ generationem, ſalis multum concurrere. Ex quibus probabiliter colligi poteſt, Cryſtallum, alioſque lapides, aut gemmas angulares, à ſale angularem formam habere. Fit autem forma hoc modo. Sal humore diſſolutum terreſtri materiæ ſubtiliſſimæ miſcetur, eamque in minima acrimonia ſua regit, & ſubigit. Sal ſi copia vincat terreſtrem materiam, evaporato ex parte aqueo humido, in angulos concreſcit, cum materia terreſtri ſibi unita. Si terreſtris materia à ſalis portione regi non poſſit, aliam formam ſuſcipiet gemma, aut lapis, ut rotundam, vel irregularibus angulis præditam. Rotunda fit, dum materiæ coagulandæ partes ſunt prorſus uniuſmodi, ac æquali tempore & vi ad centrum corporis, vel lineam in corporis medio exiſtentem tendunt. Ut in Granatis Bohemicis, quorum nulli vitiũ (ob materiæ optimam, & eiuſdem naturæ mixtionem) habent, contingit. Angularis, dum non æque cito, neque æquali vi partes medium cupiunt; ut in ſilicibus, & quadratis nonnullis lapidibus fit. Cur autem ſalia in hexagonam figurã abeant, difficile eſt coniectu. Exiſtimo, quia ſalia homogeneæ naturæ non ſunt, ſed ex diverſis partibus compoſita, ut chymica reſolutio oſtendit, omnes in congelatione ad medium quoddam, ubi initium coagulationis fit, ut eo uniantur, tendere, ac ſic rotundam figuram tanquam perfectiſſimam ambire: ſed in eo conatu heterogeneas partes, & quæ cæteris ſubtiliores vel magis aereæ ſunt, vel tardius ad medium properare, & in angulis relinqui, vel à reliquis ad angulos pelli, ac ſic non rotundam, ſed hexagonam figuram oriri, quæ rotundæ quam

xagonus naſcatur.

quam proxima eſt, ac aliis omnibus figuris ſingularibus perfectior, quia ex ſex triangulis rectilineis æqualium laterum conſtat, habetur. Fieri autem potius ſex angulos, quam plures, puto ob id, quod natura per plura nunquam faciat, quod per pauciora commodius facere poteſt: facit autem commodius, quia rotundam citius, ordinatius, & æqualius contrahit. Dividit enim circulum per centrum tribus lineis tali modo, ut ſex inde fiant trianguli ęquilateri, ac quilibet centrum habeat ab omni angulo, & à cuiuſque lateris medio æquidiſtans; quod in nulla alia figura pluriū angulorum, vel pauciorum contingit. Si enim in quadrangulum circulus contrahatur, ac id in duas partes dividatur, quatuor quidem emergunt trianguli æquales, ſed illorum latera neque ſunt æqualia, neque etiam centrum habent ab angulis, & à cuiuſque lateris medietate æquidiſtans. Pentagonæ, & heptagonæ figuræ rectis lineis, & tranſverſalibus dividi non poſſunt. Octogona poteſt quatuor lineis dividi, & in octo triangulos æquales contrahi: ſed trianguli, neque æqualia latera habent, neque centrum à ſingulis angulis æquidiſtans. Eſt itaque hexagona figura omnium figurarum perfectiſſima, & aptiſſima, ut circulus in eam contrahatur, & per conſequens ut Cryſtallus in eam coaguletur. Sed, ut ingenue fatear, mihi non plane ſatisfacio, & naturam ut Cryſtallus hac nota ab aliis gemmis diſtinguatur, hexagonam figuram dediſſe autumo, non ſecus quam arborum frondibus, & herbarum floribus peculiares ſuas figuras dat, quæ ab architectonico ſpiritu, & formatrice facultate ignoto nobis modo fabricantur.

Cap.

Cap. XIV.

De perſpicuitate, & opacitate Gemmarum, & lapidum.

MUlti hactenus, ut notavi in capite de cauſa materiali gemmarum, diaphanitatem in gemmis vel lapidibus ab aquæ, & opacitatem à terræ copia, quæ tanquam materiæ ad ipſorum generationem concurrunt, provenire putant. Opinionis huius cauſa eſt aquæ diaphanitas, ſine qua nihil diaphanum eſſe arbitrantur, & quicquid tale eſt, ab illa hoc habere exiſtimant. Sed falluntur maxime, quia non ſolum aqua, ſed & aër diaphanus eſt, licet atomis ſit pleniſſimus. Deinde ignis elementum ſeu aër æthereus, aërem adhuc diaphanitate ſuperat. Quod autem aliquid abſque aqua diaphanum fieri & generari poſſit, oſtendunt vitra, quæ omni aqueo humore privata ſunt, & Lapis Specularis, quo vix aliud mixtum maiori diaphanitate præditum reperiri poſſe puto. Eſt tamen omni humido privatus, & ſicciſſimus. Non erit itaque aquæ copia, diaphanitatis cauſa, ſed aliud quiddam. Exiſtimo diaphanitatis cauſam eſſe propter terræ exactam & in minimas particulas reſolutionem, talemque earum unionem ut corpus quod conſtituunt, nullis poris aut atomorum terminis diſcretum, ſed plane continuum ſit. Continuitas enim ſola omne corpus diaphanum facit, quia in ea viſus terminum non habet; Dum habet, quod per accidens contingere poteſt, perſpicuitas impeditur. Nec ob aliam cauſam aqua diaphana eſt, quam quia nulla eſt partium in ea diſcretio. Aër ob eandem cauſam diaphanus eſt; qui licet atomis conſtet, ac ii ſuperficiem habeant, qui viſus obiectum eſſe, eum que

Aqua nõ eſt cauſa diaphani.

Cõtinuitas cauſa diaphani.

Aer cur diaphanus.

que terminare poſſint; tamen quia exigui, & in loco undique illuminato non videntur, diaphanitatem non impediunt. Ubi videri poſſunt, ut in cubiculo occluſo, ſolis radiis per rimam aut foramen admiſſis eos illuminantibus, aeris diaphanitatem impediunt: In iis enim terminatur viſus quia umbram habent in parte Soli averſa, quæ pars à circumſtanti corpore tenebroſo illuminari, quin obſcuritas deprehendatur, non poteſt. Quod autem verum ſit continuitatem diaphanitatis cauſam eſſe; ea expreſſe oſtendunt, quæ diaphana cum non ſint, talia reddantur, ſi id adveniat quod partes diſcretas continuet, hoc eſt, uniat abſque diſcretione: Deinde vice verſa ea, quæ cum diaphana ſint, diſcretione partium, vel amota earum continuitate, opaca redduntur. Prioris conditionis eſt charta ſimplex, quæ opaca cum ſit, affuſo oleo calido diaphana, & tranſparens redditur. Oleum ſiquidem diaphanum, inſerit ſe omnibus chartæ particulis, eaſque humectat, & poros omnes ſua materia implet. Id cum facit, corpus ipſius per totã chartæ ſubſtantiam continuatur, non ſecus, ac ſi abſque charta eſſet: continuatio hæc diaphani cauſa eſt. Adhibetur oleum calidum ut melius penetret chartæ ſubſtantiam, & poros omnes repleat. Poſterioris cõditionis exemplum glacies eſt, aut Cryſtallus, quæ ſi malleo percutiantur, ut fiſſuræ intrinſecæ fiant, licet exterius nullæ appareant, & inter fiſſuras nullus aer eſſe poſſit; tamen quia una pars ab altera fiſſura ſecernitur, & ſingulæ ſuas diſtinctas ſuperficies habent, impeditur diaphanitas propter lucis reflexionem. Sed longe apertius ſi glacies aut Cryſtallus in pulverem redigantur. Sic enim nihil diaphani in ſe habent, ac terræ inſtar, quæ ſemper opaca eſſe ſolet, ſe habent. Quia itaque gemmæ multum terreſtris materiæ in

Atomi cur in occluſo cubiculo videantur.

ſe

ſe habent: ut diaphanæ fiant, continuitas in terra fieri debet,hoc eſt,terræ particulæ ita iungi debent, ut harum nulla terminum, vel ſuperficiem habeat, ſed omnes ſimul unam tantum conſtituant extrinſecam, & talem, quæ viſus obiectum eſſe non poſſit,propter tranſparentiam. Non poteſt autem talis eſſe,niſi unio partium ſit intrinſeca. Unio porro partium terreſtrium non fit, niſi illæ in minimas particulas,multo videlicet minores,quam atomi in ſole volitantes ſint, reſolvantur, ac illis terreſtre quippiam tranſparens addatur,(ut exemplo chartæ oſtendi paulo ſuperius) quod minimas illas partes vinciat,ſecum continuet, ac earum terminos tegat, ne viſus obiectum fiant, eiuſque radios ſiſtant, & diaphanitatem impediant. Res illa terreſtris tranſparens ſalis ſpecies eſt, quæ aqua diluta, ac terram in minimas partes ſua acrimonia ſecans, illã aptam diaphanitati facit,ac illi unita (exploſa aqua quæ illi vehiculi loco fuit) in gemmam diaphanam concreſcit. Quæ gemmæ plus ſalis habent, cæteris molliores, magiſque diaphanæ ſunt, ut Cryſtallus, Beryllus,Iris,Citrinus,& ſimiles. Quæ duræ ſunt, minus ſalis obtinent, nec adeo diaphanæ,ut Adamas, qui plus micat, quam tranſparet. Vitrum, Selenites, cornu, & alia complura, quæ tranſparent,ſale non carent. Sal itaque iuvat, ut facilius terra diaphana fiat, quia eam nectit, & in minima reſolvit. Quod cum fit,oritur continuitas corporis, & per conſequens diaphanitas. Dum id non fit, & terreſtres particulæ ſibi invicẽ adduntur tantum, ac ſingulæ vel terminis propriis ſecretæ manent,aut poris à ſe invicem diſtinguuntur,totum corpus ex iis conflatum opacum redditur. Sed exiſtimare poſſet aliquis aerem cum ſit diaphanus,diaphanum impedire, dum videlicet partium continuitatem impe-

Sal iuvat ad diaphanitatem.

Aer non impedit diaphanitatem. dit,quod tamen contra rationem videtur. Reſpondeo aërem non impedire diaphanum, dum ſecernit corpuſcula à ſe invicem, quia vel illa habent terminos viſibiles,vel non habent. Si habeant viſibiles, hoc eſt,non continuos, ſed poris oppletos, illi ſunt in cauſa,non aer. Si non habeant,aer non impedit diaphanitatem. Propterea aer incluſus diaphanæ gemmæ,ipſius diaphanitatem non tollit. Gemma tamen ipſa minus eſt perſpicua propter propriam ſuperficiem,in quam lux incidens reflectitur,& viſum terminat,non ſecus,quam aquæ ſuperficies ſæpe impedit propter lucis incidentes in illam radios, eiuſque reflexionem, quo minus ad fundum ipſius conſpici poſſit. Atque hæc de cauſis diaphanitatis, & opacitatis ſufficiant.

Cap. XV.

De gemmarum, & lapidum coloribus.

Tanta eſt difficultas in explicanda natura, & eſſentia coloris,eiuſque tradenda definitione, ut pauci inter ſe conveniant Phyſici.Ego colorem eſſe qualitatem in corpore viſibilem, & illuminabilem, vel illuminatam dicerem. Lux enim colorem,quoad ſe actu exiſtentem, & quoad viſum tantum potentia,viſibilem facit. Alii aliter definiunt, ac Ariſtotelis definitionem refellunt. Mihi ſupervacuum videtur,rem ſenſu notiſſimam,intellectu percipere velle; qui tamen nihil niſi quod prius in ſenſu fuit, cognoſcit. Color oculis viſibilis, ſenſui inviſibilis eſt. Relicta igitur curioſa de colore diſputatione, unde, & quo modo in gemmis, & lapidibus oriatur, & ſit color, explicandum eſt. Color duplici modo in gemmis viſitur, vel diaphanus,vel opacus. Opacus color eſt,qui lucem excipit,non tranſmit-

Color ſenſui inviſibilis interiori.

tit;

tit; diaphanus, qui tranſmittit. Uterque vel actu etiam abſente luce eſt, vel abſente luce non eſt; ſed ex lucis, & umbræ commixtione producitur, ut in Iride. Quomodo autem idem coloratum, & diaphanum eſſe poſſit, inveſtigatu difficile videtur; Quia in diaphano viſus, vel lux terminari non debet; color autem omnis terminat; atque is eſt in diaphano; & per totam ipſius materiam diffuſus etiam ſenſu deprehenditur. Quod videtur abſurdum dicendum, colorem terminare, cum non eſt continuus, & in fluore, ut in opacis lapidibus, & gemmis contingit. Cum vero eſt unitus, & illius partes materiales ſuperficiem non habent, nõ terminare abſolute ipſum diaphanum: ſed tantum ex parte, & imperfecte, quatenus in ipſo diaphano viſibilis eſt. Manet itaq; diaphanum non obſtante colore tale; ſed imperfecte, quia à colore lumen afficitur, & alteratur, ac non proprio colore, ſed alieno in opaco terminatur. Perfectum & abſolutum diaphanum id eſt, quod omni colore caret, ac lucis colorem, ut recepit, eodem prorſus modo rectis lineis tranſmittit. Dico rectis lineis, ne excludam Iridem gemmam, aut Cryſtallum hexagonum: qui abſolute diaphani etſi ſint; propterea, quod rectis lineis recipiant lucem, & eandem tranſmittant; tamen ex luminis refractione in ſuperficies multiplices, poſſunt varios colores, & quos neque habent, neque receperunt, vel in vicinum corpus tranſmittere, vel in ſe conſpicuos ex diverſo oculorum ſitu etiam diverſos reddere. Imperfectum diaphanum eſt duplici differentia: vel enim eſt, ut dixi, colore tinctum, quo lux tranſiens terminatur; vel in parte aliqua, colore perſpicuo tinctum, eundem colorem (accedente lumine per plures ſuperficies refracto) variat, ut in Opalo gemma contingit. In hac enim vere color eſt

Diaphanum poſſe eſſe coloratum.

Duplex diaphanum.

Perfectũ diaphanum.

Imperfectũ diaphanum.

perſpicuus, ac idem per luminis refractionem alteratur, mutatur, ac ex diverſo aſpectu, vel oculi ſitu, eodem in puncto ſe alium viſui offert. Quomodo autem lux ſimplex, in diaphano, colore omni privato, diverſos colores gignere poſſit, difficile eſt aſſequi. Experientia tamen ex luminis reflexi cum umbra varia mixtione id fieri docet. Difficultatem hanc parit intellectui umbra, quæ cum nihil ſit, quam privatio, poſitivum tamen aliquod efficere poſſit. Sed à ſenſu recedendum non eſt, licet intellectus id non capiat. Viſibilium oculus, & ſenſus communis iudex eſt, non intellectus interior. Qui nullos colores in Iride eſſe, ſed tantum apparere arbitrantur, colorum naturã non recte comprehendunt. Diſtinguitur enim color in realem, & apparentem. Realis in gemmis ſemper eſt, etiam abſente lumine: apparens ex reflexione luminis in gemmis naſcitur. Omiſſo apparente, qui ſatis explicatus eſt, & ad opticam pertinet, explicandum reſtat, unde reales colores in gemmis oriantur.

Color duplex: realis, & apparens.

Hac de re variæ ſunt doctorum virorum ſententiæ. Communis ſententia eſt, ab exhalationibus, vel ſpiritibus metallicis, & mineralibus, varios iſtos colores gemmis induci, propterea, quod metallica, & mineralia, colorum varia genera in ſe potentia habere videntur, quæ à movente aliquo in actum deducuntur. Videmus ſiquidem, ex plumbo ſummam albedinem fieri, ſolo aceto, nigredinem ſummam, oleo, ex eodem uſtione flavus, miniatus, Hyacinthinus, viridis, & ruber elicitur: Quemadmodum ex vitriolo ruber, albus, viridis, niger, cæruleus, & flavus. Ita ut nullum fere ſit minerale, quod non innumeros colores in ſe potentia habeat, ac tandem proferat. Alii proximiorem cauſam coloris quærunt, ac volunt ſalem armoniacum naturæ, qui maxima

Colorum materia.

Colorum cauſæ ſalis ſpecies.

xima copia in mineralibus, & metallis, ac terra invenitur, colores iſtos varios producere, ac non ſolum in illis, ſed in plantis, eorumque floribus, ac omni animalis parte, præterea etiam in gemmis, & lapidibus, ac cæteris rebus omnibus colores gignere. Salem autem armoniacum naturæ vocant, ſal quoddam ſpirituale vivificum, quod vino ſublimato iunctum, illo prius aſcendit. Id ab illis putatur eſſe primum movens in rei alicuius generationem, nec minus balſami inſtar conſervans, variiſque coloribus quævis ornans. Cauſa illius opinionis eſt, Quod in omnibus rebus inveniatur, & ex iis elici poſſit. Deinde quod collectum, & diſtillatum, omne genus colorum per ſe proferat, ac quod igneæ ſit naturæ, & quaſi incorruptibile, minimoque calore in auras ſolutum, exhalationis inſtar (quæ aptiſſima eſt ad quævis tingēda) vitra variis coloribus tingat, ut tradit Ioſephus Quercetanus. Alii, colores ab elementorum varia commixtione, eorumque concoctione produci arbitrantur. Alii rurſus colores à primis qualitatibus in materiam derivant. Alii ex varia commixtione albi & nigri, quaſi extremis, cæteros oriri aſſerunt, ſicuti ex luce (quam copioſam habet albus) & umbra (quam refert niger) Iridis exemplo, varii colores oriuntur. Ego D. Opt. Max. rebus omnibus certas figuras, aut formas extrinſecus, quibus ab aliis diſcernerentur, certoſque colores, quibus ornarētur, dediſſe exiſtimo: ac propterea neque à primis, vel ſecundis qualitatibus, neque ab elementorum certa mixtione, eorumque varia coctione, aut ex albi & nigri tanquam lucis & umbræ confuſione eos prodire, ſed potius ex proprio ſeminario, ex quo figura ipſa extrinſeca oritur, mihi perſuadeo. Eorum vero vehiculum eſſe puto, ſal illud armoniacum è Quercetano naturæ balſamum

Sal armeniacum natura.

Autoris opinio de gemmarū coloribus.

appellatum; Quod Spiritui architectonico, qui ſtatuto tempore adiuvantibus primis qualitatibus, colores in lucem producit, adhibetur. Qui ad primas, & ſecundas qualitates, ac elementorum, aut colorum mixtiones confugiunt, à plumis pavonis refelluntur. In his enim architecti, & pictoris voluntas, & delectus manifeſte deprehenditur. Una enim plumula, quę lunam illam orbicularem, ſeu oculum in cauda cum multis aliis plumulis repręſentare debet, permultos habet diverſos, & diſtinctos à radice ſua ad extremitatem uſque colores, & ita ut vicinæ eandem diſtinctionis rationem ſervent, ac orbicularem illam inſignem figuram omnes ſimul efficiant. Quæ quæſo hic in tanta colorum variatione & repetitione imaginari temperiei mutatio & variatio, aut elementorum diverſa commixtio poteſt? Nonne in tota plumula eadem elementorum cõmixtio? Nonne eadem qualitatum temperies? Aut ſi non eadem, cur idem color, qui in principio eſt, interiectis aliis diverſiſſimis, iterum repetitur? Nõne ad picturam abſolvendam, & avis ornatum, à natura id quaſi cum ratione, & intellectu conſtitutum eſt? Qualitates agunt in materiam cœco modo, nullamque figuram obſervant. Hic figura in coloribus obſervatur, & terminus quouſque talis color eſſe debeat, non ſecus, quam natura facere ſolet, dum hominem fabricat: figuram enim certam in omnibus obſervat, & terminum quouſque progredi debeat, materiæ conſtituit. Hinc fit oculi utriuſque eandem eſſe in omnibus ſui partibus figuram, & magnitudinem, quam primis qualitatibus nemo qui ſapit, ſed ſemini, eiuſq; facultatibus aſſcribet. Hoc præſtant elementa, & qualitates, quod illa materiam præbeant remotam, hæ eam moveant, ut ignis; qui aſſando colores aliquos in lu-

cem profert, ut rubrum in lateribus, cinereum in lignis, purpureum in ferro, flavum in plumbo, atque alios in rebus aliis: Sed eos tantum qui primum potentia in rebus fuerunt. Ut itaque ad gemmas, & lapides redeam, color vel in ipſis, & ex earum materia oritur propter ſeminarium coloris quod tale, vel tale illis ineſt, vel aliunde in materiam aptam, & præparatam inſeritur. Lapides illi, vel gemmę, quæ peculiarem, & propriam formam habent, ut Gloſſopetra, Aſteria, Corallus, lapis Iudaicus, Oculus cati, & ſi qui ſint alii, ſeminarium, & principium coloris in materia, ex qua formantur, ut plurimum habent. Qui nullam determinatam figuram habent, plerunque ab exhalatione, tanquam remotiore, ſed à Spiritu minerali, & ſale armoniaco, tanquam propinquiore cauſa, tinguntur: eoque modo ut ante explicavi. Nonnullis etiam lapidibus, vel gemmis aqua adfert colorem, dum videlicet illa materiam à prædicto Spiritu tinctam, ad ſe traxit, vel in ſe recepit. Colores porro, qui lapides, & gemmas tingunt, omnis generis ſunt, & inter ſe variis modis miſcentur. Maxima eorum varietas in Marmoribus ſpectatur. Præcipui, & qui ex aliorum commixtione non oriuntur, ſunt albus, niger, cæruleus, flavus, ruber, & miniatus, qui ex plumbo uſto fit. Inter hos, albus, & niger videntur quaſi contrarii, vel potius oppoſiti; hic tenebris ſimilis, alter luci. Reliqui omnes dicuntur medii, quia putantur à nonnullis ex priorum commixtione oriri: ſed illi mirum in modum decipiuntur. Quia nunquam commixtione nigri & albi aliquem prędictorum efficies. Sed tantum cinereum, qui ſolus ex prædictorum mixtione confici poteſt. Si plus albedinis adhibeatur, clarus cinereus; ſi parum, obſcurus cinereus reddetur. Ex omnium, vel aliquorum *Colorum mixtiones.*

prædictorum varia commixtione, omnis fere generis colores fieri poſſunt. Ex cæruleo, & flavo fit viridis, ex rubro, & cæruleo, violaceus, ex miniato, & rubro, purpureus, ex albo, & rubro, roſeus. Ex albo, & cæruleo lacteus: Ex miniato, flavo, rubro, & albo helvus, vel gilvus: Ex flavo, & viridi melinus; Ex miniato, flavo, albo, & rubro mellinus, & cereus: Ex albo, & mellino pallidus: Ex miniato, & flavo luteus; Ex viridi, flavo, & albo buxeus: Ex rubro, flavo, & miniato croceus, ruffus, fulvus, impluviatus, pullus, & ravus, pro varia portione ſingulorum colorum. Ex diverſa enim colorum mixtione, infiniti alii oriuntur, quos enarrare longum eſſet. Hoc notandum, medios omnes poſſe eſſe diaphanos, & tranſparentes. Album, & nigrum non poſſe. Proinde nullas gemmas perſpicuas eſſe perfecte albas, vel nigras; forte quia albedo non eſt color realis, ſed tantum apparens, propter multitudinem ſuperficierum, ex quibus materia cui inhæret, conſtat: quæ multitudo ſuperficierum, quia terminat plenarie viſum, gemmæ diaphanitatem impedit, eamque opacam facit. Quod ſi albedinis materia continua, & unita eſſet, non amplius alba, ſed diaphana, omnique colore privata eſſet; ut nix oſtendit, quæ albiſſima ſi uniatur, & in aquam ſolvatur, diaphana redditur. Non poteſt itaque aliqua gemma eſſe perfecte diaphana, & alba: non nihil eſſe poteſt ut charta tenuiſſima, & è LucoSapphir⁹; quæ etſi alba ſint, tamen aliquid diaphanitatis habere videntur. in huiuſmodi, quantum accedit albedinis, tantum diaphanitati decedit, &c. contra, quantum diaphanitatis accedit, tantũ albedini decedit. Nam ut calidum, & frigidum ſimul eſſe non poſſunt, ita nec diaphanitas, & albedo. Quia tamen miſceri calidum, & frigidum poſſunt, ac ex il-

Albũ, & nigrum non eſt diaphanum.

Albedinis materia diaphana.

lorum mixtione, temperatum quid, quod neque calidum, neque frigidum dici poſſit, oritur: Ita ſi albedo iuſte temperatur diaphano, neque diaphanum, neque album apparebit, ſed mixtum ſemialbum, aut ſemidiaphanum. Quod autem realem habere colorem non videantur diaphana, ſed tantum apparentem, propter ſuperficierum multitudinem, in quam lux incidit, manifeſte oſtendere videntur omnia diaphana, ut glacies, Cryſtallus, Lapis Specularis, & vitrum; quæ colores nullos reales habent: nihilominus tamen in pulverem triti, omnes albi apparent. Albus autem color neceſſario oritur, quia omne diaphanum, cum ipſius continuum ſolvitur, viſum terminare, & apparentem non realem (quam à nulla re accepit) aliquem colorem aſſumere debet, qui ſane eſt albus. Si quis obiiciat, Rubinum, Sapphirum, Smaragdum eſſe diaphanas gemmas, non tamen illarum pulveres eſſe albos: Aſſero, quantum diaphanitatis ineſt gemmis, tantum albedinis pulveri accedere, ac propterea Rubini pulverem multum albedinis in ſe habere, neque tam Rubrum eſſe, quam ipſe Rubinus, propterea quod exigua rubedinis portio, quæ ad tingendum diaphanam gemmam ſufficit, vix apparere in eius pulvere poſſit, qui fere à materia diaphani totus albus eſt. Quod autem in diaphano exigua coloris portio gemmam tam coloratam reddat, hoc fit propter lucem, quæ colorem illuſtrat per totum gemmæ corpus, ac quodammodo radiis ſuis multiplicat. Nigrum autem colorem diaphanum impedire, & propterea nullas nigras gemmas diaphanas eſſe: fit, quia nigredo potius coloris privatio, quam color videtur. Tenebris enim ſimillima eſt; quæ in ſe viſum abſque coloribus & luce terminant. Deinde quia nigredo nul-

Diaphana colore carent.

Niger color diaphanum impedit.

lum colorem in ſe ſuſcipere, nec lucem tranſmittere poſſe videatur, ſed ſiſtat quaſi inconſpicuam, ut umbra, & privatio. Quod cum ſit, ipſa terminat complete viſum, ac opacum corpus cui inſidet, reddit. Albedo non ſolum terminat viſum, ut lux, ſed quaſi reiicit iterum ad ſuum principium, ut ſpeculum ad alia. Ut albedo color non eſſe videtur, ita nigredo, econtra abſque luce color videtur, cum in tenebris ſemper viſum terminet, & propterea proprie, & actu color ſemper ſit: neque diaphanus eſſe poſſit, dum viſum ſiſtit. Quinimo neque à luce, cui reſiſtit, & à quo nihil afficitur, penetrari poteſt. Deinde ut alii colores ſine luce eſſe non poſſunt, ita hic abſque eo eſſe poteſt, ac tenebræ de die in ſpelunca ab eo qui in ſole eſt videntur, ita hic color ſemper conſpici poteſt. Nullus itaque color perfectius viſum terminare poteſt, quam nigredo, propterea & in ſole, & in tenebris maxime perſpicua eſt, ut lux, & albedo, quæ & in luce, & in ſemitenebris conſpiciuntur. Dũ nigra corpora, non habent ſuperficiem utcunque lævem, quia lux retinetur, nigra apparent ut ſunt. Si lævem habeant, reiicitur lux ad vicina, à quibus corpus nigrum coloratur. Si læviſſima eſt ſuperficies, fit inde ſpeculum.

Nigredo color proprie.

Cap. XVI.

De gemmarum, & lapidum duritie, & mollitie.

DUrities, vel mollities lapidum provenit, partim à materia, partim à primis qualitatibus in eam agentibus. Si enim materia bene unita ſit, ac multũ terræ habeat, parumque ſalis, ac aqueæ, & aereæ partes optime à calore, vel frigore elicitæ, vel expreſſæ fuerint; fiet lapis, vel gemma dura, &

quo

quo magis diaphana, ac tranſparens, eo durior. Quia perſpicuitas ſignum eſt materiam optime unitam & compactam eſſe. Ob hanc cauſam Adamas omnium gemmarum eſt duriſſimus, materiam ſiquidem habet tam bene unitam, ut perſpicua ſit: Deinde parum ſalis in eius compoſitionem venit, ita ut præcipua eius materia terreſtris ſit. Econtra Cryſtallus Bohemicus, Topaſius, & Opalus omnium gemmarum molliſſimi, & Selenites illis mollior, inter lapides eſt. Hæ etſi conſtent materia tam bene unita, & iuncta, ut diaphana ſit, tamen tantum ſalis habent, ut duritiem magnam habere non poſſint. Terra itaque duritiei, & ſal mollitiei precipua cauſa eſt in perſpicuis, & opacis. Sed mollitiei cauſa etiam eſſe poteſt aqua, & aer, ac quidvis quod compagem, & unionem impedit, ac ne partes materiæ ſibi invicem bene adhæreant, prohibet. Aer friabilem facit lapidem, aqua mollem, quia materiæ exſiccationē prohibet; ſine qua non indureſcit. Quia autem hæc ut elementa ad materiam lapidum conſtituendam concurrunt; propter variam illorum commixtionem, tam varii gradus duritiei, vel mollitiei in gemmis, & lapidibus ſunt. Adiuvans cauſa duritiei eſt interdum calor, interdum frigus. Calor dum exſiccat extrahendo humidum, frigus vero dum cogendo exprimit. Sed hæ qualitates abſque materia apta, ut dixi, nihil poſſunt. Quia ſi materia terreſtris multum ſalis habuerit, calidum extrahendo, vel frigus cogendo, non duram, ſed mollem gemmam efficiet. Errant propterea ſummopere qui aquam putant duritiei eſſe cauſam, cum contrarium verum ſit. Sed illos perſpicuitas decipit, quam ab aqua gemmas habere putarunt. Si aqua duritiem præſtaret, glacies duriſſima eſſet. Sed hac nihil mollius, nec mirum,

Adamas cur aliis ſit durior.

Mollitiei cauſæ aliæ.

Aqua non eſt duritiei cauſa.

mirum, cum nihil quam aqua ſit. Eſt itaque Adamas omnium gemmarum duriſſimus, poſt hunc Topaſius orientalis, ſeu veterum Chryſolithus, deinde Sapphirus, Granatus, & Hyacinthus. Inter lapides omnium duriſſimus Smiris, qui vitrum ſecat, ab hoc Iaſpis, Achates, & Baſaltes. Inter gemmas Opalus videtur omnium molliſſimus, ut inter lapides Selenites. Durities in gemmis vel lapidibus in cauſa eſt, quod polituram artificialem optime recipiant, & politi ſplendeant; ut Marmorum, & Iaſpidum genera omnia, quæ quia dura, ubi polita fuerint, lævorem, & ſplendorem egregium habent, quo plurimum commendantur. Mollities interdum polituram admittit, interdum non ſolet admittere, dum in diaphana, beneque unita materia eſt: nequaquam cum in friabili, ac male unita. Ob hanc cauſam Selenites, & Margaritæ polituram non recipiunt, illæ quia friabiles, hæ quia ſquammis, & proinde male unitæ ſunt. Opalus molliſſimus admittit, quia diaphanus, ac ſatis bene unitus eſt. Id præterea durities præſtat, quod quo durior gemma, eo melius igni reſiſtat, ac ab eo minus patiatur, Adamantis exemplo, qui propter duritiem ab igne vix aliquid pati poteſt, ut propterea in ſymbolis permulti principes, dum conſtantiam ſignificare volunt, eo utantur. Quemadmodum in tertio tomo ſymbolorum à me explicatorum, obſervare licet. Ut duræ gemmæ igni reſiſtunt, ita è contra molles ab igne ſuperantur, Cryſtalli, & Opali exemplo, qui non difficulter ab igne in calcem rediguntur. Quæ autem gemmæ duræ, quæ molles ſint, in ſingulis capitibus explicabitur. Sub mollitie hic etiam comprehendimus friabilitatem, & raritatem, quia ab eiſdem cauſis fiunt, à qua mollities: nihil enim aliud eſt friabile, quam continuum, quod facile

Durities quid faciat in gemmis.

Raritas. Friabilitas.

cile diſcretum fieri poteſt, & rarum, quod partes non bene unitas, ſed diſcretas habet, ut poroſa omnia, quæ aerem in ſe continent, Pumicis exemplo. Sub duritie etiam denſitatem contineri volo, quia ab eadem cauſa fit, à qua durities; cum nihil aliud ſit denſum, quam illud quod bene compactam, & unitam habet materiam. *Denſitas.*

Cap. XVII.

De gemmarum, & lapidum pondere, ſeu gravitate.

GRavitas, quę nihil aliud eſt, quam qualitas quædam materiæ inſidens, qua movere ſe ad centrum terræ conatur, lapidibus omnibus ineſt propter materiam terreſtrem & aqueam, ex quibus conſtant. Illa enim inſita quadam proprietate deorſum movetur, ac quietem, ni impediatur, in centro terræ quærit, ubi, & nuſquam alibi, abſque ullo ſuſtentaculo quieſcere poteſt. Quod autem aliquæ gemmæ, vel lapides aliis graviores ſint: id propter materiæ terreſtris, & aqueæ vel compoſitionem, vel ſubſtantiam contingit. Si enim materia bene unita, ac coarctata fuerit, gravior erit lapis, aut gemma, quam ſi poroſa fuerit, multumque aeris aut aquæ in ſe habeat. Ob id diaphanæ opacis graviores ſunt, ſi ex eadem materia, ac eiuſdem magnitudinis fuerint. Nam materia ipſa plurimum ad gemmæ gravitatem facit. Quæ enim multum ignis, aquę, aut aeris in ſe continet, non tantam gravitatem habere poteſt, quā quæ è maiori portione terreſtris materiæ conflata eſt. Deinde inter terreſtres materias illæ, quæ multo ſale abundant, leviores ſunt multo iis, quæ parum habent. Præterea quæ mercurii ſubſtantiam continent, aut ab exhala-

tione

tione metallica genitæ ſunt, graviores ſunt cæteris; quod metalla reliqua terreſtria pondere ſuperent; ut manifeſte oſtendunt gemmæ factitiæ, quæ quia ex metallis conflantur, naturalibus gemmis ſunt graviores.

Cap. XVIII.

De nonnullis aliis gemmarum, & lapidum accidentibus.

PRæter iam dicta gemmarum & lapidum accidentia ſunt & alia quædam, quod videlicet aliqui igni reſiſtant, & in eo nihil patiantur, ut Adamas. Alii ab igne in calcem, alii in cineres redigantur, aliave ratione mutentur. Sunt præterea qui ab aere indurantur, vel ab eo corrumpuntur, item qui colores in igne amittunt, & qui non, ut Granatus Bohemicus. Qui igni reſiſtunt, ut Adamas, Granatus Bohemicus, Sapphirus, ac alii nõnulli, illi parum ſalis in ſua habent materia, ac eam bene compoſitam: qui in calcem vel cineres igne abeunt, multum ſalis habent. Qui ab aere indurantur, aquam, aut exhalationem continent, quæ dum paulatim expirant, lapides exciccantur, & indureſcunt. Qui ab aere corrumpuntur, multum aeris, vel ignis receperunt, quę dum vi calidi ambientis extrahuntur, partes remanentes vinculo deſtitutæ, facile, ſi humidæ actu vel poteſtate fuerint, corrumpuntur. Cur autem Granatus Bohemicus colorem in igne ſervet, reliqui autem fere omnes nequaquam, id quia difficile coniectu eſt, aliis expiſcandum relinquo. Exiſtimo enim tam difficulter huius rationem dari poſſe, quam cur Sol luceat, & terra gravis ſit. Plurima ſane ſenſibus obvia, à forma ſubſtantiali rei manant, quorum tamen, cur, aut quomodo

Igni cur reſiſtant

Cur in calcem abeant.

Cur ab aere indurentur.

Cur facile corrũpantur.

Granatus Bohemicus colorẽ in igne ſervat.

modo ſint, ratio non magis intelligi, quam ipſa rei eſſentia poteſt.

CAP. XIX.

De diſcernendis veris gemmis à factitiis.

HActenus varia de lapidibus & gemmis accidentia explicata ſunt, quæ ſcitu non ſolum iucunda, ſed maxime utilia ſunt, quod veræ gemmæ à falſis non niſi accidentibus, iiſque quæ ſub ſenſum cadunt, diſtinguantur. Imo adhuc ſatis ægre ac difficulter propter gemmariorum induſtriam, artificium, & fraudem. Sæpe enim gemmæ exigui valoris, poſitione, ſeu collocatione maiores videntur, quam ſint. Sæpe etiam extraneo colore illis ſuppoſito, colorantur, & interdum additione vitri, vel ignobilioris gemmę, maſſa maior duplo quam ſit, illis datur. Hæc ſi colorata in utriuſque coniunctione, maſtice, & colore fuerit, veram gemmam tota maſſa refert, nec agnoſci fraus à perito gemmario ſemper, niſi è ciſta eximatur, poteſt. Solent gemmarii, ut explorent num gemma ſit duplicata, ac intermedio quodã colore tincta, eam ungui pollicis ſupraponere, ac inter pollicem, & planitiem gemmæ, viſum dirigere. Nam ſi ſuperior pars candida fuerit, candida apparet, nec color adiectus, ac ſub lateribus ciſta latens, ſe videndum præbet. Sed id etſi in nonnullis deprehendi poſſit, tamen in omnibus non poteſt. Multi enim angulorum multiplici ſectione, ita aptare gemmam norunt, ut propter angulorum reflexionem, color ex omni gemmæ angulo ſpectetur. Ingenioſior fraus eorum eſt, qui gemmam excavant per exiguum foramen, ac eandem tranſparente colore, qui per totum gemmæ corpus diffunditur, colorationem, aut aliam, quam ſit,

Quomodo falſæ, & duplatæ gemmæ noſcãtur.

Fraus.

ſit, ementiuntur. Ita Cryſtallus, Rubini, Sapphiri, vel Smaragdi imaginem referre poteſt. Sed nobilior fraus eſt, cum gemma in aqua colorata maceratur, vel in igne, aut alio modo ita tingitur, ut color corpus gemmæ ſubintret. Hæ fraudes nulla ratione prudentiùs, & exactius deprehenduntur, quam ſi gemma, de qua dubitatur, ciſta eximatur, ac oculorum iudicio nuda committatur. Tres alii modi ſuperſunt, quibus factitiæ gemmæ, pro veris ſubſtituuntur. Primus, cum vitra duo, interpoſito colore, vel vitro colorato, ſibi invicem agglutinantur. Secundus modus, cũ ex unico vitri colorati fruſtulo, ignis beneficio, gemmæ veræ effigies conflatur. Tertius, cum ex metallis, & exhalationibus, aliiſque aquis igne gemma effingitur. Primus modus fictitiarum gemmarum vulgaris eſt, & nullius fructus, quod cito ſplendor earum omnis intereat, & facillime fucus à mediocriter perito deprehẽdatur. Quia enim ex vitris tantum conflatæ ſunt, pelliculam in ſuperficie habere videntur, quaſi quis oleo illas inunxiſſet. Pellicula quæ linteo non facile deleri poteſt, propter mollitiem vitri, quod ab aere, & cinerum acrimonia è quo conflatur, paulatim exeditur, inducitur. Idque vitris omnibus accidit, veris gemmis nequaquam. Nam etſi quidem pellicula, vel tela illorum ſuperficiei adhæreat aliquando, ea tamen facile linteolo abſtergitur. Ita ut propterea lixivio, aut cineribus, aliove abſterſivo opus non ſit. Secundus modus gemmas veras quam proxime imitatur, præſertim ſi vitrum nobilius ſit, unde componantur. Nobile voco quod ex Cryſtallo, Topaſio, vel Silicibus, & plumbo abſque cineribus conflatur. Id enim durius eſt vulgari vitro, & Cryſtalli inſtar ſplendet. Huic ſi addantur metalla, vel colores è metallis facti, qui neceſſarii ad gemmæ colorem requi-

Alia fraus.

Gemmæ falſæ fiunt tribus modis.

quiruntur, ac materia igni committatur; fit gemma factitia ſatis elegans, & quæ vix à vera diſtingui poſſit, ſi artifex peritus fuerit; alias plerunque bullas, aut atomos in corporis meditullio habere videntur; qua nota veræ carent. Bullæ iſtæ ab igne non æqualiter in materiam, aut nimis vehementer agente, proveniunt. Quæ bullis carent, non niſi lima à nobilioribus gemmis diſtinguuntur. factitiæ enim omnes lima abraduntur; veræ limam reſpuunt, excepto Topaſio Bohemico, & Smaragdo, aliiſque nonnullis, quæ ob hanc cauſam, etiamſi veræ ſint, nunquam adulterii ſuſpicione carent. Sed vitium accuſat pondus: Veræ enim leviores multo ſunt factitiis (licet aliqui falſo contrarium ſcribant.) Hacque ſola nota optime ab illis diſtinguuntur. Gravitas factitiarum à plumbo, & metallis provenit. Splendor etiam quidam vivax ex reflexione ſuperficierum ineſt veris omnibus, nequaquam factitiis, quæ ſi diutius inſpectentur, mortuæ videntur, nec oculos paſcunt ut illæ. Tertius modus à Raimundo Lullio docetur, quo pollicetur ſe veras gemmas naturalibus ſimiles eſſentia, & facultatibus omnibus producere. Sed Chymici quorum princeps ille fuit, temerarie maiora promittere ſolent quam præſtare poſſint; tum ut ſibi fidem faciant, & authoritatem pariant, tum ut ſpecie boni decipientes, diteſcant. Conſtruit ille ex mineralibus aquas lapidificas, eaſque cereis formis imponit; deinde eas mergit in aquam indurativam, ita putat indurari in gemmas. Sed iſte modus etſi à multis valde celebretur, mihi ignotus eſt, nec quicquam veri ſimile habere videtur, quia neque locus, neque materia obſervatur, qua, natura dum gemmas gignit, utitur. Artificem tamen, iunctis materiis aptis, ac adiuvante natura, tanquã agente, veris ſimiles, ſed

Factitiæ gemmæ limã non ferunt.

Factitiæ gemmæ graves.

Splendẽt veræ gẽmæ.

non eiſdem facultatibus præditas, efficere poſſe gemmas non dubito. Novi enim amicum, qui caſu ex ferri ſcobe, certa in aqua macerata, Adamantibus ſimiles lapillos produxerit. Poſſet quartus modus addi, dum videlicet artificio ſingulari ex parvis gemmis una concinnatur. Sunt qui iactent ſe ex parvis Granatis magnum efficere poſſe. Sed id artificium mihi ignotum eſt. Credo gemmas parvas ſolvi, ac ex iis iterum quiddam gemmæ ſimile effici poſſe. Verum id habere facultates gemmæ, & illius ſpeciei eſſe, cuius erant partes unde conflatum eſt, vix arbitror; quia gemma nulla ſolvi, niſi ipſius forma ſubſtantialis pereat, poteſt: forma ſemel ablata non reſtituitur maſſæ, & materiæ; quia illa aliam ſumpſit, dum prior periret. Nec redit materia ad priorem formam. Quia à privatione ad habitum non datur regreſſus, ſecundum Philoſophorum omnium ſententiam. Qui formam in diſſolutione ſervare poſſet, is etiam ex pluribus unam conflaret.

Cap. XX.

Quomodo Gemmæ factitiæ fiant.

PRiori capite modos nonnullos recenſui, quibus gemmæ imitari poſſint: hoc capite obiter quo pacto id fiat, ut facilius falſæ à veris diſtingui poſſint, oſtendendum ſupereſt. Maiores quam ſint viſui ſe offerunt gemmæ, dum multis ſuperficiebus inferior pars, id eſt, ea quæ ciſtæ includitur, celatur. Multiplici enim ſuperficierum reflexione, magnitudinis ſpecies quædã ſpectanti promittitur. Dum etiam inter inferiorem ſuperficiem, & ſuppoſitam bracteã aer intermedius, eſt corpore vacuus, gemmæ maiores, quam ſint, apparent. Quia aer corpo-

ris vices ſubit, ac tanto craſſiores gemmas, quanto ipſe eſt, videri facit. Si loco aeris vitrum ſuppoſitum ſit, aut Cryſtallus, & abſque glutino, vel colore intermedio; multo maior gemma, quam ſit, videtur. Si color additur in coniunctione cum maſtichis lachryma, aut vitrum coloratum ſit colore gemmæ; non ſolum maior, ſed coloratior apparet, atque hic modus frequens, & uſitatus eſt. Coloratiores etiam gemmæ redduntur, dum illorum inferior ſuperficies colore perſpicuo illinitur, ac deinde bractea ſplendens ſupponitur. Fit autem color perſpicuus, adiiciendo maſtichen igne depuratam. Depuratur, ſi granum maſtiches cuſpidi ferreo adhærens igni adhibeatur ut fluere incipiat, & excrementa opaca digitorum preſſu à parte perſpicua ſecludantur & abiiciantur. Colores qui adduntur varii ſunt, & tales quos gemma deſiderat. In ſingulis capitibus veros colores, qui ſingulis gemmis competant, docebo. Nam hic tantum in genere fuci gemmarum oſtenduntur. Dixi nobiliſſimum fucum eſſe cum Cryſtallus, aut Pſeudo-Adamas, aliave gemma colore vacans, & diaphana, in aqua aliqua colorata maceratur, vel in igne, aliove modo ita tingitur, ut corpus gemmæ intrinſecus colorem perſpicuum ſuſcipiat. Aqua gemmas penetrans ex terebinthina, & aqua vitæ conficitur, huicque color additur ex metallis extractus, ac in aqua urinæ ſtillatitia diſſolutus, ac per alembicum elicitus. In hanc aquam tepidam Cryſtallus tepidus immittitur, & maceratur aliquot horis, donec tincturam in ſe recipiat. Recipit autem facile, quia mollior redditur lapis. Ad rubeum colorem inducendum croco martis, ad viridem ærugine, ad cæruleum Luna, ſale armoniaco, & aqua forti, ad Cyaneum ærugine, & Lapide Lazuli opus eſt. Verum quia ut dixi molleſcunt gemmæ,

Coloratio gemmarum.

Puræ gēmæ redduntur.

mæ, poſſunt priſtinæ duritiei reſtitui, hac ratione. Cyſtis fit ex paſta ſiliginea, huic intruditur crocus martis. Deinde gemma una, aut plures, chartæ includuntur, ac croco imponuntur, ita ut croco charta undique tecta ſit. Poſtmodum occluditur paſta, ac fornaci cum panibus committitur; ac poſt pané exemptũ remanens adhuc per horas ſex in furno, recuperant gemmæ priſtinam, aut maiorem duritiem, quam prius habuerant. In igne tinguntur Cryſtalli integri, *a* Baptiſta à Porta authore, hoc modo. Sumuntur ſtibii partes ſenæ, auripigmenti quaternæ, arſenici Cryſtallini ternæ, ſulphuris pares, tutiæ binæ, omnia ſeorſim teruntur, & tenui cribello diſcernuntur, ac ollæ induntur. Cryſtalli fruſtula, vel æneis pilis ſuſpenſa, vel pulveribus demerſa igni opponuntur, ut quaternis, vel quinis horis excandeſcant, ſed ſine follium flatu, ne in partes diſſiliant, vel liqueſcant. Argumentum legitimæ colorationis eſt, ſi exemptum fruſtum flagrantiſſimi & fulgentiſſimi ſit coloris: ſin minus, igni denuo tradendum, ac poſt aliquam moram eodem modo tollendũ. Diligens autem cura adhibenda ne dum ex igne tolluntur, refrigerentur extemplo. Nam friantur, & in plures partes diſſiliunt. Si Hyacinthi color placuerit, cito ab igne tolluntur: ſi ſatura purpura deſideratur, diutiꝰ in igne relinquitur. Hactenꝰ Porta. Gemmæ coloratæ, ut Sapphirus, Topaſius, Amethyſtus, & Granatus, ſi illorũ color auferatur, Adamantem effingunt. Solet in eum ſcopum præcipue Sapphirus eligi, qui vel ferri ſcobe, vel creta obrutus, ignitur donec artificem voti compotem faciat, ut ſuo loco docebo. Ignis beneficio etiam, *b* à Porta docente, altera tantum gemmæ pars, colore ſuo privari poteſt: ita ut gemma ex parte Adamas, & ex parte Sapphirus videatur. Eodem modo Rubi-

Cryſtalli tinctura.

a *Lib. 6. Mag. Nat. c. 7.*

b *Lib 8.*

E Rubino Sapphirũ facere.

Rubinus una parte Adamantis ſpeciem reddit. Ait ille partem quam proprium colorem ſervare volumus, creta oblinendam eſſe. Sic alteram quæ igni expoſita eſt, ac flammæ radios nuda ſuſcipit, colorem amittere ac Adamantem oſtendere. Gemmæ factitiæ veris ſatis ſimiles ex Cryſtallo, Topaſio, Silicibus, aliiſque mollioribus gemmis, vel ex nobiliori vitro, metalliciſve corporibus, aut ex illorum commixtione fiunt. *c* Alexius Pedemontanus ſequentem paſtam ad factitias gemmas deſcribit. Recipit plumbi à figulis calcinati uncias tres, ac tantum aquæ ſuprafundit ut uno, aut duobus digitis emineat, eamque agitat digito, ut plumbum ima petat. Poſtmodum effundit aquam, & ſervat ad vas vitriandum, ne materia vaſi adhæreat. Deinde recipit tres uncias minii ſicci, immiſcet plumbo, adiicit unciã unam Cryſtalli, aut Chalcedonii calcinati, ac ſcrupula duo, aut tria ad ſummum lamellarum tenuiſſimarum cupri. His bene mixtis, & contuſis, imponit ea ollæ argillaceæ bene plumbatæ, & humectatæ aqua dicta, ac eam bene obſeratam committit furno vitriario, aut ventis per diem, & ita habetur optima paſta. Ad Smaragdos effingendos accipit ſal alcali, quod diſſolvit aqua, filtrat, ac exiccari ſinit, idque opus tertio repetit. Poſtea in pollinem redigit, quemadmodum etiam Cryſtallum. Deinde accipit uncias duas & ſemis Cryſtalli, Salis alcali uncias duas, æruginis aceto macerati, & colati unciam unam, miſcet, ac vaſculo plumbato imponit, ac luto, ne quid expiret, optime munit, ac per triduum exiccari ſinit, aut diutius, tandemque per diẽ figuli furno committit. Si Rubinum cupit, cinnabarim loco æruginis; ſi Sapphirũ, lapidem Lazuli; ſi Hyacinthum, Corallium adiicit. Calcinat autem *d* Alexius Cryſtallum, vel Chalcedonium hoc modo.

c Lib. 6. de Secret. Paſta ad gemmas factitias Alexii.

d Lib. citato.

modo. Tartari calcinati uncia una in aqua clara diſſolvitur, & colatur. Cryſtallus vero, vel Chalcedonius ignitur in cochleari ferreo, ac in aqua prædicta extinguitur, idque opus ſepties repetitur. ita optime calcinatus, in pulverem teritur, ac mixturæ, ſeu paſtæ adiicitur. Si Smaragdus optatur, in mortario æneo, ſi Rubinus, in ferreo tundendus eſt. Sed quia gemmæ factitiæ molliores Cryſtallo propter additiones alterius materiæ redduntur; docet *e* Alexius aquam, cuius beneficio indureſcunt. Iubet itaque capere Magnetis fruſtula, ac calcinare, ut de Cryſtallo dictum eſt, ac deinde in pulverem teri, in loco humido poni, ut in aquam ſolvantur: aquam iſtam nutriri vult vitriolo Romano, vel Pannonico crudo pultis inſtar. Deinde ex ea præcipit per retortam extillari aquam, ut ea humectetur farina hordei, & fiat paſta dura in quam imponantur formati lapides. Nam ſi ea dum panis coquitur, in furno relinquatur, ac cum pane eximatur, ait ille duritiem maximam gemmas acquirere. Vidi apud Gallum quendam factitias gemmas perquam elegantes, & naturalibus quam ſimillimas. Is ſe non alio, quam prædicto modo eas confeciſſe mihi aſſerebat. Opus dictum neque ſumptuoſum, neque magni laboris videtur, à me tamen hactenus nondum expertum eſt.

Paſta alia. Paſta ad gemmas factitias nobilior eſt quæ ex Cryſtallis, Silicibus, aut Topaſio Bohemico fit. Nam ſi vitrum additur, aut plumbum, graviores, & molliores fiunt. Calcinantur autem Silices & Topaſius ut Cryſtallus. Deinde color qui deſideratur additur. Minium, & viride æris Smaragdi colorem præbent. Ceruſſa, & crocus martis, Hyacinthi. minium, & ceruſſa, Chryſoliti. Zaphara, vel Lapis Lazuli, item ſal armoniacum, & argentũ, Sapphiri colorem

lorem exhibent. Aurum, Rubini colorem à nonnullis Cryſtallo tribuere aſſeritur. Stannum Adamantis aquas oſtendere dicitur. Harum rerum curioſi ex variis metallorum mixtionibus varios colores, in opere ipſo deprehendent. Paſta ad gemmas ignobilior eſt, ſi vitrum addatur Cryſtallis, vel Silicibus. Hæc à Bapt. *f* à Porta ſtudioſe deſcribitur in libello de magia natur. ubi varii modi, quo pacto factitiæ gemmæ concinnari poſſint, docentur. ad quem lectorem remitto. Quæ hic à me deſiderari videntur, in ſingulis gemmarum capitibus tractantur, ubi gemmarum fuci, aut imitationes oſtenduntur. Hic nihil aliud reſtare videtur, quam ut ſi quis fingere gemmas velit, doceatur paſtam igne æquali regere, ne inæquali, bullæ vel atomi fucum prodant: Deinde paſtæ materiam exacte mundare, & à ſordibus eluere poſt calcinationem, ne vitia fucatæ gemmæ habeant, oportet. Quæ ſane diligens artifex abſque alia admonitione, ſi ſedulus fuerit, facile ſervabit.

f *Lib.* 6. *cap.* 7.

c *Alexius Pedemontanus lib.* 6. *de ſecretis, fruſtula calcinare jubet calamitæ, quæ author noſter bene notavit eſſe fruſta Magnetis, nam Italis Magnes vocatur pietra Magnete, & calamita, teſte Petro Andrea Matthiolo in Dioſcorid. cap.* 105. *lib.* V.

Cap. XXI.

Quo pacto factitii Lapides fiant, & Saxa ingentia pro columnis, vel obeliſcis.

NOn ſolum gemmæ factitiæ fiunt, ſed Saxa, & Marmora, ex materia pretioſiori conflantur, nempe ex gypſo, calce, ſale, ſanguine bovino, pulvere lapidum, & fruſtulis Marmorũ, vel Iaſpidum, quæ omnia aceto, vino, cereviſia, vel lacte, aut eius ſero excipiuntur, & in pultem rediguntur, ut in menſas, vel columnas fundi poſſint. Prius tamen adduntur pulti colores varii, qui virgula agitantur hinc inde, ut Marmor fictitium venas omnis coloris veri inſtar habeat. ubi id exſiccatum fuerit, vel ſmegmate, vel oleo, polituram recipit optimam. Ad Saxa vilior materia ſufficit, nempe cereviſia, gluten, ſal, calx & lapidum pulvis, ſeu arena. Acetum quia acre, partes lapidum tenuiores, denſiores, & firmiores efficit. Modum hic non deſcribo exactius, quod ab ingenioſis tantum, & qui naturæ arcana perſcrutantur, nequaquam ab ineptis, & qui inanem phyſices cognitionem habent, hæc intelligi velim. Ex prædictis ad pavimenta cellarum, ne aqua impleantur, & ædificiorum perpetuitatem, ſtrata ſternuntur. Ad aquas prohibendas ex calce, lapide calcario crudo, aut coctis lateribus cũ cereviſia acida fit puls durior, qua oblinitur cellæ ſtratum, eiuſque parietes: deinde ubi fere exaruerit puls, inungitur oleo lini, quod igne exſiccatum, prohibet ne aqua per maltham erumpat; Ad pavimenta ædificiorum oleo opus non eſt. Ad ſtatuas Pario Marmori ſimile factitium fit, ſi albi Silices in pulverem redacti, calci vivæ addantur, ac glutinis aqua miſceantur. Idem ad Epitaphia imitari licet,

Statuæ egregiæ.

Epitaphia.

cre-

creta,& aqua glutinis, ſed duritiem nullam habet. ob quam cauſam pictoribus utile eſt, qui ubi id exaruerit, cultro in quamlibet formam redigere poſſunt. Si quis ichthyocollam pro glutine adhibere operi velit, præſtantius opus, & durius efficiet; ſed maiori labore id in formam rediget.

CAP. XXII.

De bracteis, ſeu foliolis, quæ gemmis ſupponuntur.

GEmmæ, quæ diaphanæ ſunt, annulis, aut ciſtæ incluſæ, ſplendere non poſſunt, niſi ſub ſe quiddam, quod lucem repercutiat ſpeculi inſtar, habeant. Ad hunc finem bracteæ, ſeu foliola metallica inventa ſunt, quæ non ſolum id præſtant, ſed etiam colorem gemmarum adaugent. Nam variis coloribus ad libitum tinguntur, ut hoc modo gemmę, quæ prius mortuæ, & diluti coloris erant, vivaciores, & coloratiores videantur. Bracteæ ex ære ſolo, vel ære, auro, & argento, ut chartæ tenuiſſimæ inſtar ſint, percutiuntur. Deinde poliuntur creta tenuiſſima, vel argilla, quę Tripoli adfertur, & Smir. lapide lævigato tamdiu, donec veſtigia lapidis in bracteis non appareant. Bracteis præparatis furnus conſtruitur duplex, ſupernus, & infernus: In utriuſque parte ſuprema foramen eſt. Inferiori furno carbones accenſi, ac ab omni fœtida exhalatione prius exuſti, induntur, ac bracteæ ſuperiori orificio ſupraponuntur, aut filis in eo ſuſpenduntur, ut fumum ſuſcipiant, qui Hyacinthi colore eas, abſque alia additione, tingit. Si alii colores deſiderantur, plumis avium id efficitur. Nam virides viridi, cærulei cæruleo, rubri rubro, & flavi flavo colore bracteã, ſi in furno exurantur, tingunt. Sapphiri color plumis anſerum cærulęis, Smaragdi buxi foliis, Ru-

bini floccis panni coccinei habetur. Hæc omnia exactius deſcribit I. Bapt. à Porta, lib. VI. Mag. nat.

CAP. XXIII.

De gemmarum, & lapidum ſcalptura.

SCalpturam voco rudem gemmæ, vel lapidis ante polituram præparationem, qua in formam optatã ſibi convenientem, ut aſpectui gratus ſit, redigitur. Si ignobilior fuerit lapis, ut Iaſpis, Achates, aut Marmor, aut multum ſuperflui habeat, ut gemmę ſæpe habent: prius cote aquatica, & verſatili, in formam redigitur rudiorem. Deinde Smir. lapidis pulvere craſſiore, ad exactiorem formam, ſupra orbem ſtanneum elaboratur, ac poſtmodũ terra Tripolitana politur ut ſplendeat. Solus Adamas propter ſummam duritiẽ proprio tantum pulvere teritur, & formatur. Qui aliis gemmis figuras inſculpunt, aut eas excavant, illi etiam Adamanti pulvere utuntur, ſi citius opus abſolvere velint, ac terendo id perficiunt: in quem ſcopum orbiculus ferreus verſatilis, iugi & celerrima rotatione pulverem Adamantis ſculpendæ gemmæ affricans, eam paulatim excavat. Ferro ſiquidem, vel chalybe ſolo, quantumvis duro, gemmæ excavari abſque fracturæ periculo, & ut oportet, non poſſunt: Marmora, & Saxa poſſunt. Qui molliores gemmas excavare debent, aut non feſtinant, ut cito opus abſolvãt, Smir. pulvere utuntur Adamantis vice; Hoc enim poſt Adamantem nullus durior, & illi operi aptior viliorque reperitur. Molliores lapides etiam ſculpi, vel excavari poſſunt aquis ſtygiis, ſed non ut lubet, quod aqua metam non ſervet, ſed eadem profunditate lapidem exedat. Hic excavandi lapidem modus literis effingendis, aliiſque muſaicis operibus, quæ æqua-

Literas lapidibus inſcribere.

æqualem excavationem tantum poſtulant, utilis eſt. Peragitur opus hac ratione, Lapis cera, vel ſevo tenui obtegitur, deinde cera à locis quæ excavari debent, aufertur penicillo ferreo; poſtmodum aqua ſtygia ſuperinfunditur ceræ, ac relinquitur per dieͤ. Ita exeditur lapidis pars à qua cera ablata eſt, reliqua cera obtecta integra remanet. Alii aceto forti cui ærugo & ſal impoſita ſunt idem efficere conantur. Non dubito quin variis mediis eundem ſcopum attingere liceat.

Cap. XXIV.

De inſtrumentis quibus ſculpi, & cælari poſſint lapides.

UT lapidibus, aut gemmis figuræ inſculpantur, plerunq;, ut in priori cap. admonui, ſolent gemmarii rota uti, cuius diameter ut plurimū, & ad minus duos pedes habet. Huius peripherię ſupraponitur funis, qui ſupra alterius rotulæ circumferentiā ducitur. Hæc rotula vix duorum digitorum habet diametrum. In huius centro acus ferrea conſtituitur, cuius extremum acutum, rotundū, aut planum, (prout opus deſiderat) pulvere Adamātis oleo mixti humectatur, & gemmæ cælandæ, vel ſcalpendæ adhibetur. Iſtius inſtrumenti ratio talis eſt, ut circūeunte maiori rota ſemel fortaſſis, duodecies circumeat minor, & millies acus, unius circiter minuti ſpatio. Nam pedibus maiorem rotam movere, quater quinquies unius minuti ſpatio ſolent gemmarii. Si quater movetur, cuſpis acus ducēties quadragies millies una hora movebitur. Qua continua, & multiplici excavatione, ſi Adamas aliquot dierum ſpatio excavetur, nemo propterea mirari debet, nam Lapides ſatis duri ab aquæ guttis tandem excavantur, ut inquit Poëta,

Gutta cavat Lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

A Cu-


A Cuſpis, ſeu acumen, cui adhibetur pulvis Adamantis oleo inunctus, ad cælandas gemmas.

B Rota duos digitos lata, quæ continet cuſpidem, vel acum ferream.

D Funis qui movet rotam B.


C Rota maior. F Manubrium. I Funis.

G Aſſer cui alligatur funis. H pes eſt operarii, aut ſculptoris, qui premens aſſerem, ut terram attingat, circumagit manubrium F, ac ea ratione movet rotam magnam C, quæ movet beneficio funis parvā rotam, & acū ferream.




Ad ſecandos lapides, & gemmas maiores, ſerra ex ære, quæ nullos dentes habeat, utuntur gemmarii. Serra craſſitiem pupillæ oculi non ſuperat. Hac enim duriſſimos lapides ut Iaſpides, & Marmora ſecant, adhibentque aquam, & Smir. lapidis pulverem. Pulvis æri adhærens lapidem fricat, & propter aquæ motum idem pulvis non perpetuo æri adhæret, ſed ſingulis momentis novus ab aqua ſerræ ſuppeditatur. Ubi vero pulvis à gemmæ duritie in tenuiſſimum pollinem redactus (ante enim groſſo modo tantum contuſus fuit) nullã amplius aſperitatem, ut in gemmam agere poſſit, habere animadvertitur: novus, vel recens ſubſtituitur; Ita paulatim gemmæ durities ſuperatur, ac ligni inſtar ſecatur. Aqua adhibetur non ſolum, ut pulverem vehat, & agitet, ſed ut prohibeat ne æs incaleſcat, & molleſcat.

A Lamina ærea. B craſſities laminæ ſecans lapides, gemmaſque. C lignum.
D Manubrium quo regitur ſerra.




Ad lapides perforandos aliud inſtrumentum commodiſſimum eſt. Fiat fruſtum chalybis unius pedis longitudine, rotundum pro amplitudine foraminis. Deinde in extremitate, ſeu plana ipſius baſi,

baſi, ſectiones fiant, lineis tranſverſalibus ſatis profundæ, atque hoc modo ut baſis dentata videatur. Duritie deinde chalybi conciliata malleo adigatur continuo planities dentata in Marmor, ſed adhibita aqua, & Smir. pulvere. ita brevi tempore per ſatis craſſum Marmor foramen fiet. Sed pulvis ſubinde, affuſa alia aqua ſæpe mutandus, quia facile ſcabritiem amittit, qua amiſſa non amplius agit in Marmor. A Fruſtum chalybis. B planities dentata.




Ad gemmas excavandas, ut partes ablatæ uſui eſſe poſſint, & ne tantum temporis, & Smir. lapidis, quantum opus eſt, ut in ſcyphi formam excaventur, conſumatur: commodiſſimum, & ingenioſiſſimum inſtrumentum inventum eſt. Rota maior A movet baculum rotundum B. cuius inferiori patri C adhibetur circulus magnus D vel parvus E prout lapis excavandus requirit. Hic circulus ex lamina ærea ad ſummum pupillæ oculi craſſitie, in orbem concinnatur. Lapis F ſupponitur circulo, ita ut baculus erectus ſtare ſupra lapidem videatur. Superiori parti baculi G pondus imponitur H ut fortius premat lapidem. Deinde lapidi Smir. pulvis & aqua adhibetur. Sic verſa rota maiori, vertitur baculus, & cũ eo circulus æneus illi affixus, qui beneficio aquæ & Smir. pulvere lapidem pro craſſitie circuli ænei excavat. Pars vero illa, quæ à circulo non attingitur, & in medio circuli intacta eſt, integra manet, & ad alias formas ſuſcipiendas idonea eſt. Dum inferior eximendæ particulæ pars, ſeparari

parari à lapide debet, cautela opus eſt, alioque inſtrumento, quod baculi inferiori parte affigi debet, idque etiam ex ære fabricandum eſt. Nam omnibus figuris non inſervit circulus. Solet autem æs dictum iſtam figuram habere, quam litera K demonſtrat. Si artifex velit, facto prius in medio lapidis F foramine ope inſtrumenti D, per foramen immittitur inſtrumentum iam dictum, ac paulatim excavatur lapis, donec ad circulum perveniatur, & pars eximatur. Si circulus ſatis craſſus fuerit, per circulum poteſt immitti ſimile inſtrumentum, ſed minus, idque rotari tamdiu, donec alteri maiori locum faciat. Induſtria artificis varias inſtrumentorum formas excogitat, ut commodius optatum finem conſequatur.




Ad planities ſculpendas gemmarii rota lignea A utuntur, è qua ſurſum verſus erigitur manubrium

brium ligneum B. Rota A movet per funem ſtanneam rotam C.cui aqua cum Smir. pulvere inſpergitur. non procul à ſtannea rota, aut orbiculo potius, erectum eſt lignum D, quod excipit quadrantem, inſtrumentum maxime idoneum ad planities gemmarum vel lapidum æquandas, & ſculpendas, cuius figura hæc eſt.



Ad Adamantes plures ſimul in formam, & planities optatas, convenienteſque compendioſe redigendos, aliud inſtrumentũ inveni, cuius beneficio complures brevi tempore præparari poſſunt, qui alias ſi diſtinctim ſinguli præparari deberent, longo tempore opus haberent. Inſtrumentum itaque quod ad Adamantes plures ſimul ſculpendos à me inventum eſt, in tabella ſequenti exprimitur. Conſtat id duobus orbibus ligneis trium pedũ, aut plurium diametro, videlicet A & B. Orbes iſti trabibus C D E ſunt affixi, ne moveri poſſint. Circa marginem orbis ſuperioris & inferioris ſunt foramina quadrata digiti craſſitie, quę invicem ita correſpondent,

dent, ut lignum rectum quadratum per utrunque foramen immitti poſſit ne hinc inde vacillet. Sub iſtis orbibus alius orbis eſt F ligneus, & mobilis,




F axem

axem habens, qui in centro orbis B circumvolvitur. Circa marginem orbis F, lamina eſt ſtannea circularis G, marginibus latum digitum altis ita munita, ne aqua cum Smir. aut Adamantis pulvere ſupra laminam fuſa, effundi poſſit.

Per foramina immittuntur ligna quadrata, quibus gemmæ affixæ ſunt, glutine ex terebinthina, pulvere lateritio, & pice ſicca confecto. Ligni forma in ſequenti tabella exprimitur, ac tribus diſtinctis particulis conſtat, ſi quis velit: alias rectum lignum ſufficere poteſt. Pars H quadrata tam longa eſſe debet, ut orbem A & B tranſire poſſit. Altera pars K annexa ſit inferiori parti ipſius H, axis L beneficio, ita ut verti ſurſum, & deorſum poſſit, habeatque foramina aliquot in margine, quibus alia correſpondere debent in ligno H, idque ut clavis ligneis per foramina inſertis, immobilis pars K manere poſſit. Huic ligno K iterum aliud aptetur M eodem modo præparatum axe, & foraminibus, ut K lignum fuerat. Inferiori eius parti N gluten adhibeatur, quod calefactum, calefactam gemmam facile recipere, & firmiſſime comprehendere poſſit. Lignum hoc ita præparatum, cum gemma, per foramina orbium A & B immittitur, ut ſupra laminam ſtanneam ſtet. Deinde pars illius, quæ eſt inter orbem B & orbem F, videlicet K, vel ad Septentrionem, vel ad Auſtrum flectitur, prout opus eſt, & clavo figitur, ut immota maneat, ac tum demum verſa rota F teritur lapis. Cum opus eſt partem aliam terere, vel lignũ M, vel lignum K in aliam plagam vertitur, & ſiſtitur clavis ligneis. Verum hoc notandum quod lapis, aut gemma non teratur, niſi ſupra lignum H pondus aliquod ponatur, ut gemma ſtanneam laminam premere poſſit.


Verum



Verum ſi cui pondus impoſitum bacillis,non ſatis ſtanneum orbem,ut gemmæ ſculpi poſſint,premere,vel propter velociorem ſi adhibeatur motum eundem inconſtantem,& ſaltantem,vel inæqualem compreſſione habituras,videatur,aliud inſtrumentum priori figuræ adaptari poteſt. Videlicet orbis ligneus, qui immobilis quartus erit, & ſupra tertium locatus. Huic chalybeæ pennæ, aut ferreæ, quales ſclopetis affigi ſolent ut compreſſæ reſiliant, tot affigi debent, quot bacillos orbes inferiores excipiunt. Bacillorum ſingulorum ſuperiores partes attingere compreſſas pennas debent, ita ut dum ſe explicare pennæ à compreſſione conabuntur, valide ſatis,ac pro robore premant bacillum deorſum, & gemmæ illis affixæ ſimiliter orbem ſtanneum. Hoc enim modo conſtantem ac æqualem motum compreſſionemq; fore non eſt dubitandum. Quarti orbis particula adiunctis duabus pennis, totidemque bacillis, priori figura litera X oſtenditur. Debet autem applicari orbis hic eodem prorſus modo, quo tertius applicatus eſt, ac trabibus C B & E inſeri,immobilis enim eſt. Ingenioſus facile modum conſequetur. Si vero modus hic propoſitus alicui difficilis,& intricatus videtur, poterit per partem bacilli quæ ſupra orbem A eminet rimam excindere,ac clavum ligneum pyramidalem (ut figura Z oſtendit) illi indere, ac pertrudere, donec

non amplius poſſit, ita gemma ſatis premet orbem mobilem, & ſtanneum.

Sequens figura quadrantē Gemmariorum oſtendit, cuius ſuperius facta eſt mentio; inſtrumentum ſane utiliſſimum, & opifici commodiſſimum; id omnibus ſuis partibus, ligneum eſt. Lignum B B perforatum eſt, ac excipit baculum D quintæ figuræ. Supra axem C vertitur una cum axe lignum E E circulariter. Circa extremum ipſius ligni E E ubi eſt F, foramen eſt, in quo vertitur lignum N G,



quo

quo moto una movetur H circulariter in excavata parte ipſius ligni E E, ac quadrantem circuli facere poteſt non magis, quia excavatio ligni ulterius non procedit. Ligna H G excipiunt baculum rotundum I, cui affigitur gemma K, quæ ut ſculpatur applicatur orbi C in quinta figura. Notandum, totum inſtrumentũ ſupra baculum D quintæ figuræ moveri in orbem poſſe. Deinde lignum E E cum adiunctis lignis H G I etiã moveri poſſe circulariter in foraminibus lignorum H & G. Verum artifex dum uti vult hoc inſtrumento omnes partes ne vacillent hinc inde optime conſtringere debet. Bacillo L aſtringitur lignum E E ligno B B. Bacillo M aſtringuntur G H ligna ligno E E. Baculus vero I ita fabricari debet ut non facile verti poſſit. Omnibus ita rite accommodatis, & fabricatis partibus, gemmæ ſculpendæ facies applicari omnes fere orbi ſtanneo ad ſculpendum poterunt.

Quod ad ſeptimam figuram attinet, quæ à me inventa eſt, notandum eſt, illius partem H eſſe concavam, ac concavam habere figuram quadratam, ut ligna illa quadrata, quæ tranſeunt rotam A & B ſextæ figuræ, excipere poſſit, ac firmiter, ne hinc illinc vacillent, continere. Notandum etiam, ſeptimam figuram, ſeu ligna illa tria unde conſtat, paulo breviora eſſe, quam ſit ſpatium quod eſt inter rotam F, & rotã B, idque ut ligna quadrata commode concavitati ligni H immitti poſſint. Dum Adamantes ſculpuntur plures, vix opus eſt ſeptima figura, quia tarde ſculpuntur, & ſingulis ſeptimanis vix ſemel ſitum illorum mutare oportet. Figura ſexta abſque ſeptima, oſtendit ſimplicem Adamantum ſculpturam.

Cap. XXV.

An Gemmæ vires & facultates habeant.

MUlti inepte exiſtimant gemmas nullas prorſus habere vires; alii illis tantum elementales facultates concedunt, ut calefaciendi, refrigerandi, humectandi, ſiccandi, aſtringendi, indurandi, extenuandi, incraſſandi, obſtruendi, aperiendi, exedendi, & ſimiles, quæ ex iis ſequuntur, atque à materiæ conſtitutione, & temperamento proveniunt. Alii rurſus peculiares quaſdam facultates à forma ac eſſentia manantes ſingulis tribuunt gēmis, perſuaſi Magnetis exemplo, qui ferro uniri, ac ad terræ plagas ſuas accommodare cupit. Alii ſupranaturales vires & facultates gemmas habere volunt à cœlo, quæ neque materiæ, neque formæ aſſcribi poſſunt. Nullas prorſus habere gemmas & lapides vires, inſanum eſt affirmare, & contra omnem experientiam, ac propterea longiorem confutationem non meretur. Habere autem ab elementis, materia, & eſſentia ſeu forma, vires, non ſolum Magnes, & ſuccinum; ſed Hæmatites, Iaſpis, aliique lapides experientia certiſſima convincunt. De ſupranaturalibus virtutibus maior eſt difficultas. Complures enim ſunt qui habere negēt. Supranaturales voco non ſolum eas, quæ ab ordinariis naturæ inſtrumentis fieri non poſſunt, ut inviſibilem aliquem facere, quæ facultas Ophthalmio, aut ſolem obſcurare, quæ Heliotropio tribuitur; ſed eas omnes, quas natura ignorat, aut quæ à rebus inanimatis fieri non poſſunt, abſque rerum animatarum conſenſu, aut ope. Tales ſunt, eloquentem, pauperem, acceptum omnibus, divitem, fortunatum, tutum, & ſecurum aliquem facere. Alii econtra huiuſ-

Gemmæ vires habent ab elementis, materia, & eſſentia.

An gēmæ habeant vires ſupernaturales.

huiuſmodi vires à gemmis effici, approbante id experientia, exiſtimant. Ac præcipue exemplo Adamantis, quem pontifex ſancta ſanctorum ingrediens, geſtabat in pectore, ac colorem aereum, ſi Iudæi contra Deum peccarant, in nigrum convertebat. Item Smaragdi, qui adulteria prodit, & Turcoidis, quæ caſus pericula excipit. Sed ut meam ſententiã adferam, per gemmas ſæpe admiranda facta fuiſſe non nego: à gemmis tamen, tanquam mixtis naturalibus, non niſi naturalia effici poſſe aſſero. Si ſupernaturale quid per gemmas, aut lapides fiat, aut naturale, quod tamen à gemma, vel lapide fieri poſſe, doctis non videtur, quia connexio cauſæ cum effectu nulla probabilis inveniri poteſt; id nõ gemmis, vel lapidibus; ſed alteri cauſæ, occultæ, vel ſupranaturali videlicet, aſſcribendum eſt, quæ idem per quodvis ſubiectum agere poteſt, ſi vult. Cauſa ſupernaturalis, & agens, eſt Deus, angelus bonus, & malus. Bonus Dei voluntate, malus Dei permiſſu. . Nam aſtra, à quibus ſupranaturales in gemmas facultates ſecundum multorum opinionem mittuntur, nihil contra naturam efficere, nec animantium voluntatem & libertatem inclinare aut cogere ad aliquid agendum, nec gemmis dare quas ipſa non habent facultates, poſſunt. Divitiarum & caſtitatis donum, quod non habent, & natura ipſa ignorat, quo pacto gemmis dent, ut id hominibus impertiantur, non video. Cum divitiæ nihil aliud quam ius quoddam ſint poſſidendi, & ens nullum, eaſque hominis conſenſus faciat, & non natura, quæ ſua omnibus hominibus æque communicat. Caſtitatem in coniugio aut adulterio cognoſcere ſtellas, eamque facultatem Smaragdo tribuere, ut adulteria ſentiat, & prodat, tam eſt abſurdum quam bovem à curru trahi. Adulte-

Gemmæ naturaliter operantur.

Cauſa ſupernaturalis, quæ.

Divitiæ.
Caſtitas.

ria enim quæ propter legem talia ſunt, quemadmodum caſtitatem, omneſque virtutes, & vitia, quæ ab animatis tantum noſcuntur, natura ipſa prorſus ignorat. Effectus itaque omnes qui à gemmis fiunt, ab iis tanquam cauſa fieri debent. Nam qui ab alia cauſa fiunt, licet interpoſitis, vel adhibitis gemmis, ab iis inepte effici dicuntur. Divitiarum cauſam videmus induſtriam, artificium, ingenium, fortunam, & caſum fortuitum. Adulterii vero impietatem, ebrietatem, corruptos mores; ſecuritatis prudentiam. Amicitiæ, modeſtiam, liberalitatem, & comitatem. Inimicitiæ, iram, ſuperbiam &c. Cur itaque dum manifeſtas iſtorum cauſas habemus, eas in ſtellis & cœlo quærimus, & gemmas, quæ cauſæ non ſunt, cauſas facimus? Deinde effectus qui contra naturam ſunt, nunquam à gemmis tanquam cauſis producti cenſeri debent. Aliquem inviſibilem reddere contra naturam eſt, quia omne corpus opacum quale hominis eſt, viſum terminat, & proinde inconſpicuum eſſe non poteſt. Futura contingentia præſcire contra naturam eſt. Non poteſt propterea gemma cauſa eſſe, ut effectus, quorum cauſa incerta, & nulla adhuc eſt, ante cauſam genitam præſciatur. Abſurdum itaque eſt, ſi quis inviſibilis adhibita gemma ſit, ut de Gygis annulo legitur, vel ſi quem futura divinaſſe exitus rei approbet, id gemmæ aſcribere. Sed multi, ut has ſupranaturales vires gemmis ineſſe, & à cœlo, ſtelliſve accepiſſe probent; experientiam allegant, quam refelli non poſſe putant. Verum operepræcium hic eſt declarare, quid neceſſarium ſit, ut quis experientiæ niti poſſit. Dum aliquid experientia (quæ nihil aliud eſt, quam eiuſdem rei ſæpius, & eodem modo factæ, obſervatio) probatum volumus: Inprimis tria obſervare debemus, quæ neceſſario concurrere

Divitiarũ cauſa.

Amicitiæ cauſa.

Futura ſcire.

Experiētia quæ vera ſit.

currere debent, ut nos certos reddant, effectum ab illa cauſa, quam putavimus, productum eſſe. Primum eſt, ſi effectus ab illa cauſa, quam veram exiſtimamus, ſæpe facta fuit, & proprie, non per accidens. Secundum ſi nulla alia cauſa fuerit præſens, à qua effectus fieri potuiſſet. Tertium ſi naturæ non repugnet, neque abſurdum ſit talem effectum, à tali cauſa proficiſci. Primum requiritur, quia ſi effectus quiſpiam ſemel, bis, terve ſolummodo fiat, vel ignoratur, vel non probe dignoſcitur cauſa ipſius. Deinde proprie, & non per accidens effectus fieri debet, alias quod alteri debetur cauſæ, gemmæ, vel lapidi tribueretur. Secundum etiam neceſſarium eſt, quia non ſemper quod præcedit, aut præſens eſt, eius quod ſequitur cauſa eſt, ut nec novilunium, cauſa eſt eorum omnium, quæ poſt novilunium contingunt. Nec Sol cum lucet cauſa eſt actionum humanarum, quæ in ipſius lumine peraguntur. Si itaque aliquid mihi contingat dum gemmam, aut lapidem apud me habeo, & aliud quiddam præſens ſit in quod cauſa effectus veriſimilius reiici poſſit, gemmæ non ſtatim effectus aſſcribendus eſt. Tertium etiam deſideratur, videlicet ut non repugnet naturæ effectum talem, aut talem à gemma, vel lapide fieri poſſe. Repugnat naturæ ut dixi, aliquem inviſibilem facere, & futura præſcire: proinde id à gemmis fieri non poſſe credendum eſt. Falluntur itaque facile, & ſæpe ingenia craſſiora, dum id, quod per accidens fit, proprie fieri putant: dum id quod poſt aliud, aut præſente alio fit, ab eo quod præceſſit, vel præſens eſt, fieri autumant: Et dum id, quod ab aliquo fieri nullo modo poteſt, fieri poſſe opinantur. Hi errores in gemmis multum committuntur. Nam gemmarii ut eas caro pretio vendant, miras virtutes, facultates, & effectus illis tri-

buunt, eaſque mirum in modum prædicant, quas dum obſervant emptores, & ſequi, prout promiſſum fuerat, animadvertunt: etiamſi caſu, vel ab alia cauſa fiant: nihilominus tamen à gemmis, & lapidibus fieri arbitrantur. Magnetem unionem ferri appetere, Sardam, vel Corneolum, vel Iaſpidem rubrum, ſanguinem etiam è vulneribus fluentem ſiſtere, experientia probatur, eæque illis facultates non à materia, & elementorum craſi, ſed ab eſſentia, & forma proveniunt; quæ non ſolum propterea occultæ merito dici poſſunt, ſed quia cauſa etiam efficiens harum facultatum, non minus quam eſſentia, homini prorſus ignota eſt. Probantur autem prædictæ facultates experientia gemmis & lapidibus illis ineſſe, quia ſingula illa tria, quæ requiruntur ad certam experientiam, adſunt. Nam Magnes proprie, & non per accidens, aut propter aliud, quà propter ſe, ferro uniri cupit, ac ſemper, cum non procul à ferro eſt, unionem appetit. Deinde dum appetitus iſte Magnetis obſervatur, nulla res alia præſens unquam deprehenſa eſt talem appetitum habere. Ac tertio abſurdum non eſt, & contra naturam, Magnetem unionem ferri appetere: quia natura gaudet ſimilibus, & ſimilia appetit. Similis eſt Magnes ferro, quia in ferri minera reperitur, vel ferri minera eſt. Imo ferrum eandem, ſed obſcuriorem habet in ſe, quam Magnes, facultatem. De Corneoli, Iaſpidis rubri, & Hæmatitis facultate, quæ ſanguinem ſiſtit, idem afferi poteſt. Semper enim ſiſtunt, niſi vehementior & nota cauſa prohibeat. Deinde nihil aliud præceſſiſſe aut præſens eſſe animadvertitur, à quo ille effectus fieri potuerit, & tertio contra naturam non eſt ſiſti ſanguinem, quem natura ultro ſæpe retinere ſatagit. Quod autem experientia approbet, interdum

pes

per gemmas, aut adhibitis gemmis ſupranaturalia fieri, ut adulteria prodi ruptura Smaragdi, aut caſum & pericula innoxia fieri ruptura Turcoidis; non inde inferendum eſt, illa à gemmis, tanquam cauſis, fieri. Quia ut dixi à gemmis, tanquam cauſis, non niſi naturales effectus produci poſſunt, qui vel à temperie, materia, forma, aut eſſentia illarum proveniunt. Reliqui effectus qui contra naturam ſunt, illiſque adhibitis fiunt, ſupernaturalem habent cauſam, Deum, angelum bonum, vel malum. Adamas quem ſummus pontifex apud Iudæos in pectore geſtabat, dum ſancta ſanctorum ingrederetur, colorem aereum habebat: Qui, cum Iudæi contra Deum peccarant, colorem aereum in nigrum mutabat; non propria facultate, ſed Dei voluntate, quæ ſola cauſa efficiens & mutans colorem fuit. Quod autem Deus per ſe facere poteſt, hoc etiam per miniſtros, angeloſque bonos, qui ſingulari Dei beneficio & ad hominum conſervationem ſeſe gemmis inſinuare poſſunt, ac homines à periculis conſervare, vel gratia aliqua afficere peculiari. Verum ut nihil certi de angelorum in gemmis præſentia affirmare licet, ita etiam huiuſmodi gemmis fidere, & nimium tribuere, placet inprimis malo genio, qui ſe in lucis angelum transformat, & in gemmulæ corpus inſinuat, ac per illam mire operatur, ut quis non Deo, ſed gemmæ fidat, ac ab eo habeat, quod à Deo impetrare deberet. Ita fortaſſis nobis imponit per Turcoidem, ut paulatim doceat, non à Deo ſecuritatem, ſed à gemma petendam eſſe. *Adhibitis gemmis fiunt ſupranaturalia.*

Cap. XXVI.

Quinam effectus à Gemmis fieri poſſint, & qui non.

SUperiori capite an gemmæ vires habeant, nec ne, explicatum eſt, & nonnulli effectus, qui à gemmis fieri poſſint, vel non, obiter oſtenſum eſt. Verum quia brevitas obſcuritatem parere ſolet, ac propter multorum errores gemmis nimis magnæ vires, quam par ſit, tribuuntur, neceſſarium videtur, paulo fuſius demonſtrare, quinam effectus à gemmis, & qui non, fieri poſſint. Id ut commode, & diſtincte fiat, operęprecium eſt, omnia effectuum genera, quæ in hoc univerſo fiunt, perpendere. Sunt autem quatuor.

Quatuor effectuum genera in mundo.

Primo genere continentur illi effectus, qui perfectione vires cauſarum naturalium ſuperant. Talis eſt, igni vim calefaciendi auferre, hominem inviſibilem facere &c. Nulla enim cauſa naturalis efficere poteſt, ut ignis ardeat abſque calore; ut nec aliqua, quæ corpus opacum, & non perſpicuum, aut tranſparens, nullo præſente impedimento inconſpicuum reddat.

Secundo genere continentur effectus, qui etſi quidem vires naturalium cauſarum non excedant, tamen modum, quo cauſæ naturales ex præſcripto à natura ordine utuntur, ſuperant. Talis fuit effectus dum ex Beata virgine natus fuit Salvator. Naturaliter enim ex muliere procreatur homo, ſed non ſine viri adiumento. Modus itaque generandi hic fuit non naturalis. Hæc duo effectuum genera à ſolo Deo, vel diabolo, Deo permittente, fieri poſſunt.

Tertio genere continentur illi effectus, qui vim naturalium cauſarum effectricem non excedunt.

Sed

Sed modum tantum, quo ordinarie ad efficiendum applicantur non ſervant. Talis effectus eſt dum ex argento chymica arte fit aurum, aut dum arbor pomifera, propter ramuſculi piri inſitionem, pira fert. Hi à voluntario agente fiunt.

Quarto genere continentur illi effectus, qui à cauſis naturalibus fieri poſſunt, ac eo modo, ut ipſis quatenus ordinarie ad agendum applicantur effectus, reſpondeant. Tales ſunt dum pluviæ à vaporibus generantur, dum glacies à Sole in aquam ſolvitur, dum homo à maſculo & fœmina generatur, & infiniti alii qui ordinarie quotidie efficiuntur. Hæc quatuor genera effectuum, à gemmis effici poſſe, nonnulli credunt authores. Nam Albertus Magnus inviſibilitatem Heliotropio, & Ophthalmio attribuit, qui tamen effectus à cauſa nulla naturali effici poteſt. Idem author Heliotropium Solem obſcurare tradit. Qui effectus etiamſi naturaliter nubis interiectu fieri poſſit, tamen ab Heliotropio in aquam iniecto, id fieri non poteſt. Iterum alii putant, Iaſpidem, Sole ſcorpionem ingrediente, figura ſcorpionis ſculptum, calculum curare. Item alias gemmas certis conſtellationibus ſculptas, varias facultates ſuſcipere, taleſque, quæ mixtis ineſſe poſſunt: ſed quas gemmæ tamen non haberent, niſi ſculptæ, obſervato certo tempore, eſſent.

Quarti generis effectus à gemmis effici poſſe, nemo unquam dubitavit. Hi enim à forma, materia, vel eſſentia gemmarum promanant. tales ſunt, exiccare, calefacere, & quicunque à materia elementali, eiuſque temperie, forma, & eſſentia proficiſcuntur.

Omnia iſta effectuũ genera quia à ſuis cauſis fiunt, neceſſarium eſt, ut dum à gemmis effici putantur,

Cauſæ quatuor. tur illæ cauſæ ſtatuantur. Cauſæ autem ſunt quadruplices, efficiens, formalis, materialis, & finalis. *Cauſa efficiens duplex.* Efficiens cauſa proprie eſt, ad cuius eſſe ſequitur eſſe alterius, totaliter ab ipſa diſtinctum; plerumque ita ut cauſa ſit in alio ſubiecto, quam in quo eſt effectus. Cauſa formalis, & materialis extra ſubiectum, in quo ſit effectus, nunquam ſunt. Cauſa finalis proprie cauſa non eſt, ſed tantum analogia, quia tantum eſt intentionalis, non realis. Quia itaque gemmæ diſtinctæ ab effectibus ſuis ſunt, & nunquam in gemma ab ipſa procreatus effectus apparet, neceſſario gemma effectus à ſe geniti efficiens cauſa eſſe debet. Cauſa porro efficiens alia agit ex determinatione naturæ, alia ex voluntate libera. Quæ agit ex determinatione naturæ, & incorruptibilis eſt, (nam aliquæ ſunt corruptibiles, quæ deficere poſſunt, antequam effectus fiat) aut ab extrinſeco non impeditur, omnibus neceſſariis ad agendum poſitis, ſtatuto tempore ſine intermiſſione effectum ex ſe prodit. *Cauſa libera.* Quæ agit ex voluntate libera, ut Dei, diaboli, vel animantis, omnibus neceſſariis præſentibus, & nullo interpoſito impedimento, nihilominus poteſt actionem ſuſpendere, ita ut poſitis omnibus requiſitis, effectus non ponatur neceſſario. Si itaque gemmæ cauſæ efficientes ſint, vel naturales erunt, id eſt, agentes ex determinatione naturæ, vel agentes ex voluntate libera. Verum quia voluntatem nullam habent, ſequitur eſſe efficientes cauſas naturales, & ex ordinaria naturæ determinatione, & preterea effectus ab iis productos etiam eſſe naturales, non ſupranaturales. Quia *Cauſa naturalis tantum naturales effectus producit.* cauſſa naturalis, non niſi naturales effectus producere poteſt. Propterea quod omnis cauſa efficiens in ſe perfectionẽ effectus producendi, vel virtute, vel formaliter continere debet. Is effectus ſi præter-

ternaturalis ponatur, eiuſque perfectionem in ſe cauſa aliqua continebat, illa non naturalis, ſed præternaturalis erat. Cum illæ ſupranaturales dicuntur, quæ effectus ſupranaturales producunt. Quia itaque eadem cauſa, reſpectu eiuſdem effectus, & naturalis (qualem eſſe poſui) & non naturalis eſſe non poteſt: manifeſtum & clarum eſt, à gemmis, quæ tantum cauſæ naturales ſunt, ſupranaturales effectus produci non poſſe, ac ob id quicunque ab illis effici ſupranaturales putantur, aut per ipſas fiunt, non ab ipſis, ſed ab efficiente libero, Deo videlicet vel diabolo, fieri. Homo ſiquidem ſupra naturam nihil efficere, niſi Dei vel diaboli ope, poteſt, licet inſtrumentum interdum ſit, ut miri aliquid fiat. Dum videlicet applicat efficienti naturali materias, quas natura nunquam aut rariſſime iungit. Hoc enim modo efficit, ut natura etiam producat id, quod nunquam aut rariſſime ſola produceret: quemadmodum arbores, quæ diverſi generis fructus, propter inſitionem, quam homo facit, ferunt, oſtendunt. Deo omnes illi effectus præternaturales, qui per gemmas aut lapides fiunt, aſſcribi poſſunt, qui referuntur ad manifeſtandam ipſius ſapientiam, potentiam, & reliqua quæ illi ut Deo aſſcribenda ſunt, ut hac ratione cultus ipſi debitus in animis hominum excitetur. Ita aquæ effluxio ex petra & lapide ſicco in deſerto, tanquam ſupranaturalis effectus, Deum habuit autorem & cauſam efficientem, ad manifeſtandam ipſius potentiam, & confirmandos homines in vero cultu, & religione. Sic etiam per Adamantem, quem ſummus ſacerdos in pectore geſtabat, potentiam & iram ſuam Deus, mutando illius colorem ſignificabat, quæ certe coloris mutatio, à naturali nulla cauſa fieri potuit, ut poſtea apparebit, ubi naturalis cauſæ notionem doce-

Homo mira facit.

Deus quando cauſa.

Adamas Aaronis.

Diabolus quando cauſa. docebo. Econtra diabolo , tanquam cauſæ efficienti,omnes illi effectus tribuendi ſunt , qui prudentia vera iudicari poſſunt , ad vanitatem, peccatum,idolatriam, lucrum , vel alias res obtinendas, quæ à Deo ſolo petendæ ſunt,pertinere. Diabolus enim per gemmam facit , & dat ; quod à Deo ſolo dari, vel fieri debet , idque ut paulatim hominum mentes à Deo avocet , & ſi non ipſe , ſaltem vilis creatura colatur,effectus obtinendi gratia,Deoque hac ratione debitus cultus minuatur, & auferatur. Deinde ut hoc modo ille facile,tanquã per gradus, hominem ad maleficam ducat magiam. Dum enim quis huiuſmodi effectus miratur , & gemmis ineſſe putat,etiam figuris,verbis,aliiſque nugis ineſſe credit,ac earum viribus mirifica , & ſupranaturalia effici,dæmonibuſque imperari poſſe autumat. Quod dum animadvertit ſatan, facile orationibus ſe cogi ad ſervitia poſſe ſimulat, & vocatus imperio paret, miraque,ſi cum illo pactum ineatur,promittit : idque ſolum ut decipiat credulum, & irretitum illaqueet, ſuumque faciat. Nam promiſſa non ſolum non ſervat, ſed dominum ſuum de ſalute gratiaque & miſericordia divina deſperantem facit, ac ad neces aliorum hominum,& maleficia, etiam verberibus cogit, illique imperat , & ad iudicia tractum, contra omnia promiſſa & pacta deſerit , ac fori ſecularis iudicio crematum, gehennæ perpetuo igne cruciat. Hic finis (ſi æternitas finis) ſocietatis,aut imperii eſt. Verum non ſolum prædictis modis per gemmas ſpiritus nequam mira operatur, ſed etiam naturalia, & veriſimilia , ut prudentiores decipiat. Quod facit duplici modo. Primo ſi quis gemmam, ſuperſtitioſe certis ceremoniis adhibitis,habeat,geſtet,aut annulo includi curet. Sive illa Deo tantum debeantur(quod peius eſt) ſive nihil ad rem ſpectare

Quomodo ad magiã diabolus hominem trahat.

Diaboli fraus.

Superſtitio.

Turcois.

re videantur. Huiuſmodi ceremoniæ Turcoidi adhibentur, quã putant aliqui caſuri hominis caſum in ſe ſuſcipere, ſi dono data fuerit : nam alias nihil efficere poſſe credunt. Secundo modo, dum quis cauſas ex ſe inſufficientes animo tali applicat, ut dæmonis auxilium ſpectet, aut deſideret. Primo dicto modo, licet diaboli auxilium neque expectetur, neque deſideretur; tamen dæmon facile per gemmam operatur, ut doceat gemmis confidere, & ut dixi ſupra, tanquam per gradus, ad magiam maleficam hominis mentem ducat. Primus gradus magiæ eſt, dum naturale quid fit adhibitis mediis inconſuetis, & quæ nihil ad rem facere poſſunt. Ut cum quis leporis capturam prohibet, inverſo lapide aliquo qui in via iacet. Secundus gradus dum naturale quid fit adhibitis iis, quæ tantum ad honorem divinum ſpectant, aut ſacra ſunt. Ut dum quis ſacrificante ſacerdote crucem ex ligno fabricat ad febres ſanandas. Hic enim ſuperſtitio gravis committitur, niſi quis diaboli opem deteſtetur, & precibus à Deo iuvari (non confidens figuræ materię, vel tempori) petat. Nam omnes circumſtantiæ & ritus ab Eccleſia Catholica non permiſſæ, rebuſque ad effectus obtinendos adhibitæ, ſuperſtitionem faciunt. Quæ ſi effectum pariat contra conſuetum naturæ ordinem Satanã habet cauſam efficientem.

Gradus ad magiã.

Quando diabolus efficiens.

Tertius dum quis ſupranaturale quid facit adhibitis orationibus piis, aut rebus ſacris, ſed adiunctis ceremoniis, quæ nihil ad rem faciunt, & ab Eccleſia non ſunt approbatæ. Quartus dum quis naturale, aut ſupernaturale opus efficit, expectans, vel deſiderans tacite dæmonis auxilium. Quintus dum quis expreſſe ipſius auxilium petit. Sextus dum quis cum illo paciſcitur, & ſe illi devovet, Deumque, ac omnes creaturas abiurat, qui certe gradus ſcopus

eſt diaboli,ad quem per gradus prædictos paulatim pervenitur.

Sed non ſolum,ut hactenus oſtenſum eſt, ſupranaturales effectus à gemmis fieri non poſſunt naturaliter: verum etiam multi naturales. Quia ut naturaliter à cauſa naturali efficiente propria, & propinqua effectus naturalis producatur, multæ conditiones neceſſariæ requiruntur. Prima eſt conditio, Ut ſubiectum aliquod ſit præſens, quod effectum ab efficiente productum recipiat.

Cõditiones requiſitæ ut effectus ſit naturalis.

Secunda ut certa latitudo diſtantiæ ſit inter efficiens, & ſubiectum ex quo effectus eſt producendus, ita ut extra illam diſtantiam non poſſit effectum producere, quemadmodum neq; Sol regiones circa arcticum polum ſitas ita calefacere poteſt, dum in tropico Auſtrali hæret,ſicut facit dum circa cancri tropicum verſatur.

Tertia conditio eſt, ut ſpatium inter cauſam & effectum ſit plenum,id eſt,continuum : non ſolum quia vacuum non datur:Sed quia res naturales plenitudinem, vel coniunctionem immediatam inter ſe requirunt, ut in ſe mutuo agant, & ſic perfectionem conſequantur. Nam quæ mediate in ſubiectum agunt, tantum ſunt cauſæ per accidens,non efficientes. Agentia ſiquidem duplicia ſunt,alia mediata,alia immediata. Immediata rurſus duplicia: alia immediata, immediatione virtutis; quæ nempe producunt effectum virtute ſibi naturaliter ingenita, quomodo ignis reſpectu caloris, quem producit, eſt agens immediatum : alia ſunt immediata, immediatione ſuppoſiti; illa nempe inter quæ, & effectum,nullum intercedit aliud agens, cui vim ſuam communicent.

Agentia duplicia.

Quarta conditio eſt, quod cauſa efficiens, ſeu

agens

agens immediatum immediatione ſuppoſiti, non poſſit agere in ſubiectum ab ipſo per medium corpus diſſitum, ſive diſtans. Diſtare autem inter ſe dicuntur, inter quæ medium eſt corpus extenſum, ita ut à neutro eorum penetretur. Et ratio eſt, quia ſi ageret, agentia abſque continuatione & plenitudine agerent, quod eſt abſurdum. Si itaque inter cauſam, & ſubiectum, corpus aliquot medium ſit, id debet ſuſcipere virtutẽ agentis, vel ſinere ut virtus permeet ad ſubiectum. Ita aer medius inter Solẽ & terram lumen Solis tranſmittit, ut terram illuminet, calefaciat, & fructus producat. Corpus vero opacum impedit, ne lux permeet Corpus medium interiectum virtute agentis in ſe recepta alterari poſſe eſt neceſſe: Sed illam virtutem non oportet ſemper, & omnino eſſe eandem, qua ſubiectum proxime ad effectum producendum immutatur. Quia neque Sol cum calorem in terra excitat, illum prius aeri imprimit, ut media aeris regio frigida oſtendit. Nec ſimilem etiam neceſſe eſt virtutem eſſe prorſus ei, quem agens ipſum impreſſum continet. Sed poteſtate imitari debet utramque, & talis eſſe prȩterea, quȩ veluti actio agentis in ſubiecto extrinſeco exiſtens, præſentiam agentis deſideret: & quanto eidem eſt propior, tanto ſit perfectior, & quanto longius diſtat, tanto imperfectior, & quæ in parte remotiori medii exiſtit, producatur virtute quidem exiſtente in parte proxima, ſed dependente ab ea, quȩ eſt in agente: & hinc effici, ut quo longius ab agente virtus in medium diffunditur, tanto perfectione imminuatur.

Quinta cõditio eſt, ut mediũ, quod inter cauſam & ſubiectum eſt, ſit apte diſpoſitum ad recipiendã virtutem agentis. Nam ſi non fuerit, reliquis omnibus poſitis effectus univerſaliter ſequi non poteſt.

Regulæ ad ſciendum num cauſa ſit vera effectus putati.

Conditiones cauſæ efficientis explicavi: nunc regulæ oſtendendæ ſunt, quibus ſciri poſſit, num cauſa aliqua ſit vera cauſa illius, vel iſtius effectus, vel non ſit. Nam ſæpe, quæ cauſæ non ſunt, cauſæ putantur. Ut itaque cauſa aliqua ſit naturalis iſtius, vel iſtius effectus: Primo talis eſſe debet cui non repugnet, ut talis eſt habere perfectionem effectus vel virtute, vel formaliter. Secundo neceſſe eſt, ipſa inter certos alicuius ſpatii limites præſente, & reliquis quæ ad agendum ſunt neceſſaria poſitis, nulloque intercedente impedimento, ſequi effectum tempore ſtatuto, & pro effectus exigentia debito variari, prout intra ſpatii limites adhibetur ad ipſum producendum propinquius, vel remotius.

Tertio, ut applicata ab iis, qui de ſuperſtitione minime ſunt ſuſpecti, eandem vim ſemper habeat.

Quarto ut ipſa ſublata, cæteris omnibus etiam poſitis, effectus non ſequatur. Omnes itaque effectus, ſive motus rerum, quorum cauſæ ſufficientes ex rebus naturalibus applicatis, per regulas iã poſitas, aſſignari à viris doctis, & in rerum naturalium cognitione verſatis, nequeunt, proveniunt ab agẽte occulto, quod eſt divinum, vel diabolicum, ut paulo ante explicavi. Regulæ autem iudicandi id quod cauſa putatur cauſam non eſſe, hæ ſunt.

Prima ſi conſtet effectum nunquam ſequi cauſam, vel ſequi per accidens, quod ſimul iungitur.

Secunda, ſi prudentes, qui rerum uſum habent, ſuppoſito omni effectu ordinato, negent quod putatur cauſa eſſe cauſam.

Tertia ſi comparatione rei facta cum aliis cauſis, quæ notæ ſunt, modus involvatur applicandi nimium diſcrepans, vel qui merito poſſit cogitari eſſe voluntarius.

Quarta cum res cum effectu nullam habet affinitatem,

tatem, qualis, rebus, quæ vim habent procreandi, cum ſuis effectibus intercedit. Inde enim infertur quod nec virtute, nec formaliter effectum contineat. Ut cum arbor dicitur producere bovem, virtute continet vermem, & formaliter malum, ſed nunquam bovem.

Quinta quando nunquam ſeparatim res effectum producit, ſed cum coniunctione aliorum, quę vim habent producendi effectum.

Sexta quando conſtat rem aliquam ob aliquem finem eſſe inſtitutam, quo non pertinet effectus.

Septima ſi effectus à cauſa iiſdem conditionibus exiſtentibus nunquam amplius evenit.

Hæ regulæ facile detegunt falſam cauſam à vera, ac ſæpe cauſam aliam alicuius effectus eſſe, quam quæ putetur, & quæ naturalis putatur ſæpe occultam eſſe, divinam nempe, vel diabolicam, oſtendunt. Sed antequam hæc omnia, tanquam generalia, ad gemmas, & lapides referantur, operæpretium eſt, prius ſcire, effectus aliquos proprie, alios improprie eſſe. Effectus proprie eſt id, quod qua ratione à cauſa procedit eſt vera res, & non motus aliquis rei, proinde ante ens non erat, ut ignis in ligno, & ſic effectus à cauſa productiva fit. Improprie effectus, dicitur motus entis, ſecundum quem ens aliter ſe habet, quam prius, tamen non producitur de novo, ut motus localis in lapide prius quieſcente, cuius cauſa non productiva vocatur, nam cauſa motus revera fuit prius in lapide. Effectus improprie dictus, ſive motus rei duplex eſt, alter realis, alter intentionalis. Realis eſt rei motus quidam ſe habendi in ordine ad alterum, qui ordo convenit rei citra cognitionem, id eſt, non ut res eſt in cognoſcente obiective. Intentionalis effectus eſt, qui non convenit rei, niſi quatenus eſt

Effectus proprie.

Effectus improprie duplex. Realis.

Intentionalis.

obiectum cognoſcentis, ſive repręſentantis. Realis motus iterum duplex. Permanens, & fluens, ſeu ſucceſſivus. Permanens eſt figura, ubi ſitus, habitus, raritas, denſitas, relationes, aliaque, ut eſſe ſimile, æquale, &c. Fluens, ipſa quæ permanent continet, ſed quatenus illa res fluentes afficiunt. Deinde motus localis, ut actio, paſſio, & ſimilia. Effectus naturales rurſus, alii ſunt materiales, alii ſpirituales, ſeu immateriales, qui vi cauſarum naturalium immediate produci non poſſunt. Quia cauſarum naturalium vis & efficientia ſubiectum præſens, in quod agat, immediate deſiderat: & materiæ concurſu aſtricta tenetur in rebus, vel materialibus effectibus producendis, ut ſuperius in prima conditione effectuum oſtendi. Immateriales autem effectus, ſeu ſpirituales, ſine concurſu ullo ſubiecti, vel ex potentia tantum animæ rationalis producuntur. Hinc fit, gemmas vel lapides, dum cauſæ naturales & materiales effectuum ſtatuuntur, in actus intellectus, voluntatis, habitus, ſcientiarum, virtutum, & vitiorum propenſiones, quæ parti rationali animæ ingenerantur, nihil efficere, ut nec in alias res ſpirituales impreſſionem immediatam facere poſſe. Proinde eloquentiam, caſtitatem liberalitatem, affabilitatem, pietatem, divitias, honores, favores, &c. dare vel tribuere alicui non poſſunt. Mediatam tamen impreſſionem facere poſſunt, ſed non ita, ut libertas hominis circa obiectum tollatur. Mediatam faciunt dum ſpiritus recreando cor roborant, ac id poſtea roboratum, alios in corpore affectus producit, ut confidentiam, magnanimitatem, audaciam, ſimiliaque, quæ corporis conſtitutionem ſequuntur. Quod autem corporis conſtitutionem animi mores ſequantur, peculiari docet Galenus tractatu, quem conſulere lector poteſt.

Effectus naturales alii materiales, alii immateriales.

Gem-

Gemmas vero aut lapides dum corpori applicantur aliquid in ipſo efficere poſſe experientia multorum ita approbatum eſt, ut temerarius videatur (licet ratio non ſemper aſſequi cauſam valeat) qui id negare audet. Probat id Corneolus, Hæmatites, & Iaſpis, qui omnes ſanguinē ſiſtunt appoſiti. Quem effectū nemo frigiditati illorum aſſcribere poteſt, quod alii lapides æque frigidi id non faciant. Putant aliqui virtutem quandam occultam lapidibus ineſſe, actione aſtrorum impreſſam. Sed non eſt neceſſe, meo iudicio, ad aſtra recurrere, cum formæ proprietas occultas vires habeat ſibi divina ordinatione impreſſas, quas ſemper ubi nullum impedimentum præſto eſt, ordinarie tanquam è ſinu ad hominis, & animantium, utilitatem depromit. Hoc tamen inprimis obſervandum, multas vires falſo aſſcribi gemmis, quas nec habent, nec habere poſſunt.

Virtus occulta an ſit in lapidibus.

Effectum improprie dictum paulo ante à cauſſa non productiva effici diximus. Ut vero ille in realem, & intentionalem dividitur, ita & cauſa; quia quot genera effectuum, tot cauſarum. Cauſa itaque non productiva alia realis, alia intentionalis. Realis multiplex eſt. Sed illa tantum huic tractatui convenit, qua res moventur loco; quæ vel in animalibus eſt, & animalis vocatur, vel in cæteris rebus omnibus, ac naturalis vocatur, & ad locum unum aſtringitur, ſequiturque naturæ determinationem, tanquam principium movens, cum è contra animalis ad locum certum non aſtringatur, & ſequatur cognitionem, tanquam movendi principium. Propterea quæcumque res naturales naturaliter impelluntur in varias partes indeterminate, non poſſunt citra vim extrinſecam impellentis moveri. Quæ ſi aperta non eſt habet motorem ſpiri-

Cauſarū diſtinctio.

tualem & occultum, Deũ, vel diabolum. Propterea motus quo annulus Turcoidem habens, & ex filo perpendiculari pendens horas ad vitri latera pulſus indicat: ſi propter tenentis manum (quod puto) non fiat, dæmonis opera perficitur.

De cauſa non productiva intentionali, eiuſque effectu, qui nihil aliud eſt, quam res, qua ratione eſt obiectum repręſentantis, vel cognoſcentis; ita ut ratio formalis eius in hoc poſita ſit, ut obiiciatur cognoſcenti, nihil dicemus; quia gemmæ cum animantia non ſint, & cognitionem nullam habeant, huiuſmodi effectus efficere non poſſunt.

Cõcluſio. Ex præſcriptis itaque colligi facile poteſt, gemmas, & lapides, dum naturales tantum, ut ante oſtendi, ſuorum effectuum cauſæ ſint, ac effectus ob id neceſſario etiam tantum naturales ſint; eoſdem ſemper eſſe reales, nunquam intentionales. Deinde plerumque eſſe materiales, raro ſpirituales, & tum tantum, cum per medium aliquod efficiuntur, quod verius cauſa, quam gemma ipſa ſtatui poteſt. Exempli cauſa, ſi Corneolus, Iaſpis, aut Hæmatites ab eo qui continuum ſanguinis profluvium paſſus fuerit, & propterea puſillanimus, & debilis redditus ſit, geſtetur, & ſanguis ſiſtatur: poteſt propter ſanguinis retentionem, cor ita corroborari, ac temperies viri reſtitui, ut loco puſillanimitatis, magnanimitatem acquirat, virtutem immaterialem: ſed quæ à materia tamen, videlicet ſanguine, dependeat, ut omnis animi habitus, & intelligendi actus. Sed, ut dixi, impropriè huiuſmodi effectus, qui propiorem habent aliã cauſam, nempe copiam ſanguinis, & ſpirituum, à gemmis effici dicuntur. Sapientiam vero, eloquentiam, prudentiam, comitatem, memoriam, aliaſque virtutes,

tutes,& intellectus habitus à gemmis effici, & produci, ut hactenus creditum fuit, longe eſt abſurdius. Cum hæ neque ab humoribus, neque ſpiritibus, ut ira, puſillanimitas, verecundia, & timor, proveniant: Sed à rationalis animæ parte, rerumque uſu, & conſuetudine, quæ habitum induxit. Res vero externas, quæ neque à corpore, neque ab anima ortus ſui initium habent, ut divitiæ, principum favor, paupertas, fortuna in peregrinatione, immunitas à periculis, & ſimilia, in hominis corpus transferre gemmas, tanquam veræ harum cauſæ ſint efficientes, mirum eſt quomodo hominibus perſuaderi potuerit. Præſertim dum res materiales non ſint, & opinione potius res, quam re vera. Divitię enim, fortuna, paupertas, favor, licet res ſibi habeant ſubiectas, circa quas ita dicuntur: nihil tamen aliud ſunt, quam relata, quæ ratione alterius, quid videntur eſſe. Divitiæ ſane ratione paupertatis tales dicuntur, ut fortuna ratione infortunii talis dicitur. Dixi ante, primam conditionem cauſæ naturalis eſſe, ut ſubiectum ſit præſens, quod effectum ſuſcipiat. Hic certe nullum eſt, cum divitiæ, & fortuna, ut relata omnia nihil ſint: niſi forte ex homine aurum aut pecuniam gignat gemma, quod tamen nemo aſſeret. Sed ſi gigneret, neque ſic divitias produceret, cum aurum à divitiis diſtinguatur. Si animum hominis regere dicas gemmam, ut is ſtudioſe divitias quærat, & comparet, iam per ſubiectum voluntarium cauſam naturalem agere ſtatues, & ſic per medium, quod poteſt impedire effectum, idque abſurde: quia ſic à voluntate, non à gemma, dependebit effectus: falſo ergo ſi fiat effectus gemmæ tribuatur. Sed præter prædicta mirum eſt, quod aliqui ſcribant gemmis Deum reddi geſtantibus propicium, ac iiſdem dæmones fugari. Id ſi

Intellectus habitus à gēmis non fiunt.

Quæ homini extrinſecus accidunt à gemmis nō fiunt.

verum eſſet, non ille Deus, qui eſt, eſſet: ſed gemma, quæ in illum ageret, eiuſque voluntatem flecteret. Sed quonam devenit humana ſtultitia, quæ corpus inanime in Deum liberrimum, ac nullius poteſtati ſubiectum, imperium habere, & in eum quid efficere, qui omnium rerum cauſa eſt, credit? Quonam etiam humana nequitia, quę ſæpe contra conſcientiam, propter avaritiam, gemmis divinas aſſcribit facultates, ut immenſo pretio divendi poſſint? Divitias, ſanitatem, Deique, & Principum favorem, quia nemo eſt, qui non exoptet, propterea non mirum ab imperitiſſimis facile credi gemmis huiuſmodi admirabiles virtutes ineſſe, eaſque tanquam felicitatis authores coli, ac caro pretio coemi. Sed hæc præſtare, & efficere non poſſe gemmas, peritiores, & vel parum docti, ac naturali iudicio præditi, facile intelligere poſſunt. Nullus itaque effectus naturalis, qui connexionem cum ſua cauſa non habet, ab illa effici poteſt. Ex prædictis etiam regulis facile colligi poteſt, gemmas geſtatas cauſas productivas nunquam eſſe poſſe, id eſt, nunquam effectum producere poſſe, qui ens ſit, quod ante non fuerat, niſi ſubiectum attingant, & aliud afficiens accedat, ut illæ potius materialis cauſæ rationem obtineant. Ut dum ex Chalcedonio, & ferro excitatur ignis: Hic enim motus, ſive voluntarius, ſive caſu adhibitus, ex Chalcedonio & ferro tãquam materiis producit ignẽ, quem gemma quieſcens nunquam produceret, & multo minus ſi ſubiectum non attingeret, ex quo effectus eſſet producendus. Non ſolum quia gemmæ formaliter, vel virtute nullum effectum proprie in ſe continent, ſed quia etiamſi continerent, tanquam res quieſcentes, & mortuæ, in ſubiectum diſtans, & quod non attingunt, nihil efficere poſſunt, ut docet ſe-

An Deum reddant gemmæ propitiũ.

cunda conditio. Quicquid itaque efficiunt gemmæ, tanquam cauſæ non productivæ id faciunt, ac effectus tantum improprie dictos producunt. Si intus ſumantur ab homine, materiales cauſæ redduntur ſuorum effectuum, & cauſa efficiens fit calor nativus. Gemmas vero à cauſis agentibus, quæ reales nō ſunt, aliquid pati poſſe, ut Smaragdum ab actu adulterii, & Turcoidem à caſu, non quatenus concutitur, ſed quatenus nocere caſus potuit geſtanti, diſrumpi; plus quam abſurdum eſt. Fortaſſis à nimia calefactione quę coitu excitatur excalefacta gemma, ſubitoque hyemali tempore frigori expoſita rumpi poſſet. Sed hoc propter adulterium non fit. Turcois quia mollis, propter annuli concuſſionem à caſu rumpi poſſet. Quod ſi huiuſmodi effectus à prædictis gemmis fieri videantur, vel propter allatas cauſas, vel propter occultam efficientem fiunt. Sed putantur gemmæ propter figuras certis temporibus illis inſculptas, ſitum, aut propter hominis geſtantis imaginationem, & ſympathiam, mira ſæpe efficere. De his etiam ne quid deſit dicendum.

Gemmæ quo modo quid efficiant.

An figuræ gemmarum operētur.

Quod ad figuram attinet, illa eſt terminus quantitatis finitæ ſecundum ſuperficiem externā, & dividi poteſt multipliciter. Primo ratione dimenſionis, ſecundum quam alia plana, alia inciſa. Secundo ratione materiæ, cum alia ex Iaſpide, alia ex Corallo ſit, &c. Tertio ratione temporis quo fit. Quarto ratione ſignificationis. Quinto ratione ſimilitudinis. Sexto ratione qua figura eſt. Ratione dimenſionis, facultas nulla agendi in figura eſt, quia quantitas, neque ut quantitas eſt vim agendi habet, alias omne quantum haberet, neque ratione ſpecierum, in quas quantitas per ſe dividitur, ſic enim futurum eſſet, ut agendi virtus eſſentialiter de ſpeciebus

Figura multiplex.

ciebus quantitatis diceretur, quod vel hinc falſum eſſe dignoſcitur, quod nullius prædicamenti differentiæ eſſentiales, quibus contrahitur, de ſpeciebus alterius poſſint eſſentialiter prædicari.

Ratione materiæ figura vim immutandi per accidens conſequitur, eam ſcilicet, quam materia ipſa habet, quia cum materia figura idem eſt, & abſurde illi aſcribitur effectus, qui ab illa non ut figura, ſed quia à tali materia facta eſt, provenit.

Ratione temporis quo conflata eſt vim habere non poteſt, cum tempus ens reale non ſit proprie, ac non ens, ens producere non poſſit Quod ſi tempus adhibeatur propter certum cœli aſpectum, qui concurrit ad deſtinatum temporis punctum, quaſi ille vim ſuam impertiret gemmæ; incertum quid, & hactenus nulla demonſtratione oſtenſum, neq; experientia approbatum creditur. Aſpectus enim & cœleſtia ſi quid agant in materias, non propter figuram, quæ artificialis eſt, & à natura non agnoſcitur: ſed propter materiæ eſſentiam, ſuas illi vires imprimunt, idque ſemper; cum figurata, vel non figurata æque apta ſit, ad vires, quas cœleſtia corpora illis infundere poſſunt, ſuſcipiendas.

Ratione ſignificationis figura vim aliquam efficiendi habet, ſed illa intentionalis eſt, neque gemmæ, aut materiæ aſſcribenda eſt. Agit autem figura, dum obiecta intellectui, movere poteſt voluntatem, & appetitum, & ratione huius facultatem motricem ad movendum impellere, lege quadam ſubordinationis, qua facultates hæ inter ſe nectuntur. Hoc modo figura laſciva, luxuriam excitare poteſt.

Ratione ſimilitudinis figura etiam agere poteſt, quatenus movet appetitum, & voluntatem, propter id quod intellectui repræſentat. Sed hac ratione gemma, vel materia, ex qua conſtat figura, non
eſt

eſt cauſa effectus, neque aliquid ad effectum facit, quia ſimilitudo, quæ movet ſenſum animalis, idem in quavis materia facere poteſt.

Figura autem ſola, abſque aliis circumſtantiis conſiderata, quatenus figura eſt, nihil prorſus efficere poteſt. Quia figuræ non ineſt perfectio effectus formaliter, vel virtute. Deinde figura per ſe ſolo motu locali perficitur, qui philoſophorũ ſententia, producendi virtutem nullam habet. Deinde nunquam experientia viſum fuit, motum aliquem nõ poſſe alteri aſſcribi quam figuræ: proinde potentiam movendi nullam habere figuram, certiſſimum videtur. Præterea figura, ſive ſit Geometrica, ut circulus, vel triangulus, ſive character alicui planetæ aut ſpiritui dicatus, ſive actum aliquem humanum referat, aut figuram alicuius ſubſtantię, duntaxat qualitas quædam ipſius quantitatis eſt, ac nunquam actionis principium, neque conprincipium in motu locali, qui per alterationem fit, eſſe poteſt.

Situs an operetur in gẽmis.

Quod ad ſitum attinet gemmarum, ſive illæ in auro, argento, aut alia materia includantur, ſive ad certas plagas mundi accommodentur, nihil ſitus iuvare ad gemmæ vires augendas poteſt naturaliter; quia proprie ſitus ens reale non eſt, & tantum ratione alterius, aliquid eſſe videtur, ut relata omnia. Si materia cui imponitur gemma aliquid efficere naturaliter poteſt, vim gemmæ naturalem augere poteſt. Sed tum ſitus quoad ſitus nihil operatur.

An gẽmæ propter imaginationẽ geſtantis agant.

Quod ad imaginationem attinet; multi putant, & credunt, gemmas vires per ſe ſolas non habere: Sed ſi effectus aliqui ab illis fieri videantur, ab imaginatione geſtantis effici. Sed notandum, imaginationem, ut imaginatio eſt formaliter, immediatam

vim,

vim, ſive movendi, ſive producendi, habere nullam aliam, quam eſt actus imaginationis. Quia cauſa debet virtute aut formaliter perfectionem affectus continere. Imaginatio autem perfectionem obiecti repręſentative tantum imitatur. Deinde imaginatio ut talis eſt, id eſt, qua ratione ſubſtantiis corporeis, & mutationi obnoxiis convenit, nec movendi, nec producendi virtute immediata eſt prędita. Quia ipſa remota, & aliis poſitis, non propterea impeditur effectus. Nam vis eorum effectuum, qui imaginationi tribuuntur, reſidet in qualitatibus complexionalibus, quæ imaginationi ſubordinantur. Quia effectus quicunque imaginationi vere tribui poſſunt, vel complexionales ſunt, vel complexionem veluti diſpoſitionem quandam ſequuntur.

Imaginatio illa, quam vehemens appetitus ſequitur, vim habet producendi & movendi mediatam, ſubordinatione quadam ſpirituum, & humorum, ex quibus corpus conflatur, facultatis item motricis, quæ animali eſt ingenita. Non poteſt tamen illa excedere vires ſpirituum, humorum, & virtutis motricis. Interdum, ſed admodum raro, poteſt accedere virtus aliqua occulta, cuius applicatio, imaginationi eſt ſubiecta. Ut itaque imaginatio propriũ corpus non niſi dictis modis alterare poteſt, ita neque alienum; quod non alterat, niſi qua ratione ſpiritus animales, aliqua qualitate imbutos, aut infectos, fumoſve venenoſos à corpore pellit in corpus alterius. Nam virtus mediata imaginationis, maior eſſe non poteſt, quam quæ eſt ſpirituum, & humorum, & virtutis motivæ, quæ ab anima regitur. Si itaque gemma beneficio imaginationis aut adiuvante imaginatione effectum putatur produxiſſe, qui dictis modis fieri ab imaginatione non poteſt,

Imaginatio an agat in corpus alterius.

teſt, credendum eum cacodæmonis ope fuiſſe productum. Sed putant aliqui, gemmas, aut figuras vel characteres illis inſculptos, ſympathiam habere cum rebus nonnullis inferioribus, vel ſuperioribus, aſtris nempe, vel aſpectibus, atque hac ratione mira interdum, & quæ præter rationem videntur, efficere. Sympathiam iſtam contingere exiſtimant propter ſimilitudinem, quã habent inferiores figuræ, & characteres naturales, vel artificiales, cum ſuperioribus, & cœleſtibus. Sed falluntur: quia cœleſtia corpora, neque figuras, neque characteres habent, neque etiam ſimilitudinem aliquam cum figuris, aut characteribus inferioribus, ſive illæ naturaliter, caſu, aut artificio rebus inſint. Nam etſi leonis, anguis, urſæ, cancri, piſcium, capricorni, aut alterius rei figura, in cœlo ab Aſtronomis ſtatuatur, non id fit, quod revera ibi huiuſmodi animalium aliqua figura, aut ſimilitudo ſit: ſed tantum quia illis placuit, aſtris tale nomen docendi cauſa tribuere. Quod urſæ ſidus demonſtrat, id enim aliquibus currus nominatur: An autem ſimilitudinem habeat currus cum urſa iudicent prudentes. Fictitiæ res ſunt figuræ cœleſtes, & nulla entia realia, ac propterea nihil agere, aut cum rebus inferioribus convenientiam nullam habere poſſunt. Quia tamen harum opinionum autores, inferiores figuras ſeu characteres ſympathiam cum corporibus cœleſtibus aut earum fictitiis figuris habere, ac ita propter ſimilitudinem, & convenientiam, ut dixi, admirabiles vires ab aſtris accipere, eaſque deinde circa obiecta idonea exercere, exiſtimant: Explicandum eſt quidnam ſympathia, cui tanquam cauſæ multi multa tribuunt, ſit. *Gemmæ an ſympathiam habeant.*

Sympathia, & eius contrarium antipathia, non aliud ſignificant, quam rerum naturalium vires, pro- *Sympathia quid.*

propriaſque affectiones, cum tali reſpectu, ut comparando unius perfectionem cum alterius, intelligantur aut repugnare, aut conſentire inter ſe.

Perfectio rerum duplex, altera eſſentialis, accidentalis altera. Hæc rurſus quadruplex. Una eſt potentia rei naturalis, altera operatio, tertia modus certus ſe habendi ex natura rei debitus, ut ſitus eſt, quarta effectus qui rei extra ipſum, in ſuppoſito diſtincto debetur. Ut perfectio dividitur, ita ſympathia, & antipathia rerum. Eſſentialis ex accidentali tanquam à ſigno colligitur, nec ad propoſitum facit, itaque de accidentali tantum agendum.

Sympathia. Sympathia itaque (ut illam deſcribamus) eſt conſenſio rerum ſecundum accidentia propria, operationes, & effectus, qua ſibi mutuo ſuppetias ferunt ad perfectiones debitas obtinendas. *Antipathia.* Antipathia vero eſt repugnantia inter affectiones proprias, operationes, & effect⁹ rerum, talis, qua ſibi mutuo impedimento ſunt ad debitas perfectiones accidentales conſequendas. Sic inter ignem & aquam eſt antipathia, inter ignem & aerem ſympathia. Putare autem inter res naturales talem eſſe ſympathiam, ut opportune applicatæ poſſint effectus ſupranaturales efficere, aut opinari ſidera cum homine aut figuris ab eo factis ſympathiam habere, abſurdum eſt. Quia ſi vim aliquam in rebus efficiendis obtineant ſympathia aut antipathia, ea ad cauſam aliquam debet revocari. Et cum non poſſit reduci in materiam, aut formam; quippe antipathia & ſympathia rerum non concurrunt ad efficiendas res conſtituendo & explendo ipſas ſicut partes, nec etiam ad finem, cum finis cauſa tantum ſit intentionalis: Sequitur, cum cauſæ tantum quatuor ſint, vim quam antipathia & ſympathia habent in effectio-

ctione rerum, ad efficientem cauſam pertinere. Sed quia ex definitione ſympathiæ, & antipathiæ, colligitur duo contineri nomine utriuſque, nimirum perfectiones rerum naturales, deinde reſpectum quendam ſecundum quem inter ſe repugnant, & conveniunt: ratione huius reſpectus nullam vim agendi participant. Quia relatio, ſive realis, ſive rationis, quatenus relatio eſt, agendi vi caret. Quod ſi ſympathia, vel antipathia pro fundamento huius reſpectus accipiantur, poſſunt eſſe conditio neceſſario requiſita, ut res in ſe mutuo agant. Sed ita non ſunt cauſæ: ac proinde falſum eſt ex aſtris poſſe communicari virtutem gemmis, vel lapidibus, ut effectus pariant contra communem naturæ ordinem, & quorum ratio veriſimilis nulla à prudentibus dari poteſt. Cœlum, & aſtra tanquam cauſæ communes, & univerſales, regunt quidem iſta inferiora, ac vires per radios & calorem rebus immittunt: ſed effectus qui inde proveniunt, ſemper inde proveniant, nec propter figuram, aut characterem promoventur, aut impediuntur. Qui autem inde proveniunt, facile experientia deprehenduntur, nec contra naturam, aut rationem eſſe deprehenduntur, etiamſi ratio fortaſſis intelligi non poſſit. Sic cœli plaga ſeptentrionalis ferrum Magnete tactum, & in æquilibrio poſitum ad ſe reſpicere cogit ſemper, etiamſi ratio cur id fiat ignota, aut inventu difficillima ſit. facile quidem perſpicitur, inter cœli plagam, & Magnetem ſympathiam eſſe, ac propter ſympathiam motum fieri, verum cauſa cur fiat ignoratur

Hactenus ſatis tum hoc, tum præcedenti capite me oſtendiſſe arbitror, quinam effectus à gemmis, vel lapidibus fieri poſſint, & qui non poſſint. De-

prehenduntur ſane omnes illi effectus, qui à materia, forma, vel accidentibus rerum corporearum fieri poſſunt, etiam à gemmis, vel lapidibus fieri poſſe, quales ſunt calefacere, humectare, ſiccare, refrigerare, attenuare, incraſſare, emollire, indurare, exedere, obſtruere, & qui ex illis proveniunt. Ac præterea etiam omnes illi, qui à rebus inanimatis fieri poſſunt, licet ratio quomodo fiant, ignoretur, præſertim ſi experientia approbentur, id eſt, ſemper fiant, & nulla alia res præſens ſit, in quam cauſa effectus coniici poſſit, & deinde contra naturam non ſit, effectum à gemma vel lapide fieri. Nunc ſingularum gemmarum, & lapidum Hiſtoriæ deſcribendæ ſunt.

DE LAPIDIBUS, AC GEMMIS IN SPECIE,

Liber Secundus.

Caput I.

De Adamante.

Adamas a Græce *ἀδάμας*, Germanice *ein demuth, demant, diamant*, Gallice *un diamant*, Italice *uno diamante*, Arabice & Mauritanice *almas*, Indice, ubi invenitur, *Iraa*, & à nonnullis *naifes* vocatur.

Adamas omnium gemmarum eſt duriſſimus, abſque colore, aquæ pellucidæ inſtar diaphanus. Nam ſi aliquid albedinis, flavedinis, aut nigredinis habeat, vitio id illi eſt, ac multum valori ipſius propterea decedit.

Proprium Adamanti legitimo id eſt, quod tincturam ad ſe rapiat, ſibique ita applicet, & uniat, ut micantes, nitenteſque, ac vividos ſuos radios procul iaciat. Hæc nulli alteri gemmæ ita applicari, ut micet, ac niteat veri Adamantis inſtar, poteſt. Propterea Gemmarii hac nota, verum à ſpurio, aliiſque gemmis diſtinguere ſolent Tinctura autem hæc fit maſtice mundato, cui exiguum eboris in atrũ pollinem exuſti addiicitur, ut nigreſcat. Maſtix deinde calefieri parum, quemadmodum & Adamas debet, *Propriũ Adamãti.*

idque ut impoſitus ac ſuprapoſitus maſtici, ſtatim illi unione vera uniatur, ac vivos undique radios à ſe iaciat. Hanc unionem reſpuunt aliæ omnes gemmæ diaphanæ: impoſitæ enim huic tincturæ, vel in ſuperficie gemmæ, vel tincturæ, terminatur viſus: ita ut ſuperficiei partes nonnullæ cognoſcantur, ac viſus radii ab obiecto, ut in Adamante non reflectantur, aut ſi reflectantur, per nebulam (quam ſuperficies lapilli promit) id fieri videatur. Has notas dignoſcendi verum Adamantem ab alia gemma, ut eludant, & tegant fallarii, ex frumenti grano ferro candenti oleum exprimunt, quod vel fuligine picis, vel eboris uſti atro pulvere tingunt, ac Pſeudoadamanti ſubſternunt. Deinde lapillum, aut gemmam, ſupra ita accommodant, ut ſpatium aliquod inter Adamantem & tincturam aëre vacuum ſit. Ita enim diaphanum, partim ex lapide, partim ex aëre conſtans, ſatiſque ſpatioſum, ne facile viſus in tincturæ ſuperficie terminetur, ac viſus radii ab atro, & non ſplendenti tinctura ſiſtantur, & hæreant, efficit. Hoc modo alia gemma veri Adamantis ſpeciem ita reddit, ut ſæpe fallantur peritiſſimi gemmarii. Nonnulli nigri holoſerici particulam eodem modo ſubſternunt. Alii ſpeculum ita exacte ſubiiciunt, ut Pſeudoadamas micet, niteat, ac vivat veri inſtar, neque commode niſi è ciſti exemptus, aut lima examinatus, ſe prodat, & dignoſcatur. Cur vero legitimus Adamas ſolus tincturam illam recipiat, aliæ gemmæ non, difficile eſt ſcire. Exiſtimo, mutuum illum & amicum complexum propter ſimilitudinem aliquam, quam habent in materia & qualitatibus, (hoc eſt tota utriuſque natura) fieri. Natura enim natura gaudet, & ſimilia ſimilibus delectantur, & conſervantur. Quæcunque enim ſimilem materiam obtinent, facile ſeſe

Adamãtis fraus.

Cur verus Adamas tincturam recipiat.

mutuo complectuntur, & commiſcentur. Ob id aquea aquoſis, oleoſa oleoſis, & mercurialia mercurialibus, & ſulphurea ſulphuratis (ut chymice loquar) miſcentur. Quæ diſſimilem habent materiam non coniunguntur; ita aqua cum oleo commiſceri non poteſt, licet humidum ſit, quia calidum eſt, & igneæ naturæ. Gummi ceraſorum aquæ miſceri, ac in ea diſſolvi poteſt, quod aqueæ ſit naturę. Gummi maſticis nequaquam, quia igneæ eſt naturæ, oleo ob id facile iungitur, à quo etiam diſſolvitur, ut omnia alia quæcunque igneæ ſunt naturæ, & facile in flammam redigi poſſunt. Quod itaque maſtix, quæ igneæ naturæ eſt, Adamanti facile iungi poſſit, ſignum eſt id propter materiæ ſimilitudinem fieri, ac Adamantis materiam igneam & ſulphuream eſſe, atque ipſius humidum intrinſecum & primogenium, cuius beneficio coagulatus eſt, plane fuiſſe oleoſum, & igneũ, aliarum vero gemmarum aqueum. Hanc meam ſententiam *b* Monardes approbare videtur: dum refert Adamantem in calidiſſimis tantum regionibus (ut ſub tropico cancri) reperiri; ubi nempe exhalationes calidæ, ſiccæ, igneæ & ſulphureæ ſunt; ac in illis locis Cryſtallos nuſpiam inveniri, ſed tantum in frigidis regionibus, quia frigida & aquea materia ad ſui generationem indigent, qua India caret. Deinde quod calefactus ut Succinũ (quod igneum eſt) feſtucas trahat. Non mirum itaque ſi pinguis, oleoſa, & ignea maſticis ſubſtantia illi abſque viſus termino adiungi, & applicari, aliis vero gemmis non poſſit. Qui hac à me data ratione contentus non eſt, meliorem adferat: interim ſciat, rerum ὁσίαν & ſimilitudinem ut plurimum ignotam eſſe, quemadmodum ferri, & Magnetis. Gemmæ quæ ſolent Adamantem ementiri, ſunt Sapphirus, Amethyſtus orien- *Æmulatio Adamantis aliis gemmis.*

orientalis, Topaſius, Chryſolithus, ac omnes quæ duritiem habent, perſpicuæ ſunt, & quibus color auferri poteſt. Colores enim igne auferri debent. Id ſolent artifices calce viva, vel chalybis limatura perficere. In illam enim, gemmam ſepeliunt, ac tigillo impoſitam igne carbonum obruunt, ut lente calefiat lapis, ac aucto calore evaneſcat illius color. Id dum perfectum arbitrantur, paulatim ignem extingui ſinunt, donec ne tepidus quidem calor amplius appareat. Tum è tigillo gemmam capiunt, quæ ſi perſpicua diaphana, & abſque omni colore ſit, recte negotium peractum eſt. Si colorem non omnem amiſerit, repetunt opus paulatim ut prius, id enim neceſſarium eſt. Nam ſi velociter incaleſceret gemma, vel calefacta ſubito frigido aëri committeretur, in rimas fatiſceret, vel diffringeretur. Præ cæteris gemmis huic operi inprimis inſervit Amethyſtus orientalis, & Sapphirus (niſi quod albicet) ac Topaſius orientalis; cæteræ quo duriores eo aptiores. Topaſium quia durior Amethyſto, aliis præferrem. Vidi 7. Ceratiorum pondere 300. thaleris æſtimatum, qui à vero Adamante diſcerni vix poterat.

a *Adamas teſte Georgio Agricola lib.* VI. *de Natura Foſſilium cap.* IX. *ita dictus, quod non poſſit domari nec ferro, nec igne: ſumptum nomen ab α privativa particula, & δαμάζω, quod domo, & ſupero ſignificat. Duritiei cauſam, tam in Adamante, quam in reliquis lapidibus, nativam ſiccitatem Philoſophi prodiderunt. Serapio lib. Aggreg. cap. 391. ſcribit Adamantē eſſe frigidum, & ſiccum in quarto gradu, aitque has duas naturas raro aggregari in aliquo lapide. Quæ durities efficit, ut is maximum in rebus humanis, non ſolum inter gemmas pretium*

habeat,

habeat. Huius duritiei quoque rationem egregie tradit Auctor lib. I. huius libri cap. XVI. Illud præcipuum Adamanti, quod eius ramenta etiam ſunt pretioſa: nam ſcrupulus unus ſex aureis venditur Coronatis, Cardano lib. VII. de ſubtilitate id aſſerente. Noſter vero author ſcrupulum ſcobis, decem thaleris vendi ſolere aſſerit cap. 6. huius libri.

b *Auctor hic deceptus eſt, exiſtimans Nicolai Monardis locum eſſe, cum ſit Garciæ ab Horto lib. I. Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap. 47. ut ibi videre eſt.*

CAP. II.

De Adamantum generibus.

PLinius *a* ſex ponit Adamantum genera. Indicum non in auro, ſed quadam Cryſtalli cognatione naſcentem, laterumque ſexangulo lævore turbinatum in mucronem, ad nucis avellanæ interdum magnitudinem. Arabicum ei ſimilem, ſed minorem, & in auro naſcentem. Utrumque narrat incudem, & malleum ita ferre, ut ferrum, incudeſque diſſiliant, ipſis illæſis. Tertium Cenchron milii magnitudine. Quartum Macedonicum in Philippico auro repertum, cucumis ſemini parem. Quintum Cyprium, vergentem in aereum colorem, in medicina efficaciſſimum. Sextum Sideritidem appellat ferrei ſplendoris, pondere ante cæteros, ſed natura diſſimilem, quem ut & Cyprium ictibus frangi, alioque Adamante perforari poſſe, degeneremque eſſe, ac tantum nominis authoritatem habere aſſerit. Hæc genera à Plinio tradita hodie ignota ſunt, cum tantum unum genus Adamantis habeatur: id videlicet quod tincturam recipit: niſi quis velit ratione loci natalis, colorisve, cum alii al-

 bicent,

bicent, alii palleſcant, alii nigreſcant, diverſa genera conſtituere, vel Pſeudoadamantes ad Adamantum genera referre, qui à loco natali plerumque nomen habent. Tales ſunt, Bohemici, Arnhemii, Anglici, Hungarici, Clabbequii, & qui ſunt alii; nam paſſim inveniuntur. Inter hos, duas differentias notatu digniſſimas, animadverti. Nonnulli enim hexagoni, nonnulli globoſi naſcuntur, duritie multum differentes. Qui enim angulis excreſcunt, molliores, & vix Cryſtallo nobiliores ſunt, ut Hungarici. Qui vero globoſi, aut rotundi ſilicum inſtar proveniunt, longe duriores ſunt, ac orientalium ſplendorem, & nitorem non inepte mentiuntur. Sed tincturam non recipiunt, ut proinde pro veris haberi nullo modo poſſint ac nominis authoritate indigni videantur. Ad hos Cyprii, & Macedonici referri debent. Veri ſiquidem in illis regionibus non reperiuntur. Orientales à locis ubi inveniuntur, diſtinguuntur. Alii enim de rupe veteri, alii de rupe nova nominantur, neque duritie, neque colore, omnes conveniunt, omnes tamen tincturam recipiunt, quod illis proprium eſt, nulli aliæ gemmæ conveniens. Quo duriores, eo meliores, magiſque nitent, niſi perſpicuitati aliquid deſit.

Pſeudoadamãtes.

Hungarici.

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 4. ex Iacobi Dalechampii editione (quam continuo in hiſce notis ſequor) littera b.*

Cap. III.

Loci natales, magnitudo, & quomodo naſcantur.

In Biſnager orientalis Indiæ provincia duæ, vel tres rupes ſunt, quæ Adamantes ferunt, qui interdum

dum ſuperant pondus 37. Ceratiorum, ſed qui Regi cedunt. In Decan Indiæ provincia alia rupes eſt, non procul à ditione Imadixa, ac alia in dominio cuiuſdam reguli, in qua præſtantiſſimi inveniuntur, ſed minores cæteris, qui vulgo de rupe veteri vocantur, & venum portantur in urbem Liſpor, regionis Decan. iſti Naifes ab indigenis vocantur, & in magno ſunt pretio, ac uti naſcuntur, ita geſtari, arte impoliti, ſed natura politi ſatis, ſolent. Alia eſt rupes ad fretum Tanian in Malacca, quę etiam profert Adamantes, qui de rupe veteri vocantur. Hi exigui quidem, ſed laudati, cæteriſque ponderoſiores ſunt. Inveniuntur in Biſnager Adamantes pendentes 140. ceratia, qualem ſe Monardes vidiſſe ſcribit. A fide dignis narrat etiam ſe audiviſſe extare unum qui 250. ceratia ponderet, eumque eſſe exigui ovi gallinacei magnitudine. Grandes in infima rupis aut fodinæ parte, minores in ſuperiore naſcuntur. Exhauſta fodinæ ſuperiori parte, poſt biennium ibidem novi enati, & perfecti (quod mirum eſt) deprehenduntur. Cryſtallo nunquam innaſcuntur ut Plinius exiſtimavit. Prodit Rueus, Adamantem unum alium gignere, ac Dominam Heverenſem è Luxenburgorum illuſtri genere oriundam, duos habere hæreditarios Adamantes, qui alios crebro producant, ut eos quicumque ſtatis temporibus intuetur, συγγενῆ, id eſt, congenerem ſibi prolem eniti palam iudicet. Id ſi verum ſit, non minimum eſt naturæ miraculum, ac Adamanti ſeminarium Adamantinum, & facultatem Adamantificam ineſſe, accedente aëre, & vapore, ſeu halitu extrinſeco (omni aëri inſito) pro materia apta, ſtatui debet.

Magnitudo Adamantum.

Adamas alium gignit.

Cap. IV.

Adamantis proprietates, qualitates, & facultates.

ADamas ignis iniurias ita perfert, ut etiamſi per aliquot dies illi immoretur, nullam non ſolum noxam contrahat, ſed potius nitidior, & pręſtantior inde eximatur. Quinimo ignis ope, certaque aqua mercuriali ex ſtibio diſtillata, ita auferri nativæ maculæ, nubes, & colores, qui illum viliorem efficiunt, poſſunt; ut nitidus, puruſque inde prodeat, ac valore priorem ſtatum longe ſuperet. Huiuſmodi aquam mihi communicavit nobilis, & humaniſſimus vir Ioannes Macinius Electoris Colonienſis conſiliarius, artis ſpagiricæ peritiſſimus, amicuſque meus ab ineunte ætate ſingularis: ſimilem facultate aquam etiã invenit, & habet Inviƈtiſſimus, & Auguſtus Rom. Imper. Rudolphus ſecundus, Dominus meus clementiſſ. Vidi enim Adamantem vix 6. millibus emptum, qui ab ipſo emendatus 12. vendi potuit. Sed hoc arcanum non cuivis innoteſcere debet.

Ratio emendandi Adamantes.

Malleum, & incudem innoxie Adamantem ferre tradit *a* Plinius, verum id experienti falſum deprehenditur: cum nullus hoc ſeculo inventus ſit, qui mallei iƈtu in partes non diſſiliat, ac in pollinem redigi poſſit. Fama etiam eſt, hircino calido ſanguine, præſertim ſi hircus iis herbis, quæ calculos diſſolvere perhibentur, nutritus fuerit, Adamantem emolleſcere, ac in ſcobem ferreo piſtillo comminui: verum abſque ſanguine id omni Adamanti contingit, ut ante ſcriptum eſt. Magneti etiam vires adimere Adamantem quo minus ferrum trahere poſſit, ut haƈtenus creditum fuit, falſum multorum experientia deprehenditur; niſi varia Magne-

Malleum no perfert Adamas.

a Lib. 37. c. 4.

Adamas Magnetis vires non tollit.

tis,

tis & Adamantis genera experientes ſefellerint. Nam Adamas perhibetur vere ut Magnes, ſeptentrionem oſtendere, & ferrum ea facultate imbuere. Id ſi verum, abiget adverſam Magnetis faciem, ut in cap. de Magnete poſtmodum explicabo. Sed vereor ne ferro omni ea facultas inſit, & falſo Adamanti aſſcribatur. Plumbum etiam, ut hactenus creditum eſt, Adamantis aciem non obtundit. Id verum à *b* Monarde de Adamante ſtatuitur, quod ſi alteri diu affricetur, illi ſatis firmiter adhæreat, ac ſi calefiat, ut ſuccinum paleas attrahat, quod ſignum eſt, ut antea oſtenſum eſt, igneæ, ſulphureæque eſſe naturæ.

Adamas plagas oſtendit.

Plumbũ Adamãtis aciem non obtundit.

Paleas trahit.

Scribunt præterea authores, Adamantem capiti mulieris, ipſa inſcia ſuppoſitum, ſi fidelis ſit marito, efficere ut dormiens in ipſius amplexus ruat, ſin adultera, eoſdem averſetur. Sed experientia, & ratio, iſta Adamanti non vere tribui, demonſtrant. Nam ſive cum marito, ſive cum alio Venerem exerceat uxor, eundem actum naturalem, & ad generis humani conſervationẽ neceſſarium exercet. Hunc, ut natura vitioſum non agnoſcit, ita nec Adamas. qui ſi vitium, vel peccatum commiſſum fuiſſe cognoſcere vel oſtendere deberet; tantum naturali & ingenita ſua facultate id præſtare poſſet. Sed ſi natura non poteſt, nec ille poterit. Ignorat autem natura adulterium, quia matrimonium, & pacta mutua coniugum, non à natura, ſed à lege, hominumque voluntate, quæ adulterium pro vitio, & peccato conſtituit, proficiſcuntur, quam ſenſu orbatus Adamas ſcire non poteſt. Ante Moyſen dum naturæ lex ſola vigeret, adulteria nulla erant, & tamen vario concubitu vivere licebat. Si ne tunc quidem homines pii, & prudentes vitium deprehendere potuerunt; quomodo iam Adamas abſque

Fidelitatem an prodat.

ſenſu poterit? Valeant itaque nugæ, & aniles fabulæ, quas qui ſolide refutatas cupit legat caput 25. & 26. de gemmarum facultatibus. libro 1.

An Adamas ſit venenũ.

Adamantis pulveri etiam aſſcribitur vis deleteria, tam exitioſa, ut nullis remediis extingui, aut emendari poſſit. Huius ſcobe, Theophraſtum Paracelſum chymicũ ſublatum, ipſius diſcipuli, & iurati aſſerunt: fortaſſis ut ipſius imposturam tegant. Nam cum ille vitam perennem, vel longævam medicamentis ſuis promiſiſſet, in flore tamen virili extinctus eſt. Aut itaque mentitus fuit ſe huiuſmodi pharmaca, quæ omnibus morbis mederentur, & vitam producerent, habere, aut ſi habuit, ratio danda fuit, cur iuvari decantatis medicamentis, inſtante morte, non potuerit. Commodior ſane fingi non potuit ea, quæ ab Adamantis pulvere ſumitur, quẽ aiunt, non quia venenum eſt, ſed quia duritie inteſtina corrodit, interficere. Verum experientia, & ratio huic opinioni refragatur. Nam Monardes refert mancipia quædam plurimos Adamantes, ut furtum tegerent, devoraſſe, quos poſtea integros abſque iactura valetudinis, egeſſerunt. Si maiores, qui acutos angulos habent, inteſtina non lædunt, difficilius pulvis, qui excrementis craſſioribus ita involvitur, ut vix inteſtina attingere poſſit, lædet. Pulveris exemplum adfert Monardes; mulierem videlicet quampiam marito antiqua dyſenteria laboranti, Adamantis ſcobem per multos dies propinaſſe, abſque aliquo detrimento. Sola itaque materiæ duritie, vel acumine, præſertim in pulverem redactus, interficere non poteſt. Si itaque venenum eſt, vel manifeſta, vel occulta qualitate eſſe debet. Manifeſta non, quia neque prima, neque ſecunda qualitas in illo vehemens aliqua deprehenditur, cum potius tanquam mortuum, & in-

altera-

alterabile corpus omni manifeſta qualitate videatur carere. Sed neque occulta qualitate hominem necare poterit. ſi enim necare debebit, aget in hominis corpus, agere autem nihil qualitate poteſt, niſi agendo patiatur. Sic arſenicum ut necet, primum à ventriculo humano diſſolvi, & alterari, deinde ipſi adhærere, ut in ipſum agat, debet. Id enim omnibus venenis commune eſt, ut ab humano corpore alterentur, ac ab eo earum vis venefica in actum, ut noceant, redigatur. Quæ alterari non poſſunt, etiam qualitate nocere non poſſunt, ut aurum, lapides, nuclei ceraſorum, oſſa & ſimilia. iſta enim ut ſumpta ſunt, ita integra eiiciuntur. Adamas autem quia ita ſolide compactus eſt, ut alterari ab igne non poſſit, ab humano corpore multo minus poterit. Nullas itaque à ſe qualitates, ut noceat, emittit, preſertim cum illæ abſque inſtrumento, & ſpiritu aliquo non communicentur, qualis ab Adamante, ut ſeparari ne igne quidem, ita nec humani corporis calore poteſt. Non habet itaque Adamas veneficam qualitatem, neque in pulverem redactus interficere valet, ut falſo à Paracelſi diſcipulis hactenus iactatum fuit.

Creditur Adamantẽ contra venena, peſtem, faſcinationes, incantamenta, inſaniam, metus vanos, terrentia interſomnia, incubos, & ſuccubos, dæmonumque nocumenta, & præſtigia, præſentaneum eſſe amuletum, eaque omnia arcere, ac præſente veneno madere, ac conſtantiam, victoriam, animique fortitudinem efficere. *c* Proditur etiam iram comprimere, coniugumque amorem fovere, ob quam cauſam reconciliationis gemma vocatur. Singulares has, multoque plures, per hanc gemmam divinitus exerceri poſſe facultates, humano generi commodas, non eſt dubium. In Dei enim poteſtate

Ad venena, & multa alia.

Reconciliationis gemma.

ſtate eſt vel bonos, vel malos ſpiritus certis corporibus addicere, vel alligare, ut aut nocere, aut prodeſſe homini poſſint. Boni ſi præſto ſint, illum, qui Deo confidit, ac huiuſmodi inſtrumentis & mediis iuvare poſſe & velle firmiter credat, iuvant. Mali vero Deo non confidentem, Deo permittente, offendunt. Si quid itaque metaphyſicum huic gemmæ aſſcribitur, id non à ſuo temperamento, eſſentia, vel natura, ſed à ſupremi motoris lege, & ordine promanare putandum eſt. Huius præſcripto Adamas, quem ſummus Hebræorum pontifex geſtabat, dum morte Hebræi propter peccata puniendi eſſent, colorem aëreum in atrum mutabat. Dum gladio plecti debebant, ſanguineus apparebat, ac cum nihil criminis commiſſum eſſet, nitebat, & ſplendebat ſupra modum. Has facultates nemo gemmæ, ut naturales aſſcribet, ſed ſpiritibus tantum, quibus huiuſmodi facultates exercere à Deo commiſſum, vel permiſſum eſt. Fortaſſis etiam gemmarum, propter ſplendorum pulchritudinem & dignitatem, ſubſtantia apta eſt, ut bonorum ſpirituum ſtatio, aut receptaculum ſit: ſicut malorum, Medicorum Theologorumque ſententia, loca fœtida, horrida, ſolitaria, & humores melancholici, in quibus dum ſedem ſpiritus mali fixerunt, efficiunt, ut obſeſſus peregrino, ſibique ignoto idiomate utatur, futura prædicat, multaque alia ſupra naturam faciat. Ut per hos humores mali, cur per gemmas boni agere, & incredibiles facultates exercere, Deo ſic ſtatuente & volente, non poſſunt?

Adamas Aaronis.

Pulchritudo gēmæ quid poſſit.

Dum itaque ſupernaturale quid à gemmis efficitur, id nō gemmarum viribus, ſed ſpiritibus aſcribendum eſt. Hoc modo adulterium Adamas prodere, & hominem interficere, aliaque plura perficere, quorum prius facta eſt mentio, contra omnem ratio-

Spiritus per gemmas metaphorice operātur.

rationem poſſet. Nonnulli arbitrantur ſupra in medium allatas, admirandaſq; facultates ab Adamante tum demum depromi, dum illi certi characteres, aut figuræ accommodo conſpirante cœli aſpectu, inſculptæ ſunt. Exempli cauſa victoriam efficere, dum ea hora, qua aſpectus, qui victoriam ſignificat, Martis vel Herculis hydram ſuperantis effigies illi inſculpitur. Fateor profecto huiuſmodi effectus ſupra naturam hac ratione interdum Deo permittente produci. Verum, ut ſupra monui, malorum ſpirituum beneficio id fit, qui in gemmæ corpuſculum vana hominis credulitate, ne dicam ethnica impietate pellecti, ſeſe inſinuant, illoque abutuntur; ut naturales gemmæ facultates tegant, obruant, ac ignotas homini reddant, & pro iis ſuas, falſaſque ſubſtituant, atque hac ratione paulatim hominem ad vana, & ſuperſtitioſa ducant, tandemque à vero Dei cultu avocent, ad ſuum trahant, ac in æternum perdant. Qui inſculpi ea, quæ bonos ſpiritus alliciant, vult, martyria Salvatoris, eiuſque vitæ actus, qui virtutes exemplo edoceant, inſculpi curet, ſæpeque pie contempletur. Haud dubie divina affulgente gratia, boniſque ſpiritibus axiliantibus, facultates mirabiles (gemmæ, aut ſculpturæ nudæ non aſſcribendas, ſed Deo) percipiet.

Adamãtis ſculptura.

Cur gẽmæ interdum ſupranaturalia operentur.

Quæ gẽmis inſculpi debeant.

b *Auctor rurſus in errore (ut cap.* I. *huius libri demonſtravi) verſatur, cum Garciæ ab Horto locus ſit.*

c *Pſellus in libello de lapidum virtutibus, quem primus Philippus Iacobus Mauſſaccus vulgavit, latine vertit, & emendavit, teſtatur Adamantem febres ſemitertianas ſuſpenſum aut alligatum reſtinguere,*

Cap. V.

Dignitas, & valor Adamantis.

DIgnitatem Adamantis auget tum *a* ſplendor, quo dum radios hinc inde iacit Iridem intrinſeco ſuperficierum reflexu imitatur, & refert, tum materia, quæ fere incorruptibilis eſt. Præcipue autem divina auctoritas, quæ Pontificem hac gemma ornari, dum Sancta Sanctorum ingrederetur, voluit. Ponebatur autem ſupra pectus ſummi Sacerdotis, ubi ille talarem veſtem, & ſupra talarem humeralem induiſſet.

A Regibus olim tantum expetitus fuit, nunc à quovis fere petitur, & geſtatur. Nihil tamen propterea illius diſceſſit pretio, cum longe pluris quam ante aliquot annos veneat, ac indies licet in copia haberi poſſit, ipſius pretium creſcat. Hoc enim tempore Adamas perpolitus & abſque omni vitio, ſi granum piperis ponderet, decem florenis, aut quinque ducatis venditur. Interdum maiori, interdum minori pretio, prout multi ad mercatum portantur. Solent ad pondus vendi dum iuſtam craſſitiem habent, & ſine macula ſunt, ac perfectam à ſculptore formam habent. Hoc eſt dum in ſuperiore ſuperficie tabulam quadratam, altera parte longiorem habent, ac duas laterales tabulas ſuperiori æqualem: deinde tres inferiores etiam ſuperiori æqualem, ac laterales ita pendentes, ut anguli recti hypotenuſam conſtituant.

Plerunque qui minus quatuor ceratiis pendent, ſæpe variant pretium; qui plus, id quod à me hic ſtatuetur, ſemper ſervant, uſque ad 10. ceratia. Inde ſinguli ſequentes præcedentes, ut ceratio ſuperant, ita etiam hoc numero, videlicet 1010. Nam 11.

Cera-

Ceratiorum Adamas valet 9590, ergo 12.Ceratiorum, valet priori numero addendo 1010, 10600. & ſic deinceps, in infinitum valor augeri poteſt. Nunquam tamen maiorem illo qui pendebat 187½ Ceratia, cuius mentionem facit *b* Monardes, inventum fuiſſe puto.

Ut autem proportio pretii ſtatuatur, & inveniatur. Primo unius Adamantis perfecti, omnibuſque modis abſoluti, ſi granum ponderet, pretium ſtatuendũ eſt, & ſit exempli cauſa 10. vel thalerorum, vel florenorum, vel coronatorum, prout quis velit. Nam variat pretium, ut dixi. Si variaverit, poterit valor numeri manens, etiam mutari. Nam ex 10. thaleris poteſt quis 10. florenos, ducatos, philippicos, aut coronatos efficere, ut tabula omni pretio inſerviat. Si quis vero velit pretium illius Adamantis habere qui 2. grana pendet; quadret numerum, hoc eſt, in ſe ducat, nempe bis duo ſunt 4. Hũc quotienté ducat in pretium unius grani, nempe 10. habebit in quotiente 40. ſic eſt valor 2. granorum. ſuperet itaque 30. unitatibus unius grani valorem, quam differentiam voco. Iam ut trium granorum valor habeatur. Differentia præcedens augenda denario, ut ſit 40. illaque addenda valori 2. granorum, qui erat 40. & ita conſtituetur numerus 80, valor trium granorum. Huic differentiæ quæ eſt 40 iterum adde 10. & conſtitues 50, differentiam, & numerum. qui additus 3. granorum valori, nempe 80, conſtituet 130, valorem 4. granorum, id eſt, unius ceratii. Atque hoc modo augendo poſtremam differentiam numero denario conſtitues ſequentem, quę addita poſtremo valori etiam ſequentem indicabit, ut in tabula licet videre. Nam ſingulæ differentię uſque ad quadrageſimum granum, vel 10. ceratia, hoc modo, ut in tabula apparet, progrediuntur,

Regula pretii inveniendi.

tur. Inter 10.& 11. ceratium differentia eſt mille tantum, ne nimis excreſcat pretium. Deinde non per grana proceditur amplius, quia negliguntur. Nā ſi 10.ceratia Adamas pendet, vel 10.& 3. grana, perinde habetur. Vix enim mercatores huiuſmodi exceſſum æſtimant Ceratiorum differentiæ etiam progrediuntur per denarium numerum, ut granorum: quæ optime tabella oſtendit. Verum ſi quis paulo curioſior granorum valorem ſcire vellet, nempe 10.ceratiorum, & trium granorum: Dividat differentiam 1000.quæ eſt inter 10. & 11.ceratia, in quatuor partes, ac tres addat 10.ceratiorum valori, nempe 750. Hac tamen cautione, ut adhuc tres unitates addantur, quia tertium granum eſt. Si 2.grana 10.ceratiis addendæ eſſent, duæ partes, nēpe 500, adderentur. Si vero unum granum, tum tres unitates ab una parte 250.auferendæ eſſent, idque ut differentię creſcant. Ita differentiæ hę erunt 247.500.753.Ut itaq; 10.ceratiorum ac trium granorū valor habeatur, adde numero 8590, qui conſtituit 10.ceratiorum pretiū, 753. & habebis 9343. Hoc modo cum reliquis agendum. Simili ratione ſi quis pretium 10.granorum cum dimidio ſcire velit, ſumat differentiā quæ eſt inter 10.& 11, grana nēpe 120. Hanc dividat in duas partes, nempe 60.ab una abſtrahat 4.unitates, ut differentia minor ſit. quotiens ergo ſit 56, quem addet valori 10 granorum 640. & fient 696, pretium quęſitum. Ita cum cæteris agendum.

Tabu-

Tabula ſequens habet columnas quatuor. In prima, & ſecunda columna ponitur pondus Adamantum: in tertia, pretium: & in quarta, differentia. Prima columna ceratia habet. Unum ceratium pendet 4. grana.

Ceratia	Grana	Pretium	Differentia	Ceratia	Grana	Pretium	Differentia
	½	2½			9	530	110
	1	10			10	640	120
	½	23	30		11	760	130
	2	40		3	12	890	140
	½	58	40		13	1030	150
	3	80			14	1180	160
	½	103	50		15	1340	170
1	4	130	60	4	16	1510	180
	5	190	70		17	1690	190
	6	260	80		18	1880	200
	7	340	90		19	2080	210
2	8	430	100	5	20	2290	220
					21	2510	230
					22	2740	240

Ceratia	Grana	Pretium	Differentia
	23	2920	250
6	24	3230	260
	25	3490	270
	26	3760	280
	27	4040	290
7	28	4330	300
	29	4630	310
	30	4940	320
	31	5250	330
	32	5590	340
8	33	5930	350
	34	6280	360
	35	6640	370
9	36	7010	380
	37	7390	390
	38	7780	400
	39	8180	410
10	40	8590	
11		9590	1000
12		10600	1010
13		11620	1020
14		12650	1030
15		13690	1040
16		1474·	1050
17		15800	1060
18		16870	1070
19		17950	1080
20		19040	1090
21		20140	1100
22		21250	1110
23		22370	1120
24		23500	1130
25		24640	1140
26		25790	1150
27		26910	1160
28		28120	1170
29		29300	1180
30		30490	1190
31		31690	1200
32		32900	1210
33		3412·	1220
34		35350	1230
35		36590	1240
			1250

Ceratia	Pretium	Differentia
36	37840	1260
37	39100	1270
38	40370	1280
39	41650	1290
40	42940	1300
41	44240	1310
42	45550	1320
43	46870	1330
44	48200	1340
45	49540	1350
46	50890	1360
47	52250	1370
48	53620	1380
49	55000	1390
50	56390	1400
51	57790	1410
52	59200	1420
53	60620	1430
54	62050	1440
55	63490	1450
56	64940	1460
57	66400	1470
58	67870	1480
59	69350	1490
60	70845	1500
61	72340	1510
62	73850	1520
63	75370	153
64	76900	154
65	78440	155
66	79990	1560
67	81550	1570
68	83120	1580
69	84700	1590
70	86290	1600
71	87890	1610
72	89590	1620
73	91120	1630
74	62750	1640
75	64390	1650
76	96040	1660
77	97700	1670
78	99370	1680
79	101050	1690
80	102740	1700
81	104440	1710
82	106150	1720
83	107870	1730
84	109600	1740
85	111340	1750
86	112090	1760

Ceratia	Pretium	Differentia
87	114850	1770
88	116620	1780
89	118490	1790
90	120190	1810
91	121990	1820
92	123800	1830
93	125620	1840
94	127450	1850
95	129290	1860
96	131140	1870
97	133000	1880
98	134870	1890
99	136750	
100	138640	
10	158090	
120	178540	
130	199990	
140	222440	
150	237300	
160	276340	
170	305790	
180	322240	
190	349690	
200	372140	

Verum ſi quis abſque tabella memoriter pretium aliquot cerariorum, exempli gratia, decem velit ſcire; redigat ceratia in grana: deinde, quia quatuor grana ceratium faciunt, multiplicet numerum 10 per 4. erunt 40 grana. Poſtmodum numeret quotus ſit ille numerus à primo grano, & inveniet eſſe trigeſimum nonum, hoc eſt unitate minorem propoſito. Nam primus non computatur, idque neceſſarium, & perpetuum eſt. Auferat itaque à propoſito numero 40, unitatem, ut maneant 39. Hunc multiplicet per 10. quia ſingulæ differentiæ augentur per denarium, & quotiens erit 390. Huic addantur 30, quæ eſt prima differentia, & quotiens erit 420. differentia videlicet, quæ ſequitur proxime quæſitum numerum. auferatur ab ea 10. & exurget differentia, quæ præcedit quæſitum numerum, nempe 410. Ut vero à primo differentiarum numero 30. uſque ad 410. habeatur omnium ſumma: ſecundum regulam progreſſionis addenda ſimul 30 & 410. & emergent 440. quæ medientur, ſintque 220. ac poſtea multiplicentur cum 39. tot enim ſunt numeri, qui per 10. augentur. & quotiens erit 8580. Huic addatur unius grani pretium, nempe 10. & ita 40 granorum pretium erit 8590. Hæc regula ſervit ad decem ceratia, vel ad 40. grana, ulterius non, quia alia in differentiis proportio ſervatur, & non amplius per grana, ſed per ceratia fit progreſſus: deinde differentiæ etiam tantum denario numero augentur, ac prima differentia ſtatuitur mille. Si itaque, exempli cauſa, quæratur pretium 22. ceratiorum, quia duodecimus hic numerus eſt à decem ceratiis, computatione facta, ſingula pretia per decẽ adiecto millenario augẽtur, & multiplicando 12. per 10. fiunt 120. huic addenda 1000. fiunt 1120. Hæc eſt differentia, ſequens nu-

Abſque tabella pretium venari.

merum quæſitum. ab hac aufer 10.fiunt 1110. huic adde 1000. fient 2110. media fient 1055. cum hoc numero multiplica 12.quotiens erit 12660. huic addendum 10. ceratiorum pretium 8590. & emergit 21250, pretium 22 ceratiorum. Regula eadem eſt quæ ſuperior, niſi quod primus numerus alius ſit.

Alius modus computandi.

Si vero iſte modus computandi difficilis videtur, dabo alium uſque ad decem ceratia. Redigatur itaque ceratiorum numerus in grana. Exempli cauſa. quæro pretium quatuor ceratiorum. fiant inde 16 grana, & ducantur illa in ſe, fient 256. Hunc numerum duc in pretium unius grani, nempe 10. fiunt 2560. Qui numerus ſecundum Linſcotium eſt valor Adamantis; ſed fallitur is vehementer, quia hac ratione nimis augetur valor Adamantis. Hoc enim modo 20.Ceratiorũ, hoc eſt, 80. granorum, valeret 64000. Quamobrem ne ita excreſcat pretium, à trium granorum pretio auferenda decem, à 4. granorum 30. & à 5. granorum 60. & ſic deinceps, ſemper augendo differentiam numero denario uſque ad 41. granum, circa quod mutatio fit.

Quia itaque à tertio grano progreſſio fit, addendo priori numero decem: Summa colligenda per regulam progreſſionis, collectaque à ſumma putati valoris auferenda. Verum quia 16.granorum valorem quæro, auferam ab eo numero 2. erunt 14. tot enim progreſſionis tantum ſunt numeri, quia à tertii grani valore decem abſtrahuntur, qui primus progreſſionis numerus eſt. Unum enim granum 10.valet. duo grana 40. Sed tria grana 90.demptis 10. id eſt, 80. Ut itaque poſtremum numerum progreſſionis habeam, multiplico illum per numerum exceſſus quo fit progreſſio, videlicet 10. & habebo 140.huic numero addendus primus, nempe 10, ut regula

regula progreſſionis docet, & habebo 150. Huius medium multiplicabo cum 14. vel quod perinde eſt medietatem 14, nempe 7, cum 150. & quotiens erit 1050. qui numerus eſt ſumma omnium qui additione 10. aucti fuerunt ad 14. uſque numerum. Hic abſtrahitur à putativo pretio 2560. & remanent 1510, verum 16 granorum pretium. Breviter ita tradi poteſt regula. Exempli cauſa, ſi quæras 16. granorum pretium, duc in ſe, habes 256. Hunc quotientem duc in 10, unius grani valorem, habebis 2560. iterum abſtrahe à 16 duo, habebis 14. hunc duc in differentiam progreſſionis 10. habebis 140. huic adde primum progreſſionis numerum, nempe 10. & habebis 150. huius medium duc in 14. & habebis 1050. hunc abſtrahe à putativo pretio 2580. & habebis 1510, pretium quæſitum.

Regula pretii cōpendioſa.

Tabella præcedentē regulam oſtendēs.

Grana	pretium putativum	numeri auferendi	verum pretium
1	10		10
2	40	numerus progreſſionis	40
3	90	10	80
4	160	20	130
5	250	30	190
6	360	40	260
7	490	50	340
8	640	60	430
9	810	70	530
10	1000	80	640
11	1210	90	760
12	1440	100	890

Poteſt hæc tabella ad libitum extendi, augendo numerum progreſſionis denario; ſed fruſtra, quia in præcedenti tabula pretium verum, quod ab hoc

non differt, expreſſum eſt, ut inſpicienti perſpicuum eſt.

Pretium Adamãtis imperfecti. Hactenus pretium perfecti Adamantis, id eſt, qui omni vitio caret, ac legitimam corporis habet conſtitutionem, traditum & præſcriptum eſt. Qui vitium habet, his regulis æſtimari non debet. Nam ſi aliquo colore, vel exiguo tinctus ſit, mox illi tertia ſtatuti in tabella pretii pars auferri debet. Si nubecula aliqua, fiſſura, granum, aut pilus adſit, pro quantitate illorum, vitiique magnitudine, vel media pars, vel duæ, tertiæ, vel etiam plus auferendum eſt. Si non ſatis craſſus fuerit, etiamſi purus, etiam aliquid ipſius pretio detrahitur. Forma enim legitima ut commodius radiet requiritur. Nec hic certa regula ſtatui ulla poteſt. Examinatori enim prudenti æſtimatio relinquenda eſt. Hoc tamen notandum, quod Adamantes non craſſi, & ſuperius lati, qui videntur plus ponderis habere, quam revera illis ſit, pluris paulo, quam pendent, æſtimentur. Sed minoris, quam appareant. Qui magnam tabulam habent, & latera anguſta, dimidium tantum pondus habent.

a *Quod calor corrumpat ſplendorem, colorem, & vires Adamantũ, teſtis eſt VVolfangus Gabelchoverus in annotationibus cap.* XV. *Andreæ Baccii de Gemmis, & Lapidibus, cuius hæc ſunt verba. Notandum hoc loco eſt, Adamantem à calore corrumpi, & vires ſuas, & colorem amittere. Ideo qui ipſos præſervare volunt, cum veſperi eunt dormitum, ſibi annulum extrahunt, & in cyathum aquæ frigidæ ponunt, vel illum ſupra Marmor, aut in alio loco frigido collocant.*

b *Auctor non maiorem Adamantem inventum fuiſſe putat, quam cuius meminit Nicolaus Monardes,*

at

at non eſt locus Monardis, ſed Garciæ ab Horto, ut capitibus præcedentibus docuimus. Cl. v. Carolus Cluſius maiorem Adamantem in Belgio conſpectum haud putat, quam quem Philippus Hiſpaniarum Rex, ducturus Elizabetham Henrici II. Galliarum Regis maiorem natu filiam, emit de Carolo Affetati Antvverpiæ, Anno 1559, octogies millenis Coronatis: pendebat autem ceratos ſeptem & quadraginta cum ſemiſſe, hoc eſt, 190. grana.

Magnus Dux Hetruriae octo Maximum Adamantem ponderet –

CAP. VI.

Vſus Adamantis.

NOn ſolum Adamas ornatui inſervit, ſed in ſcobem malleo redactus ad alias gemmas duriores ſculpendas, & cælandas utilis eſt. Abſque ipſius enim ope, nec illæ commode, nec ipſemet ullo modo cælari, aut ſculpi, ut dignitatem, & pulchritudinem adipiſcatur, poteſt. Cum ipſe à nullo pati poſſit, ac omnes alias gemmas, imo omnes res creatas duritie ſuperet. Solet autem in hunc uſum oleo miſceri, cuius guttula, vel gemmis ipſis, vel ferro acuto, quod gemmam, aut Adamantem excavare debet, inſtillatur. Deinde ferrum à rota circulariter, & celerrime motum gemmæ adhibetur: ita multis rotationibus, & continuo affrictu pulveris, tandem excavatur gemma. Verum Adamas multos dies reſiſtit antequam effatu dignum quid ab ipſo ablatum appareat. Paulatim tamen cedere ſibi ipſi, ut lapis à guttis aquæ ſtillatitiis excavatur, cogitur: teſtante verſiculo:

Ad ſculpendum.

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Si quis miretur cur pulvis in Adamantem, cum illo durior non ſit, agere poſſit, ac agens fortior pa-

tiente eſſe debeat; mirari deſinet, ſi particulam, quæ excavatur, eandem, pulverem qui excavat, non eundem ſemper eſſe animadvertat. Nam propterea in pulverem redigitur, ut ſingula pulveris corpuſcula ſuum officium faciant, locumque excavandum terant. Deinde cum pulveris vis evaneſcit, iterum recentior, & non hebetatus adhibetur. Solet enim pulvis in uſum admiſſus duritiem amittere. Quod ſimiliter Smir. lapidi, quo molliores gemmæ expoliuntur, & cælantur, contingit. Scrupulus unus ſcobis ſolet decem thaleris vendi.

Ad arma penetranda.

Adamantis cuſpis ſi telo aut ſagittæ imponatur, omnia arma facillime penetrat. Novi medicum familiarem, qui iactabat ſe ſingulari artificio, cuſpidi acus imponere facile poſſe Adamantem, ac unguibus quemvis Adamantem, abſque alio inſtrumento, vel materia, quam quæ à corpore humano ſumitur, poſſe in ſquamas Specularis lapidis inſtar dividere.

Adamãtem frangere.

Ad ſymbola.

Quid deſignet Adamas.

Uſus etiam Adamantis eſt in ſymbolis, vel emblematis. In his enim illius figura innocentiam, conſtantiam, fortitudinem, aliaſque virtutes deſignat. Adamantis figura uſi ſunt Coſmus Medices Magnus Hetruriæ dux; Borſus dux Modenæ, Regii, & Ferrariæ, primus Marchio Eſtenſis, ac Comes Rovigii; Fridericus Gonzaga dux Mantuæ, primus Marchio Montis Ferrati; Laurentius Medices Urbini dux; Alphonſus Carretus Marchio Savonæ; Antonius Carraciolus, aliique complures, ut videre in tertio tomo ſymbolorum à me Pragæ editorum licet.

Cap.

CAP. VII.

Quo pacto Adamas ſculpatur.

ADamas varia figura ſcinditur. cæteris præſtantior habetur quadrata, hoc eſt dum ſuperficies in quadratam tabulam redigitur. Dum autem in talem formam Adamas aptatur, id obſervari debet, ut duæ tabulæ laterales unam ſuperiorem faciant, ac laterales hypotenuſam anguli recte cōſtituant. Deinde ut una pars ſuperioris tabulæ, longior ſit alteri neceſſe eſt. ita enim perfectiſſima illius forma eſt. Cui ſi accedat ſubſtantiæ puritas, ita ut nullus color in ea appareat, plerunquè 50. ducatorum pretio, ſi ceratium ponderet, æſtimatur. In pretii tabella unius ceratii valor indicatur numero 130. eo numero floreni, vel thaleri, vel ſemiſolares aurei intelligi poſſunt, prout nempe pretium intenditur, vel minuitur à mercatoribus. Solent etiam Adamantes in pyramidis formam, ex quadrangulo emergentem, *a* ſculpi, ſed huiuſmodi figura licet cæteris aliis prævaleat, dignitate tamen & valore figuræ tabulatæ cedit. Aliæ figuræ plerunque propter lapidis nondum ſculpti formam ita eliguntur ut quam minimum ipſius corpori decedat.

a *Vtuntur autem hodie Adamantum, gemmarumque ſulptores, hoc glutine, cui gemmas ut poliantur inſerere ſolent. ℞ Reſinæ libram ſemiſſ. ceræ flavæ, maſtiches ana unciam ſemiſſ. hiſce liquefactis admiſcebis imbricis aut tegulæ frictæ pulverem per ſetaceum traiectæ, & lotæ, ad ſufficientem duritiem, & quantitatem. Experimentum autem conſiſtentiæ capies ſi aliquid lapidi madefacto inſtillabis. Attendendum autem eſt, ſudo, & ſicco cœlo, tantum*

pulveri-

pulveriẓati Imbricis, ſeu tegulæ, non addendum, quantum udo, & humido. Huius, ſed non tali modo præparati glutinis meminit auctor fol. 82. Hoc unicum (quoniam Adamantis mentionem fecimus) addendum putavimus, quod Aurifabri ut Adamantem non inficiant, ſublatumque tuto paleæ applicent, ſoleant uti hoc glutine. Fruſtum eboris chryſibulo indunt, alioque chryſibulo ſuperimpoſito, quod tamen eiuſdem profunditatis non eſt, rimam argilla, ſale bene ſubacta, oblinunt, ne aer intret, igneque uſtum in materiam nigram vertunt, ceræ liquefactæ ad ſufficientem quantitatem eboris pulverizati admiſcent, eaque materiæ ſtylum, ligneumve bacillum inungunt, quo & levia quæque tollunt. Huius ferme formā tradit Auctor folio 115. ſed tantum utitur pro colore Adamantibus ſubſternendo.

Cap. VIII.

De Carbunculo.

MAgna fama eſt Carbunculi. Is vulgo putatur in tenebris carbonis inſtar lucere; fortaſſis quia Pyropus, ſeu Anthrax appellatus à veteribus fuit. Verum hactenus nemo unquam vere aſſerere auſus fuit, ſe gemmam noctu lucentem vidiſſe. Garcias ab Horto proregis Indię medicus refert, ſe allocutum fuiſſe, qui ſe vidiſſe affirmarent. Sed iis fidem non habuit. *a* Ludovicus Vartomannus regem Pegæ tantæ magnitudinis, & ſplendoris habere ſcribit, ut qui regem in tenebris conſpicatus fuerit, eum ſplendere quaſi ſi Sole illuſtretur exiſtimet. ſed nec ille vidit. Si itaque gemmam noctu lucentem natura producat, ea vere Carbunculus fuerit, atque hoc modo ab aliis gemmis diſtinguetur, omneſque alias dignitate ſuperabit. Multi autumant,

Carbunculus.

gem-

gemmas in tenebris lucentes, à natura gigni non poſſe; verum falluntur. Nam ut lignis putridis, nitedulis, halecumque ſquammis, & animalium oculis, natura lucem dare poteſt; non video cur gemmis idonea ſuppeditata materia (in tanta rerum creatarum abundantia) tribuere non poſſit. An itaque habeatur, aut non, incertum adhuc eſt. Doctiſſimorum tamen virorum omnium ſententia huiuſmodi gemmæ non inveniuntur. Hinc fit quod rubentes, & tranſparentes gemmæ omnes, ab iis Carbunculi, Anthraces, Pyropi, & Carbones nuncupentur. Quia videlicet carbonis inſtar lucent, ac ignis inſtar flammeos hinc inde radios iaciunt.

Gemmas poſſe noctu lucere.

Incertum an habeatur.

a *Addendum hic etiam puto illud, quod Ælianus lib. 8. de hiſtoria animalium refert, nempe ciconiam ob crus fractum, & ab Heraclea muliere curatã, Carbunculum (veram Æthiopum Amethyſtum) qui nocturnas tenebras inſtar lampadis illuſtrat, prætervolantem, gratitudinis ergo in ſinum illius mulieris deieciſſe.*

CAP. IX.

Carbunculorum genera.

CArbunculorum apud Plinium genera varia ſunt. Imo ſexus diſcrimen facit. Acriores maſculos, languidiores fæmellas arbitratur. Inter cætera genera recenſet Amethyſtizontas, quorum extremus igniculus in Amethyſti violã exit; Syrtitas pinnato fulgore radiantes. Lythizontas, Charcedonios, nigriores aſpectu, ſed qui igne, vel Sole, & inclinatione, acrius quam cæteri excitantur, ac umbrante tecto purpurei videntur, & ſub cœlo flammeos contra radios Solis ſcintillant, atque ſtellas intus

Amethyſtizon.

intus habent ardentes, ſi maſculi ſint. Nam fæminæ univerſum fulgorem extra ſe fundunt. Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes, ſed convoluto igne flagrantes. Alabandicos cæteris nigriores, ſed ſcabros: Trœzenios intervenientibus maculis albis, ac Corinthios colore pallidos. Inter Carbunculorum genera etiam *a* à Plinio recenſentur: Anthracitis, Sandaſtros, *b* Lychnitis, ac Ionis. Anthracitis præcincta candida vena, in ignem iacta, velut intermortua extinguitur, contra aquis perfuſa exardeſcit. Sandaſtros duplex: Indicus, vel Arabicus. eius commendatio ſumma, cum in tranſlucido ſtellantes intus fulgent aureæ guttæ, ſemper in corpore, nunquam in cute, fere & ſtellas Hyadas, & numero, & poſitione imitantes, unde in religione habitus & in cæremoniis apud Chaldæos. Indici hebetare viſum dicuntur. Blandior fæmellis flãma, alliciens magis, quam accendens. Arabici fumidi Chryſolitho ſimiles dicuntur. Negãt aliqui Sandaſtros poliri propter teneritatem. Lychnitis circa Orthoſiã in Caria, ſed probatiſſima in India, quam quidam remiſſiorem Carbunculum vocant, habetur. Ionis Lychniti ſimilis duplex; quædam radiat purpura, altera cocco. Calefactæ digitorum attritu paleas ad ſe trahunt. Naſcuntur apud Naſamonas in montibus. Potoria vaſa ex hoc lapide & è Lychnite factitata traduntur. Omnia hæc genera ſcalpturæ contumaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno tenent. Hæc ſunt genera à Plin. ita confuſe tradita, ut non internoſcantur; non dubium tamen eſt, quin Rubinos, Granatos, Almandinos, Hyacinthos noſtros, aliaſque rubentes gemmas omnes hic deſcripſerit, & Carbunculi nomine appellarit. Ne itaque confuſe hiſtoria illorum tradatur, Carbunculi, hoc eſt, rubentis & diaphanæ gemmæ

mæ genera ſunt Rubini, Granati, Almandini, & Hyacinthi rubri: nam tales inveniuntur. Horum hiſtoriam ordine deſcribam.

a Libro 37 Naturalis hiſtoriæ cap. 7. littera 1. Anthracitin hanc Hæmatitis genus facit Georgius Agricola lib. v. de Natura Foſſilium cap. v.

b *Lychnitis lapidis meminit Philippus Iacobus Mauſſacus libello de fluviis Plutarcho adſcripto fol. 2. in deſcriptione fluvii Hydaſpis, pluribuſque in notis ſuis ad eundē libellum (edidit autem eum Toloſæ 1615. in 8.) fol. 213. Idē vero Pſellus de lapidum virtutibus ſupra cap. 4. huius libri citatus, teſtatur Lychnitem collo ſuſpenſum, oculorum fluxiones ſiſtere, appoſitum fronti linea lacinia involutum.*

CAP. X.

De Rubinis.

RUbinus eſt gemma diaphana, rutilans, rubenſque, exigua portiuncula cærulei coloris, ac limam reſpuens. Rubedo ipſius non eſt puri minii, vel cinnabaris, ſed ſanguinis potius, cocci, laccæ Indicæ, aut kermeſini. Quo tamen minus cærulei, modo aliquid in extremo igniculo appareat, eo nobilior eſt. Si ex flavedine rubeat gemma, non ad Rubini, ſed Granati, vel Hyacinthi ſpecies referenda eſt. hac enim nota ab iis diſtinguitur.

CAP. XI.

Genera Rubinorum.

RUbinorum quatuor ſunt genera. Verus, & ſimpliciter appellatus Rubinus, Rubacellus, Ballacius, & Spinellus. Inter hos aliqui albicant, & vix

vix rubedinem habent, albi Rubini nuncupati, alii cerasi maturi inſtar rubent, aliqui mixtos habent colores, aut media parte rubent, media candicant, alii media parte Sapphiri, media Rubini ſunt. Qui albi ſunt, duritie à cæteris gemmis diſtinguuntur.

Cap. XII.

De vero Rubino.

Rubinus verus, ut dixi, cocci, & laccæ Indicæ colorem refert, vitrumque eodem colore admixto lini oleo tinctum, apprime veri Rubini colorem oſtendit. Habet coccus, vel lacca Indica nonnihil coloris cinnabaris. Verum parum cærulei in extremo igniculo ſubeſſe videtur. Si enim nimis multum cærulei appareret, Balaſſium referret. Hic verus Rubinus ſi magnus fuerit, & 20. Ceratiorum pondus excedat, Carbunculi celebrati nomine dignus eſt, atque is cenſeri debet, qui tanto in pretio apud veteres fuit, ac cui inter tenebras lucendi facultas falſo data fuit.

Carbunculus eſt magnus Rubinus.

Rubinus ab Indis vocatur *Tokes*, vel *mamca*, à Perſis & Arabibus *Iacut*.

Cap. XIII.

Loci natales, magnitudo, & quomodo naſcatur Rubinus.

Nobiliores Rubini in inſula Zeilan naſcuntur. Alii, & minores in Coria, Calecut, Cambaia, & Biſnager. Optimi in flumine Pegu, quos incolæ ore & lingua explorant. Nam frigidiores & duriores meliores arbitrantur. Illorum colorem igne, in quo coquunt, augere dicuntur. Naſci ſolent in quadam lapidea matrice roſei coloris, quam aliqui

ſi

ſi perſpicua fuerit, Balaſſium Rubinum vocant. Nam ſi tranſparens,gemmæque inſtar non ſit, ab omnibus mater, aut matrix Rubinorum appellatur: propterea quod (ut infans in utero materno ſanguine nutritur)in hac Rubinus formetur,alatur, ac excreſcat. Primum candicat, deinde paulatim matureſcens ruborem contrahit. Hinc fit quod albi, & albicantes qui nondum maturi ſunt, reperiantur. *a* Naſcitur plerunque in eadem fodina ubi Sapphiri reperiuntur. Si alimentum varium fuerit, & non omnino Rubino idoneum; mixti coloris inveniuntur, nempe partim albicantes, partim rubentes, aut media parte Rubini, media Sapphiri, quos Indi *Nilacādi* quaſi Sapphirorubinos appellāt. *Balaſſius mater Rubini.*

Veri Rubini ſatis magni reperiuntur. Rudolphus Secundus Imperator Auguſtus, & invictiſſimus,ac Dominus meus clementiſſimus, Rubinum habet qui parvi ovi gallinacei magnitudinem æquat, ac ceratia pendet. *Cæſaris Rubinus.*

Is, à ſorore ſua Galliarum regis vidua, ad ipſum hæreditario iure pervenit. Illo maiorem in Europa inveniri non puto. Si quæ gemma pro vero Carbunculo unquam habita fuit,illa haberi debet. Intellexi,olim 60.ducatorum millibus emptam fuiſſe. Verum ſi quod rarum,& pulchrum eſt, magno æſtimari debet, ille aut inæſtimabilis prorſus, aut longe pluris æſtimandus eſt. Cleopatræ Margarita 234375. ducatis æſtimata fuit. Ut illa omnes ſui generis pulchritudine,& magnitudine ſuperavit, ita & hic Carbunculus. Nec propterea, quod non pluris venit, exiſtimandum iuſto pretio fuiſſe venditum. Quia mercatores tanti pretii gemmas ſervare non poſſunt. Nam ſi otioſas pecunias, aut divitias ſteriles habere, aut ære alieno gravati, bonis cedere nolint, divendere coguntur.

a *Author hæc ſequentia habet ex Garcia ab Horto lib.1. Aromatum & ſimplicium hiſtoriæ cap.49.*

Cap. XIV.

Rubini proprietates, qualitates, & facultates.

Ad venena.

TRadunt authores, Carbunculum, ſeu verum Rubinum, geſtatum, vel ebibitum, venenis vehementer reſiſtere, ac à peſte præſervare, triſtitiam arcere, libidinem coërcere, malas cogitationes, & terrentia ſomnia avertere, animum exhilarare, corpus incolume conſervare, *a* ac ſi homini infortunia inſtent, ea mutatione coloris in obſcuriorem ſignificare, iiſque præteritis iterum priſtinum colorem recuperare. Interim tamen ſomnum minuere, ac ſanguinem nonnihil exagitare, ut geſtantes facile excandeſcant.

a *VVolfangi Gabelchoveri inſignem de ſe ipſo hiſtoriam notatu dignam, hic annectere placuit. Cuius verba in comm. cap.6. Andreæ Baccii de gemmis, & lapidibus, hæc ſunt. Notatu vero dignum eſt, Rubinum verum orientalē, coloris crebra mutatione, & obſcuritate, homini ipſum geſtanti, certum aliquod infortunium, & calamitatem non diu abfuturam denunciare, & pro maiori, vel minori infortunio, ad maiorem, vel minorem nigrèdinem, & opacitatem declinare. Id quod tum à viris Clariſſimis frequenter audivi, tum quoque proh dolor ipſe expertus fui. Cum enim 5. Decembris Anni 1600. poſt Chriſtum natum, cum dilectiſſima coniuge, Catharina Adelmannia piæ memoriæ, Stutgardia Calvvam proficiſcerer, obſervavi in itinere maniſeſtiſſime, Rubinum pulcherrimum, quem annulo aureo incluſum ab eadem dono acceptum, in manu gere-*

gerebam, ſemel atque iterum ſplendidiſſimum colorem fere prorſus amiſiſſe, & pro ſplendore obſcuritatem, & luce tenebras acquiſiviſſe: quæ nigredo, & obſcuritas non ſolum per unum, vel alterum diem, ſed aliquot perduravit, adeo ut vehementer perterritus, annulum ex digito removerim, & in ciſtam recondiderim. Vnde non raro coniugem admonui inſtare vel mihi, vel illi inſigne periculum, quod ex Rubini mutatione, & varietate collegeram. Neque ſane animus meus me fefellit, ut quæ intra paucos dies lethali morbo correpta fuerit, qui ipſam ad mortem uſque comitatus eſt. Poſt mortem vero priſtinus ſplendor ſua ſponte denuo rediit.

CAP. XV.

Dignitas, & valor Rubini, ſeu Carbunculi.

RUbini dignitas dum 10. ceratiorum pondus excedit maxima eſt, propter gratiſſimum quo oculos paſcit colorem. Proinde Adamantum pretio omnino æſtimari poteſt, nec autem 10. ceratiis ulterius alia, quam priori tabula, qua Adamantum pretia ſtatuuntur, op⁹ eſt. Scribit *a* Garſias ab Horto, 34. ceratiorum Rubinum à regulo in Decan 32. libris auri emptum, aureis Luſitaneis 20000. æſtimatum fuiſſe, quod pretium proxime illi, quod tabella oſtendit, accedit. Minorum Rubinorum pretium certum vix ſtatui poteſt. Hodie tamen gemmarii pretium illius ab Adamante cui aſſociari poteſt Rubinus, accipiunt. Ut ſi videatur ex magnitudine habere 4. ceratia, valore Adamantis (modo perfectus ſit, & colore abſoluto) qui quatuor ceratia pendet æſtimetur. Eodem modo æſtimantur & illi qui in tabulas redigi non poſſunt, ac meliores crudi, quam præparati, apparent. Reliqui *Rubinorum*

matronalium pretium. qui ad collaria matronarum vel mundum muliebrem exornandum eliguntur, neque exactam formam habent, non tanti æſtimandi ſunt, quanti qui tabulam conſtituunt. Qui vero tenues ſunt, ſed tamen colore, & pulchritudine abſque cavitate inferiori perfecti, tanto pretio valent, quanto qui iuſtam craſſitiem habent, cum neque ponderis, neq; craſſitiei, ſed tantum amplitudinis, coloris, & perſpicuitatis in illis habeatur ratio.

a *Libro* 1. *Aromatum & ſimplicium hiſtoriæ cap.* 49, *non* 34, *ſed* 24. *caratiorum habet: & male Auctor ſcribit emptū fuiſſe* 32. *libris auri, cum Garcias ipſe affirmet emptum fuiſſe ſex auri minis, quæ quinq; Luſitanicas arrobas efficiunt. Cum Luſitanica Arroba conſtet* 32. *libris teſte Cl. v. Carolo Cluſio.*

Cap. XVI.

Imitatio, & adulterium Rubini.

ADulterari, vel fucari ſolet Rubinus tribus modis. Primo dum ipſi, ſi abſque aliqua, vel pauca rubedine ſit, rubra bractea, aut color, aut vitrum aliquod rubeo colore tinctum, & ſplendens ſubſternitur. Qui modus nonnullis ideo carere fraude putatur, quod vera gemma licet colore non proprio adiuta, appareat. Verumtamen fraus eſt pretium gemmæ alieno colore augere. Ob hanc impoſturam famæ iacturam fecit gemmarius quidam, dum Rudolphum Imperatorem invictiſſimum & Dominum meum clementiſſ. decipere conaretur. Secundo dum alia gemma nobilis candicans, ut Sapphirus albus, Cryſtallus, Topaſius, aut Pſeudoadamas in illius locum ſubſtituitur, atque propter colorem, bracteam, aliudve corpus diapha-

diaphanum ſubſtratum, ita rubet, & radiat, ut à vero Rubino nihil differat. Tertio dum vitri partes duæ maſtice ita glutinantur, ut maſtix colore cocci tincta per utrumque vitri corpus ita pelluceat, ut verus Rubinus videatur. Horum modorum ſecundus, & tertius uſitatiſſimi ſunt. Verum non adeo difficulter deprehenduntur. Primo modo fucati dignoſcuntur, quia non exacte ſcintillant, limam non perferunt, ac colore pulchriores veris vidẽtur. Horum fraudẽ ſolent aliqui ad unguem noſcere. Nam ſi colore rubro caruerit, ac gemmæ planities ungui ſuperponatur, viſuſque per ſuperficiem gemmæ, & unguis dirigatur, candor abſque colore apparebit. Verumtamẽ gemmarii, inferiores gemmæ ſuperficies, variis angulis ita artificioſe ſcalpere norunt, ut multiplici ſuperficierum in omnẽ partem reflexu fraus innoteſcere perito artifici non ſemper poſſit. Propter has fraudes Rubini hoc ſeculo non tanti quam olim fiunt. *Duplata.*

Nonnulli Rubinũ ementiuntur auripigmento, quod excoquunt in vitro, nõ exacte obturato, lento igne: ac fruſtula vitri lateribus adhærentia, ſed admodũ frangibilia, ſtatuis cereis adhibent, ut Rubini vices, quos exacte referunt, ſuppleant. *Auripigmentum coctum in Rubini ſpeciem abit.*

CAP. XVII.

De Rubino Balaſſio.

HIc Rubinus qui Balaſſius, aut Pallacius vocatur, inde nomen habere putatur, quod pallatium, ſeu mater Rubini veri ante deſcripti, in quo naſcitur, & tanquam in palatio, vel domicilio reſidet, ſit. Habet iſte Rubinus laccæ Florentinæ, aut Cremeſinum colorem, ita ut parum cærulei coloris vero rubro admixtum videatur, roſei coloris

rubentis inſtar. Verum color hic dilutus eſt admodum, viſui admodum gratus, ac Rubini veri inſtar ſatis ſplendens. Sæpius in venis Sapphiri hoc genus reperitur, è cuius tinctura cærulea huius rubedo diluitur, & temperatur. Naſcitur in iis regionibus in quibus Carbunculi, & veri Rubini.

Cap. XVIII.

Dignitas, virtus, & uſus Balaſſii.

Rubini veri, putatur Balaſſius, habere vires, & facultates, licet languidiores. Peculiariter tamen furoris, iræ, atque libidinis impetus frænare, & coërcere putatur, ob id mulieribus maxime convenire. Deinde iecoris omnia vitia emendare creditur.

Cap. XIX.

Balaſſii pretium, & valor.

Longe vilior Rubino eſt Balaſſius. Nam, teſte Linſchotano, 1. ceratium pendens, 10. ducatis æſtimatur, 2. ceratia pendens 20, 3. pendens 30, 4. pendens 40. & ſic ulterius multiplicando numerum ceratiorum per 10.

Cap. XX.

Imitatio, & fucus.

Adulterantur ut veri Rubini, ac difficilius in illis fraus deprehenditur.

CAP. XXI.

De Rubino Spinello.

MAgis hoc genus rubet, quam Balaſſiorum. Attamen non habet Spinellus ſplendorem legitimi Rubini, fortaſſis fœmina Plinio eſt. In iiſdem locis invenitur, ubi alii Rubini: minores etiam vires habet, quam Rubinus, ac facile adulteratur. *Locus natalis.*

Spinellorum aliquot ſunt genera. Aliqui enim tam perfecti ſunt, ut Rubinis comparentur. Aliud genus de rocca veteri eſt, quorum aliqui colorem Rubaſſorum habent, aliqui vergunt ad Hyacinthi coloré, neque adhuc ſtatutum eſt an Spinelli ſint. Gemmarii periti pro Spinellis non habent; ſed pro Rubacis, aut Rubicellis, vel etiam Hyacinthis; ſed etiam præſtantes ſunt, ut Spinellis comparentur. Volunt enim illos ita laudare, ut pro Spinellis vendere poſſint. Expoliunt etiam eo modo quo Spinellos, licet colore Hyacinthi, vel Rubicelli ſint. Cum Spinellus de rupe veteri præ manibus eſt, qui Adamanti unius ceratii ſociari poteſt, & in tabulam redactus eſt, valet dimidium pretii Adamantis, ſi perfectus ſit. Nam ſi vitium habeat, proceditur ut in regula de Adamantibus docui. *Genera.*

CAP. XXII.

De Rubacis, aut Rubicellis.

GEmmæ iſtæ ambigunt inter Spinellos, & Hyacinthos, ut neſcias num ad hos, vel illos referre debeas, videtur enim color ex utriſque mixtus. Bohemicis Granatis interdum etiam valde ſimiles ſunt, ac igne num Granati ſint probantur. Nam

Granati Bohemici ignem abſque coloris vel minimi iactura ferunt, illi nequaquam, quia vel amittunt colorem, vel mutant, ut facile Granatos non eſſe manifeſtum fiat. Extremus iſtorum igniculus plerunque flaveſcit. Vilioris ſunt pretii, quam Spinelli, ac Balaſſiorum pretio dimidio æſtimari poſſunt ſi vitio careant.

Cap. XXIII.

De Granatis.

AD Carbunculi genera merito Granati referendi ſunt: cũ luci, aut Soli expoſiti carbonis imaginem oſtendant, meliuſque quam Rubini. Granati enim fere omnes ex flavedine rubent, ignis inſtar, miniique nativi vel factitii colorem quo ignis depingi ſolet in ſe habere videntur. Ob id à Gallis *vermeille* vocantur, quo nomine etiam minium ſignificatur. Nam Galli minium *vermeillon* appellant, à quo derivatur *vermeille*.

Cap. XXIV.

Granatorum genera, & loci natales.

GRanati alii orientales, alii occidentales. Orientales ex India, Calecutio, Cananor, Cambaia, & Balaguate, ac ex Æthiopia adferuntur, ibique inveniuntur. Hi trium generum reperiuntur. Nam aliqui nigriores ſunt cæteris, ſanguiniſque atri colorem referunt, ſatis tamen rutilant, ac ſplendent. Bractea ſuppoſita alba in Sole carbonis igniti ſpeciem referunt: ut propterea à nonnullis veri Carbunculi putentur. Magni hi inveniuntur. Nam vidi qui ovum gallinaceum magnitudine ſuperarent. Aliud genus eſt, quod Hyacinthi colorem

Magnitudo.

re-

refert, ac niſi nimia rubedo adeſſet, Hyacinthus putaretur. iſte à gemmariis Soriana appellatur. Si nimium flavedinis habeat, inter Hyacinthi ſpecies referenda eſt, ac ea erit gemma quam Itali, *Iacintha la bella*, vocant. Sæpe enim ita nutant, aut ambigunt gemmæ, ut neſcias ad quam ſpeciem referre debeas. Hinc fit ut ſæpe ne à gemmariis quidem dignoſcantur. Nam duritie eiuſdem ſpeciei gemmæ non ſemper æquali ſunt: ita ut hac ratione diſcerni nequeant, ac certiſſimum ſit ambigere. Conſtat enim plures gemmas interdum à natura non ſolum miſceri, ſed coniungi. Tertium Granati genus Martii violæ colorem habet rubedini intermixtum. Hoc cæteris præſtantius iudicatur, ac Italice à gemmariis, *Rubina della rocha*, vocatur. Fortaſſis Carbunculus Amethyſtizontas Plinii eſt. Verum difficile eſt hic aliquid certi ſtatuere. *Soriana.* *Iacintha la bella.*

Occidentales Granati aliqui ſunt dilutioris coloris, ut Hiſpanici, qui Grani punici colorem referunt, ac ſatis magni reperiuntur, flammamque coruſcantem æmulantur. Aliqui ex flavedine rubent colore admodum ſaturo, & qui igne ab iis removeri non poteſt. tales ſunt Bohemici. Tanta enim copia rubedinis in iis eſt, ut nigreſcant niſi excaventur, ac bractea argentea illis ſupponatur. Huius enim beneficio quodammodo diluitur coloris abundantia, quemadmodum excavatione minuitur. Quotquot in Bohemia inveniuntur, omnes vitio ita carent, ut oſtentum ſit, ſi unus reperiatur qui vel nebulam, vel fiſſuram, vel ſimile quid habeat. Prope Balnea Teplicenſia non procul ab Albi & ab oppido Bilina reperiuntur. Hi orientalibus nobiliores ſunt. Tum quia vitio carent, tum quia igni reſiſtunt, *Differentia in colore.* *Puritas Granati Bohemici.*

 veriſ-

veriſque carbonibus ſimiles ſunt. Hos ruſtici in agris paſſim abſque matrice, arenæ aut piſorum inſtar inveniunt, venumque Pragam deportant. Dum reperiuntur, ita nigricant extrinſecus, ut niſi contra lucem quis eos intueatur, rubedinem percipere

Sileſiaci. vix poſſit. Aliqui præterea ſunt Granati Iſerini vocati, qui nempe ad Iſerin pratum circa confinia Sileſiorum colliguntur: ſcabri hi ſunt, plerumque vitiis pleni, ac raro plane perſpicui, Rubinis Spinellis viciniores, quam Bohemici. Dum perſpicui non ſunt, matres Granatorum vocantur.

CAP. XXV.

Qualitates, proprietates, uſus, & dignitas Granatorum.

GRanatos manifeſtam aliam qualitatem, quam exſiccandi, ſi in pollinem redigantur, habere non puto. Alias collo ſuſpenſi, & ebibiti, triſtitiæ multum reſiſtere, ac cor confirmare, melancholiæque adverſari putantur. In medicos uſus dum recipiuntur, calcinantur, ac electuariis cordialibus adhibentur. Præparantur autem optime hoc mo-

Præparatio Granatorum. do. Primo igniuntur, & in oleo ſalis aliquoties extinguuntur donec ſolvantur. Soluti oleo tartari in lactis cremorem coagulantur, lavanturque aqua calida, poſtmodum uſui adhibentur.

Dignitas, Bohemici magnitudo. Quod ad dignitatem attinet, Bohemicos omnibus aliis præferrem, quod rariſſime magni, ac vix piſis maiores inveniantur: & præterea quod illorum color nullo igne auferri, aut minui poſſit, quod nulli gemmæ coloratæ proprium eſt. Ita ut hac ratione quodammodo immortalis, & Adamanti, auroque obriſo comparandus ſit. Novi qui per multos menſes in igne detinuerant, variiſque modis co-

lorem

lorem mutare, aut demere tentarant; ſed fruſtra, quod color igni reſiſtat, & in vaporem, aut halitum abire non poſſit.


CAP. XXVI.

Pretium Granatorum.

IMperator Rudolphus inviƈtiſſ.&Dominus meus clementiſſ. magnos Bohemicos in pretio habet, & merito, cum rariſſimi ſint, & ſi quis avellanæ magnitudinem æquet, Rubini veri pretium æquare debeat. Exigui innumeri reperiuntur, ſed viliſſimi ſunt ob copiam, ut Margaritæ parvæ. Orientales, & reliqui, quia maximi, ac ſatis multi inveniuntur, iſtos neque dignitate, neque pretio ſuperare debent. Bohemici parvi, & minuti, ad libram venduntur, ac pro eorum magnitudine augetur pretium. Maiores foraminibus rotundis examinantur. Nam qui primum foramen, formati, & politi, tegere, ne id tranſeant, poſſunt, hi ſi quatuor numero ſint thalero venduntur. Qui ſecundum tegunt, unum thalerū valent. Qui tertium, tres thaleros valent. Qui quartum, 9. Qui quintum, 27. Qui ſextum, 81. Qui oƈtavum, quod ſub ſe cyphram 8. habet, 364. Nam ſeptimum foramen errore piƈtoris omiſſum eſt in figura, ſed eius pretium tabula indicabit. Qui cupit foramina ſibi deſcribere, hac ratione fiet. Sumatur Granati thalerum vel coronatum valentis diameter, ac ſecundum longitudinem quater multiplicetur. Exempli cauſa diameter ſit piſi magnitudine, adiiciantur adhuc tres diametri, ita ut fiat 4. piſorum longitudo.

Circuli hic deſcripti foramina ſunt.

Tum



8 6 5 4 3 2 4 3 2 1 A

Tum ſingulæ diametri à prima, videlicet ſecunda, tertia, & quarta, dividantur in ſex partes æquales, ita erunt ſectiones octodecim. Nam prima diameter nullam habet, quia eos qui minus thalero valent, taxare hic nolui. Si tamen quis magnitudinem foraminis eorum, quorum quatuor thalerum valeant, habere volet, dividat in ſex partes primam diametrum. Nam quinque partes diametri conſtituent diametrum illorum. Primus circulus qui in ſe notam 1. habet, foraminis quantitatem indicat, ex quinq; ſectionibus primæ diametri in linea conflatam. Non ſecui tamen in partes primam diametrum, ſed tantum reliquas tres. Diametros illas quatuor indicant numeri ſuppoſiti prope litteram A 1. 2. 3. 4. Sectiones litteris non notantur. Ex ſingulis ſectionibus tanquam diametris, ſi quis velit, formentur circuli pro foraminibus. Initium diametri eſt ipſum A punctum, altera extremitas eſt punctum ſectionis.

Primæ diametri circulus, ſeu foramen quod ſub ſe 2. habet, finiens in prima ſectione, Granatum ea magnitudine præditum, uno thalero, ſeu coronato æſtimat. Secundus circulus qui ſub ſe 3. habet, ac à ſecunda ſectione ad litteram A extenditur, 3. thaleris æſtimat. Tertius ſub ſe habens cyphram 4, qui à tertia ſectione ad A litteram extenditur, 9. thaleris æſtimat. Quartus ſub ſe habens cyphrā 5, thaleris 27. & ita deinceps augendo pretium

tium proportione tripla uſque ad ſeptimam ſectionem, quæ à ſexta ſeſquialtera differt, & in reliquis obſervatur. Ita decimatertia ſectio, quæ tres diametros exacte continet, Granatum ea magnitudine præditum 6165. thaleris æſtimat: quæ 4. diametros, 45666. thaleris. Id obſervatum eſt in ſeſquialtera proportione elicienda, quod dum impar numerus fuit, cuius dimidium accipiendum erat, unitatem abiecerim. Licet autem maiorem decima ſectione reperiri Granatum non putem, tamen ad decimam quartam uſque ſectionem tabulam feci, & ſectiones in figura ad decimam nonam ſectionem, ubi quarta diameter finitur, produxi: ut intelligat Lector, inæſtimabilem, aut ingentis pretii eſſe poſſe, ſi ad illam magnitudinem perveniat. Si Margaritæ dum communem menſuram excedunt, inæſtimabiles fiunt, propter raritatem, cur Granati iſti eſſe non poſſint, neſcio. Cum hominum opinio, & raritas ſola pretium faciat. Ego qui per multos annos in Bohemia habitavi affirmare poſſum, me nunquam quinta, aut ſexta ſectione maiorem vidiſſe, licet magno ſtudio quæſierim.

Tabula

Tabula Sectionum.

Ab A littera ad primam ſectionem, craſſus Bohemicus Granatus valet ut ſequitur.

Ab A litera ad	primam	Sectionē valet	1	Thalerū
	ſecundam		3	Thaleros
	tertiam		9	
	quartam		27	
	quintam		81	
	ſextam		243	
	ſeptimam		364	
	octavam		546	
	nonam		819	
	decimam		1218	
	undecimam		1827	
	duodecimam		2740	
	decimam tertiā		4115	
	decimā quartam		6165	

Iſerini Granati dum abſque vitio ſunt, & colorem gratum habent, ac igni reſiſtentem, orientalium pretio æſtimantur. Orientales primi generis, & ſecundi, ſi exemplares fuerint, id eſt, figura, colore, ac duririe perfecti, atque 1 ceratium pendent, duobus thaleris æſtimari poſſunt. Si 2. ceratia pendent, 4. thaleris, ſi 3. ceratia, 6. ſi 4. ceratia, 8. Duplando ceratiorum numerum uſque ad pondus 20. ceratiorum. Inde pondus ad quadrageſimum ceratium uſque triplicandum, à quo ad 60. quadruplicandum, ac deinde ad 100. quintuplicandum, ut 100. ceratiorum 500. thaleros valeat. Atque poſtremo ad 200 ceratium ſextuplicandum, ut 200 ceratiorum, valeat 1200 thaleros. Habenda tamen maxima ratio coloris. Quia enim variant colore, & ita interdum ambigunt, ut prope ad Rubini colorem accedant, poſſunt periti gemmarii iudicio, vel pluris, vel minoris æſtimari. Neque ſolum ob hanc cauſam

Color ſtatuit gemmis pretium.

cauſam inconſtans habent pretium, ſed quia paucis noti ſunt, & à paucis expetuntur, ac interdum copia illorum ad nundinas adfertur. Maiores quia rariores ſunt, priori regula ſemper æſtimari commode poſſunt. Orientales tertii generis qui Rubini della rocha Italice vocantur Spinellorum pretio æſtimari poſſunt: cæteris enim Granatis orientalibus præſtantiores habentur. *Rubini della rocha.*

CAP. XXVII.

De Almandinis.

ALmandini ambigunt inter Granatos, & Rubinos, ita ut Rubini nigriore colore tincti videantur. Viliores ſunt Rubinis, atque imbecilliores vires habent. Olim Alabandici vocati fuerunt. Pretium habent Granati orientalis.

CAP. XXVIII.

De Amandinis.

HI à *a* Plinio Trœzenii vocantur, variiſque coloribus interſtinguentibus maculis albis rubent. Paucis hæc gemma nota eſt, & ob id vix in pretio ullo.

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 7. littera f.*

CAP. XXIX.

De Hyacintho.

HYacinthi quia ex flavedine rubent, igniſque flammas imitantur, ad Carbunculi genera referuntur. Verum non omnes, ſed id genus tantum, quod cæteris rubicundius eſt, ſanguiniſque bilioſi colo-

colorem oſtendit. Hoc genus vix piſi magnitudinem excedere ait Plinius. Ego Hyacinthum maiorem, qui egregia rubedine ſplendet, omnino à veteribus inter Carbunculi genera numeratum fuiſſe autumo: noſtrates vero aliquos inter Chryſolithi genera à veteribus numeratos fuiſſe non dubito.

Cap. XXX.

Genera Hyacinthorum.

QUatuor Hyacinthorum ratione coloris genera ſtatuo. Primo genere continentur qui ignis inſtar rutilant, ac cocci colorem referunt, minii nativi, aut ſanguinis admodum bilioſi inſtar. Hos *Galli Iacinte la belle* vocant, atque proxime Granati Bohemici colorem referunt, ſed dilutiorem abſque ulla nigredine intermixta. Hi cæteris omnibus præferuntur, ac ad Carbunculi genera referri poſſunt. Secundo genere continentur qui rubedine croci flaveſcunt, planeq; vitri è ſtibio concinnati, aut plumbi cum lateribus ter in laminam ferri fuſi, & vitrificati, colorem repræſentant. Tertio genere continentur qui Succini flavi colorē ita exacte oſtendunt, ut dignoſci à Succino niſi duritie aut palea (quam non attrahunt) non poſſint. Talem ego habeo. Hi omnium ſunt viliſſimi, neque omnino pellucent, propter atomos, & corpuſcula quæ in ſe continent, ac diaphanitatem impediunt, eoſque antiquorum Lyncurios potius, quam Succinum putarem. Vix enim credibile eſt veteres Succinum molle, igniſque iniuriis obnoxium, pro lapillo, aut gemma habuiſſe. Quarto genere, qui nihil prorſus rubedinis in ſe habent, quiq; albi, pellucidi, Succini colorem referunt, continentur. Hi omnium

omnium ſunt viliſſimi. Refert aliud genus Rueus quod fulvum & cæruleum colorem commixtum habeat. Verum id ut à me, ita ab alio nunquam viſum fuiſſe puto. Propterea quod viride ſit oportet. Fulvus enim color cæruleo mixtus, perpetuo viridem colorem efficit, ut norunt pictores, qui Indico, & auripigmento, atque quovis flavo, ac cæruleo colore, viridem efficiunt. Si quis in gemmæ corpore diſtinctos hos duos colores ponat, plures apparebunt; videlicet viridis, rubellus, & purpureus, ut in iride cœleſti, & Opalo gemma, quæ rubro, cæruleo, flavoque colore tincta, viridem, & purpureum, propter reflexionem oſtendit. *a* Plinii Hyacinthus hodie inter Amethyſti genera ponitur. Quemadmodum Amethyſtus veterum, nunc Granati nomen obtinet. Ætas, ac gemmariorum imperitia, gemmarum nomina ita confundit, ut vix aliquid certi hac in re ſtatui poſſit. a *Lib. 37. cap. 9.* *Plinii Hyacinthus.*

CAP. XXXI.

Locus natalis, virtus, uſus, proprietates, pretium, ac adulteria Hyacinthorum.

AD Iſeram fluvium in confinibus Sileſiæ, & Bohemiæ, torrentemque Georgii prope Hirſpergam inveniuntur ignobiliores. Nobiliores enim ab oriente deferuntur, ac in Cananor, Calecut, & Cambaia reperiuntur. Præcipuus uſus eſt ad peſtem arcendam, ſi pro amuleto collo appenſus, aut annulo incluſus geſtetur. Ad hæc ſomnum conciliare, virtutes cordis tueri, divitias, honores, ac prudentiam augere, animi alacritatem efficere, ac à fulgure portantem defendere creditur. Primum genus maiori in pretio eſt. Deinde ſecundum. *Vires.* *Pretium.*

Poſtmodum tertium. Inde quartum viliſſimum, nec ipſa cælatura maius, ita ut lapidis pretium cælaturæ non ſuppleat. Exempli cauſa, ſi pro cælatura ſolvendi ſint 2. thaleri, vix 4. valeat. Primum genus cælaturæ, pretium octupla proportione excedere poteſt. Secundum quadrupla. Tertium dupla. Vel ſi quid certius deſideres, primum genus Granati orientalis duplum pretium habeat, ſecundum idem, & tertium dimidium. Verum ut in vilioribus gemmis nihil certi ſtatui poteſt, ita nec hic: nam gemmarii in pretio gemmarum inconſtantes ſunt licet aliquid certi pro norma, ut hic facimus, ſtatui poſſit. Color, puritas, magnitudo, ac forma mutant gemmarum pretia. Hic abſolutæ gemmæ non vitioſæ æſtimantur. Adulterium Hyacinthus vix meretur. In illius locum aliquando ſubſtituitur ex plumbo vitrum, quod à vera gemma pondere, & duritie facile diſtinguitur, mollius enim, & gravius vera gemma.

Vitrum plumbi.

Cap. XXXII.

De Amethyſto.

Amethyſtus Hebraice *Achlamah*, Chaldaice *enegla* vocatur. Violacei eſt coloris, qui ex mixtione rubri, & cærulei coloris emanat. Huius differentiæ ratione loci natalis & coloris diſtinguuntur. Aliqui enim, ut Indici, flavedinem immixtam habent, cuius ratione inter Carbunculi genera referuntur, & Hyacinthis proximi ſunt. Aliqui vini ſuppurpurei colorem habent, etiam in India reperti. Alii violaceo quidem colore tincti exacte ſunt, ſed pauco, ita ut plane transparentes ſint, qui ut cæteris molliores, ita etiam viliores ſunt, ac in Bohemia, Saxonia, aliiſque regionibus ut præcedentes inve-

inveniuntur. Quibus vero in purpura refulget roſeus nitor Carbunculi inſtar, præ cæteris commendantur, tum quod duriores, tum quod in Adamantem ita verti poſſint, ut fucus à peritiſſimis gemmariis vix deprehendi poſſit. Vidi enim, Adamantem 18. mil. aureorum emptum, aureoque annulo incluſum, cũ Amethyſto orientali dealbato eiuſdem formæ & magnitudinis, eodemque modo auro inſerto, ita conferri ut à me nulla differentia animadverti potuerit. Hic ducentis thaleris ab Imperatoris aurifabro æſtimatus fuit, ob aquas ut vocant Adamanti vero ſimiles, quas hinc inde micans iaciebat. Vertuntur in Adamantem eo modo ut Sapphiri, quibus præferuntur, quod non ita albicent, ac genuinum Adamantis ſplendorem egregie ementiantur.

Amethyſti uſti nitor, & pulchritudo.

Pretium.

CAP. XXXIII.

Loci natales, ac pretium.


REperiuntur in India, Arabia, Armenia, Æthiopia, Galatia, Thaſo, ac Cypro, aliiſque locis orientalibus, celebriores. In Germania, Bohemia, Miſnia circa Wolkenſtein, & arcem Hohenſtein, quæ miliari diſtat à Stolpa, civitate Miſniæ. Item ad Trebiſam prope Miſniam, lociſque vicinis pulcherrimi, ac perfecte violacei, etiam candidiores copioſe inveniuntur. Verum Cryſtalli inſtar molles omnes, ob quam cauſam minus expetuntur. Orientales, id eſt, duriores ſi abſque macula ſint, & vitio careant omni, optatumque habeant colorem, dum unum ceratium pendent, unum thalerum, aut coronatũ valere poſſunt. Dum duo pendent, duos thaleros, dum tres, quatuor, dum quatuor ſeptem, ita ut differentiæ ſemper unitate augeantur, ut tabula

bula indicat, ac differentia præcedenti pretio addita ſequens pretium conſtituat. Sic 20. ceratiorum valebit 201. thaleros. Si quis loco thaleri ducatum velit, perinde fuerit: modo proportionem tabulæ ſervet. Nam Gemmarii facile variant iſtarum gemmarum pretia, quia coloris maximam habent rationem, neglecto pondere.

Tabula.

Ceratia	Pretium	Differentia	Ceratia	Pretium	Differentia	Ceratia	Pretium	Differentia
1	1	1	9	37	9	17	147	17
2	2	2	10	46	10	18	164	18
3	4	3	11	56	11	19	182	19
4	7	4	12	67	12	20	201	20
5	11	5	13	79	13	21	221	21
6	16	6	14	92	14	22	242	22
7	22	7	15	116	15	23	264	23
8	29	8	16	131	16	24	287	24

Bohemici, & Saxonici, à magnitudine æſtimantur.



Minima figura præditi thalerum, dupla vero ſuperficie 2. thaleros, quadrupla quatuor, octupla octo, & ſedecupla 16. thaleros valent. Magnitudo

do autem duplæ ſuperficiei habetur, ſi in circulo quadratum æquilaterum fiat, ac ex hypotenuſa aliud quadratum, id enim duplum eſt. Intelligo autem quadrata æquilatera, & rectangula. Quadrupla autem ſuperficiei magnitudo habetur, ſi primi quadrati latus dupletur, ac inde quadratum conſtituatur, aut ſi ex dupli quadrati hypotenuſa, aliud quadratum conſtituatur. Conſtitutis quadratis circuli inde fieri poſſunt, & excavari, ut foraminum loco ſint, ad explorandam gemmæ magnitudinem, nam quæ foramen tranſit, minor eſt, quæ non tranſit, maior: proximum autem foramen illi per quod tranſit, magnitudinem gemmæ indicat. Verum ut prædictæ gemmæ valorem à me præſcriptum habeant, fere puræ eſſe debent, alias longe viliori pretio æſtimandæ ſunt. Sed raro à vitiis omnibus liberæ inveniuntur. Quæ nubeculas, fiſſuras, plumulas habent, vix mediam ſtatuti pretii ſummam attingunt. Si magnitudo gemmæ trium, quinque, 6, 7, aut plurium thalerorum deſideretur: ex Geometria quantitas quærenda. Invenitur autem hac ratione: fiat triangulus orthogonius ex lateribus illorum quadratorum, quorum numeri quæſitum numerum conſtituunt: hypotenuſa enim latus erit quadrati æquilateri & orthogonii, cuius quantitas deſideratur. Exempli cauſa, volo invenire trium thalerorum foramen, aut quadratum. Unum latus trianguli orthogonii erit latus quadrati A. Alterum latus trianguli erit quadrati B. Horum hypotenuſa quadratum conſtituet, eiuſque circulus foramen trium thalerorum. Si quinque thalerorum velim, accipio latus quadrati C, & latus qadrati A, ac conſtituo triangulum orthogonium, cuius hypotenuſa conſtituet

quadratum, quod quinquies continebit primum, & pro 5. thalerorum pretio inſerviet. Si 10. thalerorum cupiam ex latere D quadrati, ex latere B quadrati triangulum erigo, cuius hypotenuſa quadratum quæſitum oſtendit.

Cap. XXXIV.

Amethyſti vires, facultates, & uſus.

PUtatur geſtatus ebrietatem prohibere, idque vini colore, quo præditus eſt, indicari, quaſi illum pro facultatis characteriſmo habeat. Ab hac facultate Græce Amethyſti nomen accepit. Nonnulli umbilico admotum vini vaporem ad ſe trahere, eumque diſcutere, ac proinde ebrietatem, crapulamque arcere ſcribunt. Addunt alii, malas cogitationes prohibere, felix ingenium, vigilantiam, ac induſtriam efficere, imo geſtantem principum gratiam ſibi facile conciliare.

Cap. XXXV.

Fucus, ſeu adulterium Amethyſti.

ADulteratur colore violaceo maſtiche mixto, ac inter duo vitra glutinato, aut vitro eiuſdem coloris inter duas Cryſtalli particulas poſito. Germanici adulteriũ non merentur, quod ſatis magna illorum habeatur copia.

Cap. XXXVI.

De Margaritis, & Vnionibus.

MArgaritæ, & Uniones, ſeu Perlæ, etiamſi inter gemmas referri non deberent, quod in terra non naſcantur, ut aliæ omnes, ſed in animalibus, con-

conchis videlicet: Quia tamen vulgo in maximo pretio, gemmarumque inſtar habentur, ac ab omnibus ad ornatum, muliebremque mundum, & luxum inprimis, ut olim, ita & nunc expetuntur: Non male me facturum exiſtimavi, ſi poſt Adamantem & Carbunculum ipſarum hiſtoriam deſcriberem. Solent enim hæ tres gemmæ principatum habere. Margaritæ itaque omnibus notiſſimæ, Perlæ etiam vocantur, & dum magnæ ſunt, Uniones: Arabibus, & Perſis *lulu*, Indis *moti*, Malabaribus *mutu*. Luſitanis *Aliofar*, à portu Perſiæ *Iulfar* appellantur. Plerumque tamen minores, & qui ad unciam venduntur, hoc nomen habent.

Præcipuæ gemmæ quæ. Vniones qui ſint. Nomina varia.

Cap. XXXVII.

Margaritarum genera. Quomodo naſcantur, ubi, & qua magnitudine.

MArgaritæ ratione loci natalis & pulchritudinis tantum diſcernuntur. Proinde Europæi, quia orientales cæteris ſunt pulchriores, eas à domeſticis diſtinguunt.

Naſcuntur in conchis. Scribit *a* Plinius, certo anni tempore conchas luxuriare, ac maritimum rorem, veluti maritum ſitire, cuius deſiderio hiant, & cum maxime lunares liquantur aſpergines, oſcitatione quadam haurire humorem cupitum: ſic concipere, gravidaſque fieri, ac pro qualitate roris accepti, ac cœli ſerenitate, pulchras fieri. Cœli enim Soliſq; maiorem illis eſſe quam maris ſocietatem. Turbido cœlo turbidas, ac claro claras fieri, ſanoſque partus multiplici conſtare cute. Verum hæc Plinii de earum conceptione & generatione opinio, veritati mihi conſentanea nunquam viſa eſt. Nam ex conchis Margaritas exemi complures, ac

Plinii error.

deprehendi, in animalis corpore naſci ex eo humore, ex quo teſta conchæ excreſcit. Humor enim ille teſtæ adhærens, quia ex terreo, viſcoſo, ac exacte in minima (ab aqueo animalis humore) reſoluto conſtat, ſicceſcit paulatim, & induratur, ac certo tantum tempore, non ſemper, ab animali pro teſtæ fabrica eructatur. Hinc fit conchas multiplici conſtare cute, dum poſterior exiccatur, priuſquam nova adiiciatur. Dum humor ille ab animali morboſo eructari, & expelli non poteſt, ac in corpore hæret, detineturque, ſi ibidem exiccetur, rudimentum, atque initium fit Margaritæ; quæ adiecto ſæpius novo humore, eoque exiccato, cute ſubinde nova augetur, ac in Unionem abit, non ſecus, quam in fellis veſicula, & urinę veſica lapides generantur. Quorum materia, quæ per urinam expellitur, dum in corpore veſicę detinetur, ibidem exiccatur, & in lapidem abit. Hoc modo Bezoar in capris Indicis multis cuticulis generatur. Dignoſcuntur facile conchæ, quæ Margaritas proferunt. Cum enim ſine tuberculis extrinſecus pulchræ, beneque formatæ ſunt, Margaritis carent. Dum tuberoſæ, inæquales, ac morboſæ quodammodo ſunt, tum Uniones habent. Si Margaritæ concharum partus eſſent, omne conchylii genus, eodē modo, partus ſuos efficeret. quod experientia non approbat. multæ enim conchæ ſunt eiuſdem prorſus formæ, quæ Uniones, aut Perlas non proferunt. Deinde non globoſis, & ex orbicularibus cuticulis, ſed oblongis pro futuræ conchæ rudimento naſcerentur: niſi quis poſtea dum grandiores Margaritę factę ſunt findi pro duplici aut utraque concha aſſerat. Verum nullæ unquam tales apparuerunt, ac inconveniens eſt corpus tam durum poſtea findi. Præterea quæcunque animalium rudimenta primo ſunt, mollio-

Cur Conchæ cutem habeant.

Vnionis origo.

Bezoar.

molliora ſemper, & apta ad fabricā animalis ſunt, non dura, ut Perlę etiam minutiſſimæ, quę ob id ad omnem figuram & extenſionem ineptæ, & inidoneæ ſunt. Falſum enim eſt quod in aquis molles ſint, ac extractæ Corallorum inſtar duræ evadant.

Laudatiſſimæ in ſinu Perſico inveniuntur inter Ormus inſulam, & Baſſoram, nempe circa Baroyn, Catyffa, Iulfa, Camaron, aliaque ſinus Perſici loca, ex quibus locis in Ormus inſulam deferuntur, quæ cæteris præferuntur. Inter promontorium Comorin, & inſulam Zeilan quotannis maxima copia invenitur, ſed cum Perſicis conferendę non ſunt. Taprobana inſula hodie Sumatra appellata, inter Iavam maiorem & Indiam ſita, Margaritarum etiam feraciſſima eſt, ut & Palane, & Caralco promontorium Indiæ. Sed parvę ſunt, ob quam cauſam viliores ſunt. In inſula Borneo, & Aynon, grandiores generantur, formæ tamen elegantia à Perſicis vincuntur. Occidentales, quia lacteſcunt, ac argenteum ſplendorem, & ſuperficiei polituram tantam non habent, ut quis exacte ſpeculi inſtar propriam faciei formam, in ea intueri poſſit, minus commendatæ ſunt. Conchæ quo altius in mari reſident, eo minores dicuntur proferre Margaritas. Conchæ læves, & candidæ, Indis *Cheripo* vocatæ, è quibus cochlearia, & pocula conficiuntur, præſtantiſſimas Margaritas proferunt. Illæ vero quę *chanquo*, & matres Perlarum appellantur, nequaquam. Quia tamen intrinſecus pulcherrimæ & læviſſimæ ſunt, inſerviunt menſis, aliiſq; rebus ornandis; ob quam cauſam Bengalam advehuntur, ubi armillæ, aliaque inde fiūt opera. Fuit enim iſtic mos ut virgines corrūperentur, niſi huiuſmodi armillis brachia ornata haberent. In Europa etiā in multis locis inveniuntur, ut in Scotia, Sileſia, & Bohemia, ac nonnullæ

Locus ubi inveniantur.

Cheripo.

Chanquo.

Ubi inveniantur Margarita.

 in

Oſtreæ feraces. in Friſia in conchis marinis oſtreiſque vulgaribus reperiuntur. Sed minutæ admodum ſunt. Apud Vogeſum montem Lotharingiæ, & in Voitlandia Perlæ ſatis elegantes reperiuntur. Verum quæ in Bohemia prope Horaſdiovitium, Straconitium, & Rabi arcem colliguntur, mihi cæteris præferri poſſe videntur. Vidi enim nonnullas, quæ vix ab orientalibus diſcerni potuerant. Id in illis reprehenditur, quod albiores ſint orientalibus, quę argenteum quendam candorem, ut illæ lacteum, præ ſe ferunt. Collegi in prædictis locis aliquot Margaritas præſtantiſſimas, verum ex quingentis conchis, quas aperui, vix decem abſque vitio habere potui. Nam maxima pars vel nigreſcit, vel flaveſcit, ita ut ex argilla facta videantur. Deinde eæ conchæ, quę Margaritas fuſcis coloribus præditas proferunt, etiam interiorem teſtam eodem colore tinctam habent. Quinetiam & humor, unde diximus teſtam quaſi lamellis aut cuticulis invicem ſuperadditis augeri, eodem colore plerunque eſt: ita ut non dubium ſit, quin inde, & non ex rore, ut vulgo hactenus creditum fuit, Margaritæ naſcantur.

Bohemicæ Margaritæ.

Vnionis nomen. Magnæ Margaritæ Uniones vocantur, quod raro ſibi æqualem magnitudine habeant. *Vbi magnæ naſcantur.* Magnæ circa promontorium Comorin centum frumenti grana pendentes generantur. Sed maximæ prope inſulam Burneo, verum non tam elegantes, ita ut 160. grana tritici ponderent. *Cleopatræ Vnio.* Maior proculdubio Cleopatræ fuit, quam aceto diſſolutam devoravit, ut ſe cænam pretioſiorem Antonio habuiſſe oſtentaret. Hæc enim centies ſeſtertium (id eſt, Budæo computatore, ducentis quinquaginta millibus aureorum) æſtimata fuit. *Rudolphi Vniones.* Ego complures vidi in Corona aurea Auguſt. Cæſ. Rudolphi ſecundi D. mei clementiſſ. quarum præcipua piri muſcatellini magnitudine, ac omni deco-

decoris ſpecie abſolutiſſima, pendēs ceratia triginta, aureorum millibus empta dicebatur. Narrat Budæus, in Gallia avellanæ magnitudine tribus aureorum millibus emptam fuiſſe. Verum mihi exiguum pretium videtur, niſi exigua fuerit avellana.

a *Libro 9. Naturalis hiſtoriæ cap. 35. littera f. Plura de Margaritis tradit Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. cap. 4. lib. 2. contra Plinium, ut ibi videre eſt.*

Cap. XXXVIII.

De natura, facultatibus, qualitatibus, & proprietatibus Margaritarum.

PUtant nonnulli, ducē, ut apes, habere conchas Margaritiferas, ac duce capto facile reliquas, quę gregatim regē ad paſcua ſequuntur, retibus capi, ut pote quæ regem comitari, nec ab eo ſeparari volunt.

Margaritæ ſenecta flaveſcunt, verum color dempta cuticula ſuperiori priſtinus redit. Demitur autem ſpiritu vitrioli; verum cautione opus eſt, ne damnum ſentiant: alias pulvere Alabaſtri, Corallii albi, vitrioli albi, & tartari albi, reſtituitur illius iuventus. Idē fit ſi columbis devorandæ præbeantur, aut ſi oryza & ſale diu fricentur, vel ſi in milio contuſo groſſo modo, ſaleque mixto, ſepeliantur. Maculæ abolentur rore Maii, qui foliis lactucæ inſidet, ſi per diem illi immorentur, aut eo perlinantur. Exiſtimant nonnulli in aqua molles eſſe ut Corallium. Verum ego qui plures ex aquis & ex ventre animalis exemi, æque duras & in aquis & extra deprehendi. Creſcente luna aliqui Margaritas creſcere, deficiente obſcuras, gibboſas, & tortas evade-

Seneſcūt Margarita. Gratiam reddere Margaritis.

re

re ſcribunt. Verum hæc veritati conſentanea non eſſe ex ſuperioribus facile colligi poteſt.

Cor roborant. *a* Margaritæ cor, ſpirituſque vitales roborant; proinde venenis omnibus, peſti, & putredini reſiſtunt, animum exhilarant, cardiacos, & melancholicos affectus ac ſyncopen tollunt, cordiſque ſubſtantiam, ne extabeſcat, legitime præparatæ, conſervant. *Ad febres, & phthiſin.* Phthiſicis, maraſmo, febreque ardente, aut peſtilentiali correptis ob id utiliſſimæ ſunt. Valent præterea contra ſanguinis fluxum, omniaque alia alvi profluvia: cerebrum, nervoſque roborant: & *Ad fluxus oculorum.* oculorum lachrymas butyro recenti commixtæ, palpebris ſuperioribus inunctis, aut collyriis additę, exiccant. *Lac.* Lac muliebre emendant, augentque.

Præparatio. Pręparantur autem hoc modo: ſordibus expurgatæ, aqua roſarum, caryophyllorum, violæ matronalis, aut meliſſæ lotæ, lapide Marmoreo, aut Porphyrio teruntur, donec lęvigentur: idque eo modo fit, quo pictores colores terunt. Metallis fieri id non debet, quia illarum corpori metalicum quid facile adhęret, quod naturæ noſtrę inimicum eſt, & graviſſima ſymptomata excitare poteſt, ut quotidiana experientia docet.

Præparatæ ut diximus modo Margaritæ, variis rebus commiſceri poſſunt. Extant apud pharmacopœos duę ex Margaritis compoſitiones. Diamargaritum calidum, & diamargaritum frigidum. *Diamargar. calidi vires.* Calidum virium imbecillitatem firmat iis, quibus animus deficit; ſive à corde, ſive à ſtomacho deliquiũ originem ducat, omnem noxæ cauſam diſcutit. Inſuper aſthmaticis, tuſſientibus, ac tabidis auxiliatur: longo morbo deiectos, & imbecillitate languentes recreat, & ad priſtinum robur deducit. *Diamargar frigidi vires.* Diamargaritum frigidum ad virium omnem im-

imbecillitatem, quæ à nimio calore, vel cui nimius calor adiunctus eſt, confert. Proinde in febribus malignis, & peſtilentibus eius uſus commodiſſimus eſt. Syncopen etiam à ſpirituum reſolutione dependentem aufert. Pulvis earum præcedenti modo præparatus, datur à drach una ad drachmā unam & ſemis, atque huic aliquando Bezoar, unicornu, cornu cervi, vel os de corde cervi additur, pro affectus diverſitate. Hic pulvis ad omnia venena, & animalium morſus, nulli comparandus, ad manus ſemper eſſe deberet. R. Perl. præp. Scrup. unum, Bezoardici lapidis grana decem, oſſis de corde cervi gran quinque, cornu cervi gran. quinque. Unicornu gran. decem, Bac. uvæ Paridis grana decē. Fiat pulvis, dandus à ſcrup. ſemis ad drach. ſemis. Si quis in ſucco citrii mali ſolvat Perlas, eumque propinet, facilius ad principes partes earum vis deducitur. Commodiſſime autem aqua Perlata confici poteſt, quæ ad vires reficiendas, & quaſi mortuos reſuſcitandos, admirabilis eſt, hac ratione. Solvantur Perlæ in aceto vini fortiſſimo, aut utilius in ſucco citri, aut ſpiritu vitrioli, vel ſulphuris, donec in liquorem abeant, adiecto ſubinde novo ſucco, ac priori decapulato. Deinde huic ſolutioni lacteſcenti & turbidæ adiice ſacchari q. ſ. ad dulcedinem. Si ſolutionis fuerint unciæ quatuor, adde aq. roſarum, fragorum, florum borraginis, meliſſæ ana unciam unam. aq. Cinnamomi uncias duas. Cum propinare volueris agita aquam, ut ſedimentum una ebibi poſſit. Poteſt propinari ab uncia ſemis ad unciam unam, nec quicquam præſtantius haberi poteſt: in febribus malignis & peſtilentibus vulgares aquæ Perlatæ huic comparandæ non ſunt. Id tantum obſervandum eſt, ut, dum ſolvuntur Perlæ, exacte vitrum ob-

Pulveris ad omnia venena deſcriptio.

Aqua Perlata.

Tabellæ Perlatæ. obturetur, ne ſpiritus earum exhalent. E præcedentis aquæ ſedimento tabellæ hac ratione fieri poſſunt. R. ſedimenti à quo per balneum aqua omnis extracta eſt unciam ſemis, adde ſacchari uncias quatuor, aquæ roſarum, & cinnamomi, q. ſ. fiant tabellæ. Hæ valent ad vires promptiſſime reſtituendas, & marcorem ſenilem emendandum. Aqua extracta ut præcedens, ſed paulo maiori doſi, ad præcedentia omnia nihilominus utiliſſima eſt. Si tabellę ex pulvere Perlarum præparatarum concinnatæ fuerint; non tam efficaces ſunt, quam prædictæ, quia illarum vis non tam facile, quam ſi in liquorem ſolvantur, deduci poteſt. Præparatur etiam ex Perlis aqua; quam quintam eſſentiam ſpagyrici appellant. Quæ præcipue valet contra venena, ac vitalem facultatem cordis roborat, ut non facile à veneno affici poſſit: ſanitatem conſervat, obſtructiones lienis hepatiſque reſerat, febres ardentes mitigat, ſitim tollit, cor exhilarat, coitum incitat, calculos & urinam ciet, nervoſas partes corroborat, apoplexiam, ſpaſmum, comitialem, & paralyſin arcet. Phthiſin, maraſmum, ac ſenilem marcorem emendat. Phrenitidē domat, hæmorrhoidum fluxum ſedat, cancri ulcerati exeſionem impedit, ac quovis morbo etiam contrario correptum, roborando & ad temperiem redigendo quemvis exceſſum, priſtinæ ſanitati reſtituit. Paratur hoc modo:

Q. eſſentiæ Perlarũ vires.

Q. eſſentiæ Perlarum præparatio. R. Margaritas optime lotas, & in pulverem lapide marmoreo tritas: his violæ inditis ſuperfunde menſtrui acidi volatilis, vegetabilis, vel mineralis tantum ut duo digiti ſupereemineant liquoris, ac violam bene occluſam, ne ſpiritus exhalent, cineribus calidis impone, donec Perlæ omnes ſolvantur. Menſtruum deinde, balnei ope, ad ſiccitatem aufer: calcinatis affunde aqu. diſtillatam, ac abſtrahe

terna

terna repetitione, ut omnis auferatur acrimonia. Qua ablata ſuperfunde vini ſpiritū: quem aliquoties cohobando extilla, ut in liquorem oleo ſimilem abeant. Spiritus balneo auferendus: ita in dante remanet oleum. Eſſentia vero, ſi per arenam diſtillaveris cohobando cum ſpiritu vini, illi miſcetur, & alembicum tranſcendit. Huius aliquot guttæ, cum aqua appropriata, propinantur, ac ſi ſpiritum ſalis, oleum ſalis aut vitrioli affuderis, iterum congelatur eſſentia. Hæc enim bonæ operationis nota eſt, ex matre Perlarum eadem fieri, quæ ex Perlis poſſunt: neque minores habent vires, ſed prorſus eaſdem.

a Margaritæ in tam frequenti uſu ſunt adverſus morbum omnē occultæ malignitatis participem, ut vix ullum compoſitum ſit Alexeterium, quod eas non recipiat: quædam etiam ab iis nomen ſortitæ ſunt, veluti nobiliſſimæ duæ confectiones, Diamargaritum calidum, & frigidum, cuius facultates auctor hoc capite ſatis egregie explicat: quarumque laudes abunde recenſent auctores, qui Antidotaria conſcripſere, qui hoc loco conſulendi ſunt.

Cap. XXXIX.

Valor, & pretium Margaritarum.

MArgaritarum earum, quæ rotundæ, pyriformes, omnibuſq; dotibus abſolutiſſimæ ſunt, pretium difficulter admodum ſtatui poteſt. Partim quia gemmarii vel augent vel diminuunt pro libitu & copia illarum pretium; partim quia pulchritudine & colore, etiamſi elegantiſſimæ videantur, non parum inter ſe differunt. Budæus pretium Margaritarum certa quadam proportione conſti-

tuit,

tuit, verum id ingens admodum eſt & nequaquam ſervandum. Exactius puto hac ratione conſtitui. Primum unius ceratii, hoc eſt, quatuor grana pendentis Margaritæ pretium, quod ſolet eſſe trium thalerorum, pro norma ſtatuatur. Si vero maius, vel minus ſit, applicetur pretium florenorum, vel coronatorum, vel quale quis volet, numero ternario, perinde enim eſt; hacque ratione error committi non poterit, & regula omni monetæ conveniet. Si itaque Margarita pendens ceratium valet tria, & quęras quanti valeat, ſi quatuor ceratia ponderet, duc in ſe 4, fiunt 16. quę duc in pretium unius ceratii, nempe 3. habebis 48, pretium Margaritæ. Hæc regula valet pro Margaritis, quæ pendent minus quam 11. ceratia. Si velis valorem 11. ceratiorum, duc 11 in ſe. habebis 121. quæ duc in 3, pretium unius ceratii, addendo illi prius unitatem, ut ſint 4. & habebis 484, pretium 11. ceratiorum. Atque hæc regula valet ad quinquageſimum ceratium uſque. Si quæras itaque plus pendentium pretium, duc in ſe ceratiorum numerũ, ac quotientem in tres thaleros, ita emerget pretium certum Margaritarum, & perpetuum in omnibus regionibus pro iis Margaritis, quę pondere ſuperant 50. ceratia. Nam quæ tantum pondus non habent, quia maiori copia habentur, ſæpe illarum pretium mutatur. Si vero mutetur (exempli cauſa unius ceratii Margarita duos thaleros valeat) etiam omnium ad quinquageſimum uſque ceratium pendentium mutari debet. Verum eadem regula, quam ſupra tradidi, obſervanda eſt ad decimum uſque ceratium, ac à decimo ad quinquageſimum uſque. Quadratus enim ceratiorum numerus cum pretio duorum thalerorum multiplicandus eſt, ut quotiens oſtendat pretium pro iis qui minus quam undecim ceratia pendent.

Dum

Dum enim plus pendent, quã 10. ceratia, ceratiorum quadratum multiplicatur cum duobus thaleris, adiecta unitate, hoc eſt, cum ternario numero, ut quotiens oſtendat pretium.

Hactenus pretia Unionũ ſtatui, nunc Margaritarum, quę ceratium non pendent, ac nobilium virginum ac matronarũ pectora & colla catenarum inſtar exornant, pretium ſtatuendum eſt. Hę ſi omnibus medis abſolutæ, id eſt, pulchro colore, abſque tuberculis, & rotundæ ſint, granumque ponderent, poſſunt tredecim cruciferis ęſtimari. Eſt autem cruciferus $\frac{1}{75}$ thaleri pars. Si duo grana pendent, 52. ſi tria, 117. ſi quatuor, hoc eſt ceratiũ, 210. id eſt, tres thaleros. Nam & hic ducitur numerus granorum in ſe, deinde multiplicatur cum unius grani valore. Si medii grani pondus, addatur exceſſus poſterioris numeri, id eſt, maioris à minore ſumitur, eiuſque dimidium minori adiicitur numero, ut pretium ſatis iuſtum habeatur. Exempli cauſa, ſi quæratur pretium Margaritæ pendentis granum cum dimidio. Quia unius grani pretium eſt 13, & duorũ 52, aufer 13 à 52. remanent 39. huius accipio dimidiam partem, nempe 19 ac addo priori numero 13. fiunt 32. Hoc erit pretium ſatis iuſtum. poſſet quippe aliquid in his accuratius inſtitui, verum neceſſarium id minime eſt, cum ſemigrani ratio vix habeatur, & oculis potius, quam ponderibus pretia à gemmariis examinentur. *Minorũ Perlarũ pretium.*

Rotundarum Margaritarum, & præcipuarum pretia poſui, nunc illæ, quæ rotundæ non ſunt, etiã æſtimandæ veniunt. Harum aliquę hemiſphęricæ, convexa ſuperficie ſatis pulchræ ſunt, & vel cum tuberculis, vel ſine. Quæ abſque tuberculis ſunt, duplo, triplo, aut quadruplo excedunt aliarum pretium. Solent tamen mercatores eas luſoriis chartis *Hemiſphærica Perla.*

M filo

filo affigere, ac commiſcere inter ſe ut æquali pretio divendi poſſint, & quod uni deeſt, altera ſupplere poſſit. Harum uſus eſt ad torques & aureas catenas exornandas. Si tam magnæ ſint, ut octo ceratiorum pendentis Margaritę foramen æquent, perfectioniq; nihil deſit, 50. thaleris æſtimari poſſunt. Sed reliquæ, & imperfectæ, ut tabula ſequens indicat, æſtimantur.

Margaritæ rotundæ foramen ſi æquet hemiſpærica.

foramē explens	valet cruciferos	Granorum	valent cruciferos
unius grani	3	11	85
2. granorū	6	12	95
3 ——	10	13	105
4 ——	15	14	115
5 ——	25	15	125
6 ——	35	16	135
7 ——	45	17	145
8 ——	55	18	155
9 ——	65	19	165
10 ——	75	20	175

Præter has Margaritas, aliquæ perforatæ non ſunt, & minimæ, papaveris ſeminis inſtar, aut paulo maiores; quæ unciatim ad medicos uſus divenduntur. harum uncia medica hoc anno 1604. thalero divenditur. Sunt & aliæ maiores perforatæ, non perfecte rotundę, quæ ad fimbrias, coronas, veſteſque muliebres exornandas uſui ſunt. quarum pretium pro magnitudine variat. Nam ſi earum 400. numero unciam ponderent, thaleris 30. æſtimari poſſunt, quæ quo minus vitii habent, eo pretioſiores ſunt. Earum omnium pretium ex numero colligi debet ut tabula ſequens indicat.

Pen-

Pēdentes unciam unā numero	valent thaleros	Pēdentes unciam unā numero	valent thaleros		
100	100	900	16	4500	7
200	70	1000	14	5000	6
300	50	1500	13	5500	5
400	30	2000	12	6000	4
500	24	2500	11	6500	3
600	22	3000	10	7000	$2\frac{1}{2}$
700	20	3500	9	7500	2
800	18	4000	8	8000	$1\frac{1}{2}$
				9000	1

Margaritæ occidentales, Bohemicæ, Scoticæ, multo viliores ſunt orientalibus. Si tamen proximæ illis pulchritudine videntur, ſatis magno pretio æſtimari poſſunt, præcipue ſi omni macula careant, nullaque tubercula habeant, ac tantum argenteus ille orientalium ſplendor illis deſit, locoque illius egregium, gtatumque candorem, ſeu albedinem habeant. Huiuſmodi hac tabula æſtimari poſſunt.

Pendentes cerat.	valent thaleros	Pēdentes ceratia	valent thaleros
1	$\frac{1}{4}$	11	$30\frac{1}{4}$
2	1	12	36
3	$2\frac{1}{4}$	13	$42\frac{1}{4}$
4	4	14	49
5	$6\frac{1}{4}$	15	$56\frac{1}{4}$
6	9	16	64
7	$12\frac{1}{4}$	17	$72\frac{1}{4}$
8	16	18	81
9	$20\frac{1}{4}$	19	$90\frac{1}{4}$
10	25	20	100

Ratio autem tabulæ hæc eſt: unum ceratium pendens Margarita quarta thaleri parte æſtimatur. Deinde aliarum Margaritarum pondus ceratiorum in ſe ducitur, ut quotiens oſtendat pretium. Quod in thaleros, ſi quotientis quarta pars accipiatur, re-

ducitur: nam emergunt ex multiplicatione quartę partes. Sic 20. ceratiorum Margarita valet 400 quartas,id eſt,centum thaleros. Si Margaritę vix orientalibus diſtingui ob elegantiam poſſint, quartæ partes pro altera parte thaleri haberi poſſunt; ita 20. ceratiorum 200. thaleris æſtimari poterit, atque non quarta, ſed altera pars, id eſt, dimidia quotientis oſtendet pretium.Quinimo poſſet quotiens pro thaleris accipi,ut 10.ceratiorum 100. valeret. Hic enim gemmarii oculus,& peritia, ut bene elegantiam examinet, requitur.


Cap. XL.

Quomodo Margaritæ perforentur.

QUia non omnibus notus eſt modus quo pacto *a* Margaritæ perforari poſſint: volui hic eum in lucem proferre. A manubrium ſiniſtra manu tenetur. Dextra manu manubrium arcus B truditur,& trahitur, ut reciprocus motus pugionis A C fiat. Extrema pars C acum habet non plane acutam ut punctum faciat, ſed ut lineolam. Acus inſidet Margaritæ perforandæ. Margaritæ ſi exiguæ fuerint,aſſeri ex molli ligno malleolo affiguntur ciſtæ D,ne vacillent. aſſer undiquaque concluditur aſſerculis,ne aquaMargaritis ſuperfuſa defluat.Agitata arcu C acus penetrat,& perforat Margaritam, neque propter aquam exuritur.

a *Quoniam auctor iam modum tradit Margaritarum perforandarum, non abſonum erit modum exhibere, quo auro, argentove etiam ea, quæ non perforata ſunt, optime figi poſſint, ut hæreant. Aluminis internam partem igni admovebis, eaque gutta, quæ per ſe puriſſima & clara exſtillare ſolet,*

let, cavam partem inunges, quæque infixeris, ſoli- diſſime & ad miraculum inhærebunt.



CAP. XLI.

Adulteria Margaritarum.

VIx ob aliam cauſam tanto in pretio ſunt Margaritæ, quam quod non facile adulterari poſſint. Aurum adulteratur facillime. Gemmæ ex vitris duplicatis concinnatæ, auroque incluſæ ita fallunt oculos, ut gemmarii periti, niſi eas eximant, à veris non diſcernant. Sola Margarita neque corrigi, neque alieno fuco elegantior reddi poteſt. Tradit tamen Linſchotanus, Indos ut Margaritas pulchras reddant oryzam cum ſale contundere, ac ea mixtura fortiter illas fricare, ita fieri pulcherrimas Cryſtalli inſtar, ac ſplendorem non amittere. Non mirum itaque, catenas Margaritarum ab heroinis, & fæminis nobilioribus, aureis præferri, meliuſque divitias oſtentare, faſtumque facere, quam gemmas, aut aliud quicquã quod adulterio fucove

obnoxium eſt. Tradunt varii authores rationes quomodo Margaritæ falſæ fieri poſſint. Nam nonnulli ex pulvere concharum, alii ex creta orbiculos formant, quos poſtea argenteis foliis obducunt, ac obductos albumine ovi humectant, ac ſiccari ſinunt, ut Margaritæ videantur. Alii ſunt qui ex Margaritarum pulvere concinnant cum albumine ovi, ac poſtea exiccant. Verum pondere & colore facile mangonium deprehenditur. Baptiſta à Porta hunc modum deſcribit. Margaritæ in ſacculum, cum Smir., Pumicis, ſæpiæ oſſis pulvere iniiciantur, & ex aqua manibus tractentur, dum elotas, & politas cognoveris. reſiccato, ac in pollinem redigito. Solvantur limonum ſucco, ac morentur donec ſolutas noveris, & pingue quoddam olei inſtar in humoris ſuperficie natare videas. id argenteo cochleari excipe. Poſtea pulverem in orbes redigito, manibus, vel typis argenteis, ac porci ſeta perforatas Margaritas oleo inungito, ac è filo pendentes vitro includito, Solique exponito. Cum ſiccatas videris, milii vel hordei fermento non ſalito neque acido involve, ac in furno excoqui ſinito, aut columbis manducandas præbeto in lacte ficus vel ebuli, & præſtantes habebis. Si aliter placuerit: ubi ſucco, vel forti aqua fuerint diſſolutæ Margaritæ, clara lavabis lympha, vel diſtillata, lotiſque manibus, ne tractando ſordeſcant, & palleant. ſic lacteo fici ſucco, cochlearum aqua ferventi balneo diſtillato, aut ovi albore glutinabis, perforabis, & ſiccabis, argentea lavando ſemper aqua, & commiſcendo. Aquam argenti ſic parabis. Forti aqua ſolutum fatiſcat purgatum argentum, lenibus prunis evolet aqua, tertium relinquendo. mox ab igne vas tractum dimittito. deinde ſub dio noctu relinques, donec glaciet, & argentũ in Cryſtallini lapilli ſpecie reperies. rite ablues

Aqua Argentea quomodo fiat.

ablues fontis aqua, ut lucidiores conſpiciantur. quos vitreo condes vaſe, ac putri fimo ſolvere ſinas. quo mergas factitios Uniones, & immorari ſinito, & lucidos argenteo colore pellucenti reperies. Hactenus Porta, cuius fucandi modi, etiamſi non plane diſpliceant, nō tamen omnino ſatisfaciunt, quia ex pulvere Margaritarum ſolutarum nunquam ita ſolidum corpus, graveque effici, ut ante fuit poteſt. Perſpectus mihi alius modus qui prorſus naturam imitatur, deinde etiam modus quo pacto augeri poſſint Margaritæ, ſed hæc tanquã arcana in alium locum reſervo.

Cap. XLII.

De Sapphiro.

SApphirus apud omnes fere gentes hoc nomen obtinet. Indis tamen *Nilaa* vocatur, & à loco ubi naſcitur *Podia*. Quam gemmam *a* Plinius Sapphirum vocat, Cyanus eſt, ſeu lapis Lazuli. Gemma hæc cæruleo colore, pellucida, & diaphana eſt, ac florum myoſotidis, aut ſcorpioidis colorem refert. In ea nulla rubedo ſubeſſe videtur quæ in Amethyſto facile obſervatur. Sapphiri aliquæ albidę, aliquæ colore cæruleo ſaturo ſunt: hæ mares, illæ fæmellæ appellantur. Si omni colore careant, albæ Sapphiri vocantur, ac Adamantibus admodũ ſimiles ſunt, eorumque vices ad ornatum ſupplent. Sapphiri aliæ orientales, aliæ occidentales, quæ orientalibus ſunt viliores. Inveniuntur in Calecut, Cananor, regno Biſnagar, Zeilan, & pręſtantiſſimæ in regno Pegu. Occidentales variis in locis reperiuntur. Confinia Bohemiæ & Sileſiæ ſatis præſtantes ferunt, in quibus locis aliud quoddam genus reperitur, mollius, perſpicuum quidem, ſed lacteo, al-

a *Lib. 37. cap. 9.*

Ubi inveniatur.

bove colore, cui aliquid cærulei immixtum videtur. has Lucoſapphiros vocant. Vitiis Sapphirus multis obnoxia eſt, dura tamen, ut limam reſpuat, & ſatis incommode cælari poſſit. *b* Color ipſius igne facile aufertur, ut in Adamantem vertatur, non verum quidem, ſed tamen ita elegantem, ut auro incluſa, niſi à perito gemmario dignoſci non poſſit.

Lucoſapphirus.

b *Quem modum docet Alexius Pedemontanus lib.6.de ſecretis ex Baſilienſi editione in 8. fol. 246.*

Cap. XLIII.

Proprietates, qualitates, & facultates Sapphiri.

QUalitate frigida & ſicca prædita eſt Sapphirus, ut cæteræ fere omnes gemmæ. His facultatibus in pulverem levem redacta, oculorum humiditates exſiccare, inflammationem arcere, & extinguere, collyriis adhibita, aut butyro loto excepta, palpebriſque oblinitis ſuperioribus, poteſt. Valet etiam pulvis ad omnia alvi profluvia, ad dyſenteriam, fluxum hepaticum, hæmorrhoidum, ſanguiniſque reiectiones, ſi intus ſumatur cum aqua plantaginis, tormentillæ, aut alia his affectibus propria. Integra Sapphirus fronti adhibita hæmorrhagiã ſiſtit, ac inflammationibus applicata, eas extinguit. In orbiculum redacta piſi magnitudine, ac perpolita, oculis impoſita, pulveres, culices, & quicquid in oculum cecidit aufert, inflammationem ſedat, veteraque oculorum vitia omnia aufert, & oculos à variolis & morbillis tutatur. Verum quotidie ſæpius imponi debet. Si ſæpius quis Sapphirum contueatur, oculos ab omni iniu-

Ad oculi vitia.

iniuria defendet, ac ita tutabitur, ut nihil illis adverſi contingere poſſit.

Pulvis etiam exhibitus cum lacte, ulcera interna, ac vulnera ſanare perhibetur. Ad cordis corroborationem præſtantiſſimus eſt, proinde corpus vegetum, membraque principalia integra conſervat. Peſti etiam, omnique veneno, febribuſque malignis omnino adverſatur. Cor lætificat, cardiacos ac melancholicos affectus quoſvis lenit, tollitque. Ob hanc cauſam adhibetur antidoto de gemmis. Chymici in ſalem Sapphirū redigunt, quem putant longe maiores vires habere. Sapphirum enim duplo pondere ſulphuris commixtam, in calcem adurunt, quem deinde aqua ſtillatitia ſæpius abluunt, rurſuſque exiccant, poſtea ſpiritu vini perfundunt, ac macerant, tum rurſus extillant, quodque in fundo remanet, iterum calcinant, diſtillantque toties, donec in vino eliqueſcat, nivis inſtar. tandem in coquendo ſal provenit quod in loco humido in liquorem & magiſterium ſolvitur. Alii tincturam Sapphiri, & eſſentiam extrahunt, quam putant ad prædictos affectus, præcipue autem ad venena, & peſtem, cordiſque roborationem eſſe præſtantiſſimam. Calcinatur Sapphirus bis, ac poſtea oleo vitrioli ſolvitur. Deinde ſpiritu vini eſſentia extrahitur, ut Chymicis peritis notum eſt.

Ad cordis affectus.

Sal Sapphiri.

Tinctura, & eſſētia Sapphiri.

a Sapphir⁹ geſtata ab homine impuro, & intēperāte, rebuſq; Venereis dedito, ſordeſcit, ac nitorē amittit, ut alię fere omnes gemmę, quę amiſſa pulchritudine adulterū & fornicatorē facile produnt. Dicitur tamen Veneris tentigines geſtata prohibere, ac ſcabiem minuere, carbunculorumq; etiā peſtiferorum ortum arcere; imo natos iā anthraces appoſita extinguere, & ne peſtiferū halitum ad cor mittant, ipſiuſque ſpiritus inficiant, impedire. Tota enim

Sapphirus quando ſordeſcat.

Ad venerem amuletū.

Ad venena.

natura putatur venenis reſiſtere, & cor mirifice recreare. idque adeo vehementer, ut ſi vitro parvo includatur aranea, vitrique ori ſupraponatur Sapphirus, illa brevi intereat. verum id à me hactenus expertum non eſt. Inflammationibus, tumoribus, & inflationibus adhibita, eas, ſi modo in principio adhibeatur, reprimit. Contuſionibus etiam ſtatim adhibita, ne inflammentur miraculi inſtar impedit. Verũ contuſa pars paulo fortius Sapphiro premenda eſt.

Ad contuſiones.

Ad febres.

Si circa cordis arterias pendeat, febrium ardorem non parum mitigat, ac hominem continentem efficere dicitur. ſacerdotibus, & eccleſiaſticis perſonis qui caſtitatem voverunt ob id ad geſtandum utiliſſima cenſetur. S. Hieronymus in explicatione capitis 19. Prophetæ Eſaiæ, portatum Sapphirum gratiam apud homines & principes conciliare, inimicos placare, incantamenta prohibere, carcere detentos liberare, ac irã Dei mitigare, affirmat. Verum exiſtimare, gemmam ac creaturam in creatoris ſui, ſummæque maieſtatis mentem, & voluntatem quicquam agere poſſe, nefas exiſtimo; Non flectitur enim lapillis, aut coloribus Deus, ſed piorum precibus, quibus ſua liberalitate & bonitate, ſi ardentes fuerint, ſe flecti velle promiſit. Virtutes etiam aliæ, ac hominum favor, divino tantum auxilio, hominiſque induſtria comparantur.

Ad cordis affectus, & lætitiam.

Fioravantus Italus nobilis empiricus Sapphirum ad lætitiam ſummopere commendat, ac præterea cordis affectus omnes miraculoſe ſanare aſſerit. Iubet autem Sapphirum in tenuiſſimum pollinem redigi, quem poſtea aceto forti, & ſucco limonum ſolvit, ac ſolutionis ad prædictos affectus præbet cum eſſentia vini drachmam unam, adiecto ſcrupulo olei, vel tincturæ extractæ ex melle, ac exigua

quan-

quantitate ſyrupi violacei. Mihi ſequens modus magis probatur. Accipe aceti terebinthinæ uncias quatuor: in iis extingue quatuor aut plures ducatos vigeſies; quo ſæpius eo melius. deinde in eo aceto ſolve Sapphiri pulverem. huic ſolutioni adde ſpiritus è meliſſa cum q. eſſentia vini extracti uncias duas , ac ſyrupi violacei ſcrupulum unum, aquæ q; theriacalis drachmam unam , ac croci ſcrupulum ſemis, omnibus commiſtis, ac per menſem digeſtis. præbe ſcrupulum unum non, dubito, quin effectum nobiliſſimi medicamenti ſis admiraturus.

Oleũ Sapphiri multi ad prædicta commendant. Sed plerunque ægros decipiunt chymici impoſtores. Novi enim quendam,qui cum magni à Magnatibus fieret hic in Bohemia,multis cariſſimo pretio pro Sapphiri oleo obtruderat chamomillæ oleũ id enim ſi certo modo diſtilletur oleũ præbet Sapphiro omni colore pulchrius. ſed neque hoc ſincerum chamomillæ oleũ eſt, ſed alterius rei. floribus chamomillæ adiungunt oleum album,ſeu ſpiritum terebinthinæ, ac ſatis magnam portionem ſalis armoniaci factitii. hanc mixturam veſicæ æneæ indunt, huicque aquam communem addunt deinde extillant aquam & oleum, prorſus vulgari & communi modo. Aqua extillata, oleum in ſuperficie ſua Sapphiro colore ſimile continet; id oleum terebinthinæ eſt oleo chamomelino iunctũ (nam herba ipſa,aut flores herbæ aliquid olei præbent) ſed color à ſale armoniaco eſt, qui ex ære exugens colorem eum oleo indidit. Ætate ſi diu ſervetur oleum , color is perit , ac poſtea manifeſte odor ipſius terebinthinæ deprehenditur. Quia multi hac ratione decipiuntur,& aliqui chymici tam imperiti ſunt,ut putent colorem à chamomelo proficiſci,

Oleum Sapphiri.

ciſci, placuit hic impoſturam, & fucum, vel errorem Chymicorum detegere. Qui non credit ſalem armoniacum cæruleum colorem efficere, vaſi æneo imponat adiecta calcis vivæ aqua, ac deprehendet ſe paucis diebus ultramarino ſimilem colorem habere. Solent agyrtæ aquam Sapphiream, ut vocant, ad oculorum omnia vitia præſtantiſſimam ex dictis ſimplicibus conficere. Primum calcem vivam extinguunt vulgari aqua, quam, ubi reſederit calx, decapulando puram colligunt, ac in ea parum ſalis armoniaci ſolvunt. Id ubi ſolutum exacte fuerit in prædicta calcis aqua; eam in æneam pelvim coniiciunt. quę ubi per noctem in pelvi ſteterit, Sapphiri colorem conquirit, ac in vitro ſepoſita, diaphana eſt, & ad omnia fere oculorum vitia, imo ad ulcera quævis mundanda utiliſſima. Cancrum, ambuſtionem, aliaque multa vitia etiam hæc aqua ſanare perhibetur. Oculis aliquot guttæ tantum imponuntur, quia ſi multum ſalis habeat, aut multum ex ære, mordicat. Si parum habuerit, plus imponi oculis poteſt. Si multum æris habeat, etiam pelles oculorum aufert. Si nimis acris fuerit, aqua roſarum, vel fœniculi dilui poteſt.

Aqua Sapphirea ad oculorum vitia, & ulcera.

a *Rationem, cur qui adulterio ſe contaminant, thorumque legitimum ac genialem commaculant, tum qui vago ſordidoque concubitu ſe polluunt, nunquam ſpecioſas nitidaſque gemmas circumferant, VVolfangus Gabelchoverus in Comm. cap. 7. Andreæ Baccii de gemmis, hanc tradit: contrahunt enim aliquid vitii ex putidis corporibus, quæ virus exhalant, illaſque venenato halitu inficiunt, ut mulieres menſtruo inquinatæ ſpeculi nitorem obfuſcant.*

Cap.

CAP. XLIV.

Dignitas, & valor Sapphiri.

MAximã olim Sapphirum habuiſſe & gratiam apud Deos, & auctoritatem apud Pontifices, Sacerdotes ac Principes, perhibet antiquitas. Cum enim ſacra fierent Phœbo, aut ab eo reſponſa peterentur, creditum fuit, illi magis placere, & ab eo facilius aliquid obtineri poſſe, ſi Sapphirus tanquã concordiæ ſignaculum adhiberetur. Scribit Epiphanius, viſionẽ quæ Moyſi apparuit in monte, & legem datam, in Sapphiro fuiſſe expreſſam. Hac ætate Sapphirus poſt Adamantẽ, Rubinum, ac Unionem quartum locum obtinet. Ego tamen Opalum legitimam huic omnino præferri debere exiſtimo, ut in ipſius capite paulo fuſius oſtendam. Propter pulchritudinẽ Sapphirus à multis expetitur. ſereni enim cœli, & lucidiſſimi habet colorem, ac oculos ſua venuſtate mirum in modum recreat.

Sapphiri pretium à colore, puritate, ac magnitudine ſumitur. Si nihil vitii habeat, & colore ſit pleno, aut ſaturo qui diaphanitatẽ non impediat, magnitudo index pretii eſſe ſolet. Iuſtius tamen pretium pondere conſtituitur. quod hic ſequi volo, ac ceratiorum pondere pretia ſtatuere. Unum itaque ceratiũ abſoluta Sapphirus pendens, 2. thaleros valet. Ut autem habeas aliorum valorem, duc ceratiorum numerum in ſe, & quotientem in dimidium pretii Sapphiri unum ceratium pendentis, & quotiens oſtendet quęſitum. ita 10. ceratia pendens valebit 100. thaleros. Viginti pendens 400. Centum vero ceratia pendens 10000. Et ſic de cæteris. Occidentales viliores ſunt.

CAP. XLV.

Adulterium Sapphiri.

SOlet Sapphirus vitro cæruleo inter duos Bohemicos Adamantes glutinato, egregie adulterari. Alii ex vitro maſſam cæruleam in igne conflant, eamque expoliri iubent, indurant & imperitis pro Sapphiro venditant. Solet id artificium variis modis perfici. Plerunque in maſſam vitream ex Cryſtallo aut Silicibus paratam, momentum zaphuræ iniicitur, videlicet drachmæ duæ ad libram unã, ac movetur maſſa igne candens quam optime, ferreo unco. Deinde exempta particula exploratur, num plus zaphuræ aut maſſæ addendum ſit. Si iuſta menſura apparuerit, per ſex horas effervеſcere ſinitur. Poſtea eximitur, ac Sapphirum referens maſſa, perito ſculptori ſculpenda, ac expolienda traditur. Si rite maſſa facta fuerit vix à vera Sapphiro diſtingui Pſeudoſapphirus poterit. Quæ fictitiæ ſunt, plerunque bullulas, ſeu atomos in corpore habent, qui propter ignem non æqualiter in maſſam agentem proveniunt.

CAP. XLVI.

De Opalo.

OPalus gemma eſt omnium pulcherrima, meoque iudicio omnibus aliis præferenda, non ſolum propter ſummam ipſius elegantiam, dum omnis generis colores, lucis reflexione, in eadem parte oſtentat, (Ineſt enim illi Carbunculi tenuior ignis, Amethyſti fulgens purpura, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia,) verum etiam, quia ut aliæ gemmæ adulterari nulla

Varii colores in Opalo apparentes.

nulla ratione poteſt. Si ſubieceris enim Cryſtallo varios colores, illi in eodem loco hærebunt, neque diverſos pro radiorum reflexione edent. Apparet in Opalo, cæruleus, purpureus, viridis, flavus, & ruber, interdum niger, & albus, id eſt, lacteus. Non videntur hi colores omnes ineſſe gemmæ: quia ſi frangatur Opalus pereunt, ita ut tantum ex reflexione unius aut duorum colorum oriri (ut in iride apparet, & in triangulo Cryſtallino, in quo ex ſola lucis reflexione in angulos varii colores ſeſe efferunt) putandum ſit.

Olim Pæderos hæc gēma vocata eſt, à puero, & amore, quod pueri pulcherrimi & innocentiſſimi inſtar omni amore digna ſit. Ab hoc nomine forte deductum eſt nomen illud Germanicum, quo appellatur *ein Webſe*, id eſt, pupillus, quod nomen pueris tantum convenit. Peritiores tamen gemmarii in quavis lingua Europæa Opali nomē retinent. Nam illi Opali, qui in verorum Opalorum matre abſque colore naſcuntur, illo nomine ſolent tantum appellari. Itali *Giraſole*, vel *Scambia*, ſi dum verſantur, in oppoſita parte lux perpetuo appareat, vocant. *Paderos.* *Giraſole.* *Scambia.*

Naſcuntur in lapide molli (qui Gummi Benjoini colores non abſurde refert,) venis nigris, flavis, vel fuſcis diſtincto, corpus lapidis albeſcit, flaveſcit, nigreſcit, & interdum iiſdem coloribus perſpicuum eſt.

Cap. XLVII.

Genera, & loci natales Opali.

AB uno lapide Opalifero, interdum omnia Opali genera haberi poſſunt. Genera quatuor ſunt. Primum genus eſt diaphanum abſque opaco

aliquo

aliquo corpore intrinſeco; ac rubro, viridi, cęruleo; purpureo, flavoque colore iridem imitatur. id pręſtantiſſimum eſt. *Niger Opalus.* Alterum nigrum eſt, ac ex nigredine ignem, ac Carbunculi fulgorem emittit. quod omnino vivum anthracem, ſeu carbonem refert, viſu quam iucundiſſimum, rariſſimum, & pretioſiſſimum. huiuſmodi generis Opalum piſi maioris magnitudine vidi apud amicum meum, qui & exiguo Opalo iſtius generis me donavit. *Variis coloribus Opalus.* Tertium genus varios colores habet, ſed ita in flaveſcenti vel flavo corpore, ut quieti videantur, & non exacte, ut primi generis, reflexione radiorum oculos paſcant. Hi fere omnes ex Hungaria adferuntur, ſatiſque elegantes ſunt, quia Unionum colorem, aliarumque gemmarum omnium imitantur. Ad hoc genus referri poteſt qui lacteo colore opacus eſt, quique ex matre Opalorum concinnatus ab Italis *occhio del gatto*, id eſt, Oculus Cati dicitur *Oculus Cati.* Is à nonnullis Pſeudopalus appellatur. *Pſeudopalus.* Quartum genus Pſeudopali nomine inſignitum diaphanum eſt, oculis piſcium ſimile, parumque cærulei lactis inſtar, aut etiam flavi coloris, in ſe habet, ac luci oppoſitum, ſi vertatur in extremo cardine, lucere propter lucis reflexionem videtur. Id proprie *ein VVehſe* à Germanis, & ab Italis *Giraſole* vocatur. *Giraſole.* Nonnullis *Aſtroites*, vel *Aſteria* dicitur, *Aſtroites.* quia intus includit lucem ſtellæ inſtar deambulantem; quanquam alii duriorem Pſeudopalo gemmam, prorſuſque candicantem Aſteriam eſſe velint, eamque Solis Oculum vocari, & proprie *Giraſole* vocari. *Oculus Solis.* Oculus etiam Cati à gemmariis ad Opali genera non refertur; *Oculus Cati.* ſed peculiaris gemma putatur. De qua paulo poſt agam. licet commode inter Pſeudopali genera numerari poſſet: ſimiles enim ex matre Opalorum licet molliores eruuntur. Opali primi & ſecundi generis raro magni inve-

inveniuntur. Nonius ſenator Romanus primi generis avellanæ magnitudine 20000. aureorum æſtimatũ habuiſſe dicitur. Tertii & quarti generis ſatis magni reperiuntur. Vidi enim quendam variis coloribus perſpicuum, & lacteſcentem, nucis iuglandis minoris quantitate, qui 200. thaleris æſtimatus fuit. *Nonii Opalus.* *Quãtitas Opali.*

Omnia Opali genera in India reperiuntur, viliores in Cypro, Ægypto, Arabia, Galatia, Thaſo, & Hungaria. In Hungaricis Opaliferis lapidibus interdum, ſed raro, primum genus invenitur. Secundum genus rariſſime. Tertiũ & quartum frequens eſt. Verum fodina una tantum eſſe dicitur, quam nunc ruinis obrutam deſeri fama eſt. *Vbi naſcantur Opali.*

CAP. XLVIII.

Facultates, proprietates, & virtutes Opali.

ARbitrantur auctores, omnium aliarum gemmarum vires habere Opalum, quod omnium colores exhibeat. Ineſt enim illi Carbunculi (ut inquit Plinius) tenuior ignis, Amethyſti fulgens purpura, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia. Cordis itaque ſpiritus recreat, illud adverſus venena, aëriſque contagia, melancholiam, triſtitiam, ſyncopen, cardiacam, alioſque pravos affectus tuetur. Peculiare hoc Opalo aſſcribitur, quod geſtatus oculorum aciem, & nitorem conſervet. Mollis eſt adeo hæc gemma, ut dum expolitur, ſtannum, vel plumbum non ferat, ſed tantum terra Tripolitana ligneo orbi impoſita poliri poſſit. Qui exactius vires huius gemmæ ſcire cupit: Rubini, Smaragdi, Amethyſti, ac Iaſpidis facultates exquirat in propriis capitibus, votiq; compos fiet. Nam putant gemmarii, dictarum gemmarum omnium vires in Opalo concurrere. *Omnium gemmarum vires habẽt Opali.*

Cap. XLIX.

Dignitas, & valor Opali.

OLim apud Romanos in magna exiſtimatione & pretio fuit Opalus. Conſtat enim hiſtoriis, Nonium Rom. Senatorem maluiſſe patria & ſenatoria facultate privari, quam petenti Antonio Opalum quem habebat 20000. ſeſtertiis æſtimatum, tradere. Mirum nunc illius pretium decreviſſe, cum Margaritas, & omnes alios lapides elegantia, puritate, nitore, & colore ſuperet, neque adeo copioſe reperiatur, præſertim primum genus. Primi, & ſecundi generis Opalos, qui vitio carent, ac rubro, cæruleo, flavo, viridi, purpureoque colore rutilant, Unionum pretio omnino æſtimandas iudico. Propterea Lectorem ad Unionum pretia remitto, & unius ceratii Opalum tribus thaleris æſtimo. Secundi generis ſi lacteſcentes varios colores habeant, Sapphirorum pretio æſtimandos iudico: alias ſi proxime ad primi generis Opalos accedant, duplo, vel triplo, prout ſunt elegantes, Sapphirorū pretia excedere poſſunt. Nam hic nihil certi ſtatui poteſt, cum periti gemmarii oculus, gemmæ decorem, illiuſque vitia perpendere debeat. Quarti generis viles ſunt, nullaque regula æſtimari poſſunt, cum raro, etiamſi unguis humani magnitudinem æquent, ducati pretium ſuperent.

Cap. L.

Adulterium Opali.

ADulterari duplici vitro, vel colore, ut aliæ gemmæ, Opalus non poteſt. Scribit tamen *a* à Porta, calcem ſtanni in vitrum Cryſtallinum excandens

dens iniectum illud obnubilare, & colorare Opali inſtar. Sed oportet ſæpius ex igne eximere, & accommodare, donec quis voti compos fiat. Quercetanus à ſpiritu nitri alembicũ vitreum intrinſecus ita tingi variis coloribus aſſerit, ut Opalus videatur. Qui modum tingendi ſcire cupit, legat libellum *b* quem edidit de priſcorum Philoſophorum vera medicina.

a *Libro* VI. *Magiæ Naturalis cap.* 7.
b *Cap.* 4. *fol.*26. *in* 8. *Aureliæ Allobrogum.*

Cap. LI.

De Smaragdo.

INter virentes gemmas nulla prçſtantior, elegantior, & iucundior Smaragdo. grato enim ſuo virore oculorum aciem ita demulcet, animumque ita recreat, ut herbarum omnium, viridariorumque amœnitatem longe ſuperet. Pellucida eſt hçc gemma, & diaphana. In colore ipſius nihil neque cærulei ut in Turcoide, neque flavedinis, ut in veterum Topaſio, quem nunc Chryſolithum appellant, animadvertitur.

Cap. LII.

Nomina, & genera Smaragdi.

A Nonnulis Praſinus vocatur, itẽ Neronianus, aut Domitianus, teſte Epiphanio. Neronem enim ſive Domitianum aiunt oleum in multa vaſa infudiſſe, & intervallo temporis oleum viridem colorem contraxiſſe, hocque oleo petram copioſius rigatam floridioris coloris evaſiſſe. Alii dicunt, Neronem quendam antiquum artificem, & gemma- *Praſinus. Neronianus. Domitianus.*

rum ſculptorem, Smaragdi præcipuum uſum inveniſſe, & gemmam iſtam ab illo Neronianam dictam, alii vero Domitianam appellari malunt. Hactenus Epiphanius. Perſis & Indis vocatur *Pachee*, Arabibus *Zamarrut*, unde Smaragdi nomen deductum eſt. Serapio & Pandectarius *Tabarget* vocant, ſed vitioſe.

Genera Smaragdi duodecim
a *Lib.* 37. *cap.* 5.

Smaragdi genera *a* à Plinio duodecim recenſentur: qui Scythicis ſummam tribuit auctoritatem, quod nulli auſteritas, & durities maior, nec minus vitii ſit, ac quantum Smaragdi à cæteris gemmis diſtent, tantum Scythici à cæteris Smaragdis. Secundum locum apud ipſum obtinent Bactriani, in commiſſuris ſaxorum nati. Tertium Ægyptii, quorum gratia non in colore liquido, nec diluto, verũ ex humido pingui. Reliqua genera in ærariis metallicis inveniuntur, qui duritie, colore, ac perſpicuitate à primo genere diſtinguuntur. Hi à locis ubi olim reperiebantur nomen habebant. Æthiopici acriter quidem virides ſunt, ſed non puri, aut concolores. Perſici non tranſlucidi, viſum nihilominus recreant, in umbris refulgent, longius quam cæteri nitent, ac in Sole hebetantur. Medici plurimum viriditatis habent, qui interdum rerum diverſarum imagines complectuntur. Attici in argentariis metallis reperti è longinquo ſpecioſiores, minus pingues ſunt, iiſque ſenecta evaneſcit viriditas, ac Sole læduntur. Carchedonii fragiles, colore incerti, ac virentium in caudis pavonum ſimiles ſunt plumis. Recenſentur & Laconici, Medicis ſimiles, & Siculi. Item Chalcoſmaragdus gemma è Cypro turbida æreis venis, & Tanos in Perſia reperta ſordida, ac ingrate viridis. Smaragdus quem *Colam* vocant in Arabia, ædificiorum ornamentis occludebatur. Hæc Plinii

Sma-

Smaragdorum genera hoc ſeculo vix diſcerni poſſunt.

Hodie Smaragdi in duo genera tantum diſtinguuntur. Alii enim ſunt Orientales, alii Occidentales. Orientales duriſſimi, virentique iucunditate amœniſſima prata repræſentant, ſolique præ aliis omnibus oculos ubertim explent, & ſatiant, eorumque aciem iugi intuitu hebetatam reficiunt, ut vel ob hanc cauſam à ſculptoribus libenter tractentur. *Orientales.*

Hi quia neque Soli, neque umbris, ſeu lucernis cedunt, ſed potius virenti fulgore contranituntur, & irradiant, ut ſe ſuperari non poſſe oſtentent: deinde etiam quia prorſus tranſlucidi, ac in magno pretio ſunt, ad primum genus referri debent. *b* Omnes ex India Orientali ad nos adferuntur, verum in quibus locis reperiantur, incertum adhuc, quia fragmenta in loco natali propter illorum pretium nulla à negotiatoribus relinquuntur. Putant multi, Iaſpidi, vel Praſſio innaſci Smaragdos, ut Rubinus Balaſſio. Vidi lapidibus metallicis angulares ita innaſci, ut politi, ac impoſiti, arte, non natura, viderentur. Si huius generis Smaragdi maculis, nubeculis, opacitati, aliiſque vitiis obnoxiæ fuerint, multum illorum dignitati decedit. Bonitas cognoſcitur ſi in ore detentus frigidus appareat, ac in Sole viriditatem ſervet. *Incertum ubi naſcatur Smaragdus.*

Occidentales in duo genera diſtingui poſſunt. In Europæos, & Peruvianos. Peruviani etiamſi iucundiſſimum habeant virorem, tamen quia abſque radiis mortui videntur, ac plerunque hinc inde nubeculis viridibus pleni ſunt, nec ut Orientales tranſlucent, & irradiant: deinde quia copioſe, ſatiſque magni, neque ita duri ut Orientales reperiuntur, *Occidentales duplices.*

exiguam nunc auctoritatem obtinent. Alii ex vicinis regionibus adferuntur prædictis paulo duriores: verum qui interdum nigricant, ac noctu pulchriores apparent, non plane virides, ſed Praſio ſimiliores, è cuius fruſtis eruuntur. Europæi qui in Cypro, Britannia, aliiſque in locis reperiuntur, prædictis omnibus ignobiliores, niſi duritiem, & elegantiam habeant, ſunt. Orientales illi præſtantiſſimi, raro nucis avellanæ maioris quantitatem excedere viſi ſunt. Occidentales tam magni reperiuntur, ut palmæ manus magnitudinem ſuperent. Europæi raro magni reperiuntur.

Magnitudo.

b *Hæc verba auctor deſumpſit ex Garciæ ab Horto lib. 1. cap. 48. Aromatum & Simplicium hiſtoria, quam opinionem videtur ſequi. Verum alia certior, & vera ratio hæc eſt, quod Smaragdi in Scythis, Bactris, Ægypto, regionibus procul diſſitis ab India, in qua Garcias degebat, reperiantur. Qui plura ad Smaragdum pertinentia ſcire deſideret, conſulat Raphaelem Volateranum Comm. Vrbanor. lib. 27. de gemmis. Item Conradum Geſnerum libro de Foſſilibus &c. impreſſ. Tiguri Anno 1565. in 8. fol. 112. verſo. & VVolfangum Gabelchoverum in Andreæ Baccii de Lapidibus & Gemmis cap.* v. *qui ibi plura ad medicinam pertinentia tradit.*

Cap. LIII.

Vires, facultates, & proprietates Smaragdi.

SMaragdus ut omnes gemmæ, frigidæ & ſiccæ eſt temperaturæ, ob id omnem alvi ſanguiniſque fluxum, & præcipue dyſenteriam ebibitus ſiſtit, teſte Avenzoare, nec refert an à mordaci humore, an

à vene-

à veneno ortum habuerit. Propinantur ad venena, dyſenteriam, alvique fluxum, ſex grana in pollinem redacta cum aqua aliqua cordiali, ut tormentillæ, acetoſæ, nympheæ, vel boraginis. Quibus hauſtis extemplo æger, ſi venenum ſumpſerat, cordis anxietates, animiquę defectus patitur: quos ſi exceperit ſudor & ſomnus, liberatur 10. horarum ſpatio. Eadem doſi ſumptus, venenatis morſibus, animaliumque puncturis, *a* peſti, febribuſque peſtilentibus medetur. *Ad venena, fluxus alvi.* *Ad morſus animalium.*

Inter amuleta præcipue commendatur Smaragdus. Nam ſi è puerorum collis pendeat, eos ab Epilepticis paroxyſmis tutari creditur; digitis etiam geſtatus comitialem morbum impedire omnes authores aſſerunt, eamque habere facultatem, ut ſi morbus ita vehemens ſit, ut ſuperari à gemma non poſſit, eam in partes diffringi, itaque vel tollere morbum, vel frangi quaſi pugnando à potentiori devictam. Coxæ mulieris alligatus Smaragdus partum accelerare, ventri appoſitus retinere, ori inditus hæmorrhagiam ſiſtere perhibetur. Ventri adhibitus indubitato dyſenterias omnes, teſte Antonio Guainerio, miraculi inſtar aufert, ac hæmorrhoidum fluxum nimium compeſcit. E collo pendulus inanes timores ac dæmones arcere, fugareque creditur, ac hemitritæam febrem tollere. Memoriam etiam firmare, ac viſum reficere, & recreare à multis creditur. Communi etiam hominum opinione caſtitatis cuſtos, ac adulterii proditor exiſtimatur, quod venereos actus illegitimos non ferat, ac ſi peragantur in partes diſſiliat. Verum id naturæ (quæ actum legitimum ab illegitimo non diſcernit) adverſari omnino videtur. Agricola, ſi pendulus cutem tangat illius, qui actum venereum exercet, diſrumpi exiſtimat. Id ſi in quovis actu, legiti- *Ad epilepſiam.* *Partum accelerat, & retinet.* *Hæmorrhagiam ſiſtit.* *Dyſenteriam miraculoſe ſiſtit.* *Dæmones, & timores fugat.* *Caſtitatē prodit.*

gitimo vel illegitimo contingit, neceſſe eſt vel motum, vel halitum ſeminalem in Smaragdum agere, niſi metaphyſica facultas ipſi inſideat aliqua, quæ nulla ratione inveſtigari poſſit. Huiuſmodi facultate dæmones arcere, hominem ad ſecreta invenienda habilem reddere, futurorum cognitionem dare, eloquentem efficere, ac opes augere, credere licet Chriſtiano, qui Dei in rebus naturalibus metaphyſicas vires, potius admirari, quam intelligere interdum debet.

Tinctura Smaragdi. *b* Ex Smaragdis tinctura ad ſuperius narratos affectus & morbos utiliſſima ſpagyrico artificio elicitur hoc modo. In ferreo vaſe pulveriſatur, ac per linteum traiicitur. huic ſuperfunditur ſpiritus urinæ, qui aliquid phlegmatis adiunctum habet, ut colorem extrahat; ſpirituſque iterum diſtillatione aufertur, ut in fundo remaneat Smaragdi extractum griſeum, è quo tandem ſpiritu vini color Smaragdi extrahitur. Variis caſibus obnoxius eſt Smaragdus. *Debilitas Smaragdi.* Facile enim à contactu duriorum gemmarum, ab æſtu, igne, chalybe, ære, ab ictibus, & attritu læditur. Id etiam Smaragdo aſcribitur, quod ſpeculi inſtar rerum circumſtantium ideas in ſe recipiat, ac intuentium oculis exhibeat. Neque hoc ignoravit Nero, qui gladiatorum certamina Smaragdo conſpexit. Exiſtimo omne diaphanum, ſi altera ipſius ſuperficies, nigredine, vel materia aliqua exacte lævigata, ut viſus radios non recipiat, neque proprius color agnoſcatur, idem efficere. Id probant puteorum aquæ, ligna, metalla lævigata, aliaque infinita, quæ omnia circumſtantes ſpecies referunt. Dum enim radios viſivos non recipiunt, ad ſpecies oppoſitas illi reflectuntur.

a Hoc

a *Hoc unicum addendum exiſtimo, nullum præſtantius inveniri remedium in pulſu intercepto, viribuſque ſtatim reficiendis, Smaragdi pulvere, teſte Helidæo Padoano in curationibus, conſiliis, & proceſſibus, fol. 98. & 229. in quarto. cuius hæc ſunt verba. ℞ pulveris Smaragdi ſcrupulum ſemiſſ. detur in cochleari vini, & Syrupo de pomis. talis enim pulvis in materiis malignis, & pulſu intercepto, eſt præſtantiſſimus, & ſtatim vires reficit. Huc pertinet etiam illud, quod Ioannes Crato de peſtilentis febris curatione cap. 4. ſcribit, nempe. Omnes prope Medici poſt theriacam, & mythridatium, Smaragdum laudant. datur ad grana 6. cum mythridatio. Deinde Hyacinthus ita deſcribitur, quod non ſolum intra corpus ſumptus, ſed etiam foris geſtatus peſti reſiſtat, &c. Ferunt etiam, in virginum defloratione egregias Smaragdos frangi.*

b *Theophraſtus Paracelſus tractat. 4. de præparationibus. Magiſterium ex Smaragdo confectum (teſte Henrico Nollio in Phyſic. Hermetic. lib. VIII. cap. VI. ſection. 3.) peculiariter ſuccurrit epilepſiæ, ſi per deſtillationem fuerit præparatum; ſanguiniſque expuitionem arcet.*

CAP. LIV.

Dignitas, & valor Smaragdi.

SMaragdi ſelectiſſimi ſemper in magna fuerunt dignitate, exiſtimatione, & pretio, adeo ut olim illis aliquid inſculpere vetitum fuerit. Fabuloſum etiam quippiam, quo maiorem haberent auctoritatem, traditum ab antiquis fuit. Nempe Scythicos, hoc eſt, præclariſſimos in metallis aureis naſci,

unde non ſine magno diſcrimine ac negotio poſſint conquiri: Gryphis alitibus ferociſſimis in iis nidificantibus, illoſque ab Arimaſpis populis monoculis, qui armati eo auri & Smaragdorum cupidi accedunt, tentantibus. A quinquaginta annis quo Peruviani ad nos allati ſunt, Orientales viliores facti ſunt. Narrat Aloiſius Mundella Brixienſis medicus, à Franciſco Maria Urbinatium Principe duorum ceratiorum pondere Orientalem Smaragdum 113. aureis emptum fuiſſe. ingens ſane pretium, quodque Adamantis eiuſdem ponderis dimidiatum æquat. Orientales perfectiſſimos, omnibuſque modis abſolutiſſimos, iuſte æſtimari quarta parte Adamantis eiuſdem ponderis puto. Si itaque 10. ceratia pendentis Smaragdi pretium ignoretur, in Adamantis tabula pretium 10. ceratiorum quæratur, cuius quarta pars oſtendit pretium. Statuitur ibi pretiũ 8590. cuius quadrans eſt 2147, pretium Smaragdi quæſiti. nec hic alia regula opus eſt. Linſchotanus, qui iter orientalis Indiæ deſcribit, longe maioris æſtimat, quam Adamantem. Nam Orientalem Smaragdum, qui aſſociari unius ceratii Adamante poteſt, 80. ducatis æſtimat, cum tamen Adamantem tantum 70. æſtimet. Meo tamen iudicio nimis magno æſtimat. Quarta pars pretii Adamantis dum illi magnitudine par eſt, mihi hoc tempore, quo tanta copia Smaragdorum occidentalium habetur, non ſolum ſufficere, ſed excedere videtur, præſertim cum gemmarii complures præferant Peruvianos Orientalibus quia gratiorem viriditatem habent. Iuſtius itaque duplum pretii Smaragdi occidentalis tantum habeat.

Pretium orientalis.

CAP.

CAP. LV.

Adulterium Smaragdii.

OMnibus fere modis Smaragdi adulterari poſſunt. Nobilior modus fit Cryſtallo, vitro, & Silicibus calcinatis, & fuſis, ſi iis exigua quantitas minii adiiciatur. Ita ego præſtantes feci. *a* Alii æs uſtum in tenuiſſimum pollinem redactum addunt; adiecta croci ferri dimidiato pondere: ac ſex horarum ſpatio coquunt, ac vas per ſe refrigerari ſinunt, gemmamq; polituræ committunt. Si exacte quis operatus fuerit, Americanis omnino ſimiles efficiet Smaragdos.

a *Garcias ab Horto lib. 1. Aromatum & Simplicium hiſtoria cap. 48. ſcribit, fictitios Smaragdos in Balaguate & Biſnager ex vitrearum lagenarum craſſioribus fragmentis confici (addendum exiſtimo cum Iacobo Dalechampio, ſi pars Iaſpidis viridis addatur) eximii coloris, & inſignis magnitudinis.*

CAP. LVI.

De Praſio, Smaragdite, & Chryſopraſio.

PRaſius, Praſſius, Italice *Praſma*, Germanice *ein Praeſem*. Mater Smaragdi à multis putatur, & non immerito, quod aliquando in eo reperiatur, etiamſi non ſemper. Nam quæ partes viridiores abſque flavedine, & perſpicuæ in Praſio reperiuntur, Smaragdi rite appellari poſſunt, ut illi quorum flavedo aurea eſt, Chryſopraſii. Color iſtius gemmę proxime ad porri, vel praſii colorem accedit, unde Praſii nomen obtinuit. Fit praſſii color è mixtura flavi, viridiſque coloris. Praſſius nubeculis perſpicuus

ſpicuus eſt, vel totum corpus opaca quadam diaphanitate impeditur. Huic interdum rubri, albi, vel atri quippiam inſidet, quia adnaſcitur Iaſpidi, Cryſtallo, aliiſque gemmis, à quibus varia corpuſcula, varioſque colores nanciſcitur. Differentiæ tres ratione coloris hic ſtatui poſſunt. Prima continentur, qui exacte viridis porri colorem æmulantur. Secunda qui multum flavedinis habent, ac filicis areſcentis fere colorem referunt. Hi ſi aurei ſint ſplendoris, Chryſopteri veterum ſunt. Tertia quæ exigua viriditate, maiorique flavedine lacteſcunt. Has tres ſpecies omnes apud me reſervo. Poſtremum genus, quod ſemiperſpicuum eſt, ad nephriticos lapides omnino referri debere exiſtimo, ut ſuo loco docebo.

Praſii non ſolum in India Orientali, & Occidentali, verum in Europa inveniuntur, præcipue in Bohemia, viciniſque regionibus.

Cap. LVII.

Dignitas, & valor Praſii.

Vilis eſt hæc gemma, quia in magna copia, tantaque mole interdum reperitur, ut inde ſtatuæ fieri poſſint. Ultra cælaturæ pretium vix unquam, niſi ſingularis elegantiæ ſit, æſtimatur. Tertium genus, quod rarius eſt, & ad nephritidem curandam ſingulare, maximo in pretio iis, qui ipſius facultatem norunt, eſt. Praſius quia vilis, non adulteratur.

CAP. LVIII.

Vires, facultates, & proprietates Praſii.

VIres habet Smaragdi, verũ minores. Hoc proprium illi aſcribitur, quod veneno præſente viriditatem amittat, quam non niſi lotus recuperat. *Ad venena.*

CAP. LIX.

De Chryſopraſo.

NOn dubium eſt, quin veteres omnes gemmas aureũ ſplendorẽ habentes, Chryſolithos appellarint. Hinc Praſii, Topaſii, Berylli aureis radiis fulgentes, Chryſopraſi, Chryſopatii, Chryſoberylli vocati fuerunt. Chryſopraſus itaque Praſius eſt, aureum ſplendorem porri viriditate immixtũ habens. Grata admodum eſt aſpectui gemma, ac iiſdem cum Praſio viribus, ipſo tamen nobilior, & amœnior aſpectu.

CAP. LX.

De Smaragdopraſio.

AMbigit hæc gemma inter Praſium, & Smaragdum, unde Germanice nomen obtinuit *Smaraldpraſem*. Graminis enim habet virorem, neq; flavedinis quid in eo deprehenditur, ſi conferatur cũ Praſio; ſi vero cum Smaragdo conferatur, flaveſcens quædam viriditas, magis in ipſo, quam in Smaragdo conſpicitur. Raro perſpicuus eſt, nonnunquam tamen; ut plurimum opacam habet diaphanitatem. Ego illũ pro Pſeudoſmaragdo habeo. fortaſſis Chlorites *a* Plinii eſt. In Bohemia, ac Occidẽtali India reperiũtur. Duo itaq; illius ſunt genera: *a Lib. 37. cap. 10.*

Bohe-

Bohemici, & Americani. illi plerunque opaci ſunt, iſti vitrioli inſtar; cuius colorem exacte referunt ſemitranſparentes. Indi hunc formant columnæ inſtar, ut maiorem æquet digitum longitudine, minoremque latitudine. Deinde alteram extremitatem reliquo corpori paulo craſſiorem faciunt, ut pertuſis labiis inſeri, ac pendulus prominere ornatus gratia poſſit. Hac enim ratione Principes ſe ab aliis diſtinguunt, ac viliores huiuſmodi ornatu indignos arbitrantur. Quidam affinis meus, mihi fruſtulum iſtius lapidis dono dedit, qui eundem magni faciebat, ac Nephriticum verum lapidem eſſe aſſerebat. cui opinioni non repugno, quod eius multa ſint genera, ac omnia colore plurimum inter ſe differentia, ut loco explicabo. Ut Bohemicum Smaragdopraſium, vel Pſeudoſmaragdũ appellavi, ita hunc optime Smaragditem appellari poſſe exiſtimo.

Ab Indis geſtatur.

Nephriticus lapis.

Smaragdites.

Cap. LXI.

Vis, facultas, dignitas, & valor Smaragdopraſii.

URinam brachio applicatus ciere, proinde arenulas pellere, calculi generationem prohibere, nephriticos, ac arthriticos dolores compeſcere, & è collo ſuſpenſus ne oriantur vetare, puerorum etiam terriculamenta impedire, omneſque Smaragdi vires, ſed imbecilliores habere, creditur. Paucis nota eſt hæc gemma, hinc fit nondum eſſe in pretio.

Ad calculum, & nephritides.

Cap.

CAP. LXII.

De Topaſio veterum, ac Chryſopatio, qui hodie Chryſolithus appellatur.

TOpaſius veterum, viridis fuit gemma, ac diaphana: ſi aureo quodam fulgore ſplendebat, Chryſopatius appellatur. Nunc utraque à Gemmariis Chryſolithi nomen obtinet. Topaſius, ſeu Chryſolithus vulgaris Smaragdo eſt colore dilutior, cui nonnihil flavedinis adiectum videtur. Huic dum viror aureus eſt, Chryſopatii nomen tribuitur, & mater Smaragdi putatur. *a* Plinius multa de Chryſopatiis, Chry- a *Lib.* 37.
ſolithis, & Chryſopraſis tradit, ſed omnes iſtas *c.*8. *&* 11.
gemmas ita confundit, ut nihil inde certi colligi poſſit. Chryſopatius non abſurde hodie à Gemmariis Chryſolithus appellari poteſt, quod revera aureus color per viridem in illo fulgeat. Qui ſi noctu igne admoto vehementer ſplendeat, *b* Chryſolampis Plinii eſt. A nonnullis *Chryſo-*
hæc gemma cum Chryſopraſio confunditur, quia *lampis.*
parum inter ſe differunt. Topaſius, teſte *c* Plinio, à Iuba Mauritaniæ rege qui eam in inſula Chiti Arabiæ, mariſque rubri, primum invenit, nomen accepit. Reperitur auctoritate Plinii in lapidicinis Alabaſtri, & prope Thebas Ægypti.

b *Chryſolampis eſt Chryſolithi genus. Chryſopaſion vocant Iſidorus, & Marbodæus: Chryſopagion Albertus Magnus: Chryſopſin quidam. Dicitur autem Chryſolampis* ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, καὶ λάμπω, *id eſt, ab auro, & ſplendeo. Ab hac gemma ſumptum eſt adagiũ,* ἐν νυκτὶ λαμπρὸς, ἐν φάει δὲ ἀνωφελὴς, *id eſt,*

eſt, In nocte lucens, luce vero inutilis. De præpoſteris qui ſapiunt ubi nihil eſt opus, cum opus eſt dormiunt. D. Eraſmus magis arbitratur competere in eum, qui inter indoctos videatur aliquid eſſe in litteris, inter eruditos nihil ſapiat: & poſſe inverti proverbium, Ἐν φάει λαμπρὸς, ἐν νυκτὶ δὲ ἀνωφελής. *Chryſolampis etiã fuit in tabula illa aurea inæſtimabili inter alias quoque gemmas longe pretioſiſſimas, quam nobilis illa matrona Hildegardis olim Theodorici Comitis Hollandiæ uxor D. Adelberto tutelari Egmondenſium præſidi dono dedit, qui nocturnis temporibus ita totum hinc inde illuſtravit ſacrarium, ut ad preces horarias noctu intempeſta lectas vice lychnorum perdiu haberetur.*

C *Hallucinari videtur Auctor. Aliam enim rationem, & mentem verborum Plinii, ſtatuendam crediderim, cum etymologiam nominis Topazii aliam faciat. Eius verba hæc ſunt libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 8. Iuba Topazon inſulam in rubro mari à continente ſtadiis 300. abeſſe tradit, nebuloſam, & ideo ſæpe quæſitam navigantibus, ex ea cauſa nomen accepiſſe. Topazin Troglodytarum lingua ſignificationem habere quærendi. Ex quibus verbis Plinii manifeſte conſtat, nomẽ non ſortitum à Iuba Mauritaniæ rege, ſed ab inſula ubi fuit inventa. Quod vero Plinius putet Topazin Troglodytarum lingua habere ſignificationem quærendi, hoc de ſuo Plinium addidiſſe teſtatur v. Cl. Claudius Salmaſius in Plinianis exercitationibus in Caii Iulii Solini polyhiſtore fol. 1084, cum* τοπάζειν *in ſignificatione quærendi mere Græcum ſit, nam coniectura aliquid colligere, & indagare ſignificat. Nec enim de Troglodytis ipſis accipiendum, qui inſulam incolebant. patria ſua illis quæſita non fuit, nec ignota, ſed à navigantibus vel Græcis, vel Aegyptiis nomen impo-*

impoſitum fuiſſe. Troglodytarum vero provinciæ nomen non ſumptum (ut quidam exiſtimant à Troglodytiæ amne Arſinoen præterfluente) ſed ἀπὸ τῆς τρώγλης, *hoc eſt à ſpecu, quod in ſpecubus, & cavernis degant. Quod idem nobiſcum ſentit idem V. Cl. Claudius Salmaſius libro iam citato fol. 1267. Cuius hæc ſunt verba. Et ſane* τρωγλίτας, *&* τρωγλοδύτας *eadem ratione appellare fecit, quod cavos, & ſpecus ſubirent. Ab eadem cauſa &* τρωγλίτης *genus paſſeris, qui &* τρωγλοδύτης *poteſt recte dici, quod cavis, & rimis turrium, ac murorum ſeſe inlatebret, & in his nidum congerat.*

CAP. LXIII.

Natura, vires, & facultates Topaſii veterum, ſeu Chryſolithi Gemmariorum, & Chryſopatii.

TOpaſius limam ſentit, ac in tantam molem interdum excreſcit, ut ſtatuæ inde fiant. Scribit enim Iuba, Arſinoę Ptolemæi Philadelphi uxori ſtatuam cubitorum quatuor fuiſſe, ex Topaſio in delubro ſacratam. Sanguinis eruptiones ſiſtere, *Ad ſanguinis profluvia, & phrenitidem.* vulnerique admotus extemplo fluentem compeſcere, bilem, iramque, ac phrenitidem mitigare, ſi pro amuleto geſtetur, perhibetur. Nocturnos etiam timores, & puerorum terriculamenta, ac lunaticos paroxiſmos arcere creditur. In menſa poſitus Chryſopaſius (quem à Chryſopraſo differre non puto) præſente veneno traditur colorem amittere, eoque ſemoto iterum recipere. Sed huiuſmodi vanas, & præter rationem omnem, de gemmarum viribus opiniones, experientia rerum omnium magiſtra refutat. Potus Chryſopatius comitialem curat perfecte, teſte *a* Cardano. *Ad comitia.*

a *Auctor hic mentem Cardani non recte percepiſſe videtur. Quum Cardanus lib.* VII. *de ſubtilitate Chryſopatium potum non Comitialem morbum (ut Auctor habet) perfecte curare, ſed melancholicis auxilio eſſe teſtetur. Cuius hæc ſunt verba: Expertus tamen ſum quindecim illius grana, auxilio præſenti melancholicis eſſe.*

Cap. LXIV.

Valor, dignitaſque Topaſii, ſeu Chryſolithi vulgaris.

NOn magnam habet auctoritatem hæc gemma, neque cælaturæ pretium excedit. Cauſa eſt quantitas, & magnitudo, quæ illam vilem efficit. Chryſopatii tamen ſi egregie aureis radiis ſplendeant paulo nobiliores ſunt.

Cap. LXV.

De veterum Chryſolitho, Chryſelectro, & Melichryſo, ſeu vulgari Topaſio.

HOc tempore gemmariorum Topaſii, gemmæ ſunt aurei coloris, & omni dubio procul, inter veterum Chryſolithos numerandi. Fortaſſis à Plinio Chryſelectri, aut Melichryſi appellantur. Nam Chryſolithi nomen tanquam genus omnibus gemmis, quæ aureum habent coloré, applicat. Color illius nullo alio colore intermixtus eſt, & aquam reubarbaro, vel croco tinctam refert. Duo ipſius ſunt genera: Orientalis, & Europæus. Orientales illi habentur, qui puriſſimi auri inſtar rutilant. Hi omnibus gemmis, Adamante excepto, duriores, aliquando ita tincti ſunt, ut nimium croci in illis appareat. Nonnunquam tamen dilutiores, quam conveniat, ſunt, imo interdum Adamantum aquas habent

habent abſque aliquo colore, quos propterea referunt. Qui medio modo ſe habent, cæteris nobiliores, & præſtantiores habentur. Europæi Cryſtalli inſtar molles, cum aureo colore, vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli tam parum flavedinis habent, ut niſi nigredine à Cryſtallis diſtinguerentur, ab iis diſcerni non poſſent. Inveniuntur in Bohemia paſſim. Dum aureo colore, eoque puro ſplendent, ab Orientalibus niſi duritie diſtingui poſſunt, tam ſunt elegantes. Orientales in Æthiopia, & Arabia inveniuntur. Præſtantiores in India, & Bactriana. Reperiuntur aliquando permagni Topaſii, & qui 12. pondo ponderent. Vidi Bohemicum duarum ulnarum longitudine, & fere ſemiulnæ latitudine, qui Rudolpho ſecundo Cæſari invictiſſimo, & Domino meo clementiſſimo dono datus fuit.

CAP. LXVI.

Natura, vires, & facultates Topaſii vulgaris, ſeu Chryſolithi veterum.

NAturæ Solaris, cuius ſpeciem aliquo modo refert hæc gemma aureo ſuo colore, eſt. Proinde ut aurum, ac Sol, vitalis facultatis fomentum eſt, ita Chryſolithus. timores enim nocturnos, & melancholiam minuere, atque depellere, intellectum confortare, moleſtiſque inſomniis adverſari, dæmones terrere, & fugare, puſillanimitatem, ſtultitiamque auferre, ſapientiam, animique conſtantiam promovere, ac à faſcinationibus ferentem tueri, brachio ſiniſtro alligatus, aut è collo ſuſpenſus, auroque incluſus, creditur. Refert Cardanus in libro de admirandis curationibus mira de Chryſolithi viribus his verbis. Cæſarem Palavicinum,

Ad melancholiam.

aliumque nobilem ex oppido Gallerati, melancholiæ & comitiali morbo alternatim (quorum unus iam quindecim diebus cum febre, Palavicinus, alter iam ſex menſibus, ſed ſine febre, verum cum clamoribus) laborantes, & fruſtra à medicis vexatos, ſomniferis lotionibus capitis, ſolo potu pulveris Chryſolithi ex vino, in octo dierum ſpatio, ſic liberavi, ut nunquam morbus redierit. Præter dictas facultates, ſanguinem vulneribus applicatus ſiſtit, ac libidinis œſtrum compeſcit. Chryſolithus tritus, & potatus, aſthmatis & orthopnϾ paroxiſmos mitigat. Has vires omnes, multi non huic Chryſolitho, ſed præcedenti gemmæ, nempe illi gemmæ, quę nunc Chryſolithus appellatur, & è viridi colore aureus eſt, attribuunt. Frigidæ, & ſiccæ naturæ eſt, ut omnes gemmæ. Hoc peculiare habet, quod ſub lingua detentus ſitim febrientium extinguat.

Ad comitialem.

Ad ſanguinis profluvia.

CAP. LXVII.

Topaſii vulgaris, ſeu Chryſolithi veterum dignitas, & valor.

ORientales Topaſii vulgares ſi puriſſimi auri inſtar rutilent, & abſq; vitio ſint, quia aſpectui admodum grati ſunt, à nonnullis expetuntur ad ornamenta pileorum, ſtatuarū, ac reliquiarum in eccleſiis. Qui ceratium pendent, duobus thaleris æſtimandi ſunt. Qui 2. ceratia, quatuor thaleris, qui 3, 9. thaleris. Inde ut aliorum pretia ſciantur, ceratiorum numerus ducatur in ſe, & quotiens oſtendet pretium quæſitum. Sic 4. ceratiorum valebit 16. thaleros, & 10. ceratiorum 100. thaleros. Hæc regula ad 20. ceratia tantum valere poteſt. Nam ulterius vilius ſunt æſtimandi, propter magnitudinem quam aliquando attingunt. Propter ſummam du-

duritiem quam habent uruntur ut Sapphiri, ac tum veros Adamantes melius æmulantur, quam alia gemma. Vidi vix 10. ceratia pendentem 200. thaleris venditum. Ita enim exacte annulo incluſus Adamantem referebat, ut vix à perito gemmario differentia cognoſci potuerit.

Topaſii Bohemici Orientalibus ſimiles eadem regula taxari poſſunt. Si tamen quotientis quartam partem accipiat, pro Bohemici valore. Reliqui qui nigricant, & fortaſſis pro veterum Obſidiana gemma haberi poſſunt, aut parum aurei coloris habent, his viliores ſunt, nec commode æſtimari poſſunt. Si quis regulam viliorem velit, ſumat octavam partem pretii dicti.

CAP. LXVIII.

Adulterium Topaſii.

TOpaſii aurei coloris ob elegantiam adulterantur omnibus modis quibus aliæ gemmæ adulterari ſolent. Præſtantior modus eſt dum in Cryſtallo, Silicibus, & vitro fuſo aureus color conciliatur. id fit ſi ad ſingulas vitri libras quarta unciæ pars ferrei croci remiſceatur, atque tantillum minii addatur. Sed primum addendum minium, poſt crocus, teſte *a* Baptiſta à Porta. Si Cryſtallo calcinato triplum plumbi addatur, Topaſius abſque aliqua adiectione emergit, ſi per diem in fornace moretur. Aliter ſic conficies; fac pollinem ex ære uſto, cinnabari nativo, ac Cryſtallo, quadruplumque ſtanni uſti adde, fuſorioque vaſi ex terra fortiſſimo inde, fornacique committe per diem. Sed ignis vehemens non ſit, ac ſemper eodem gradu permaneat, facile enim fluit pulvis prædictus. *Præſtans modus.* *Alius modus.*

a *Libro 6. Magiæ Naturalis cap. v.*

Cap. LXIX.

De Beryllo.

Aqua-marina. Beryllus gemma eſt quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum. Italis à colore *Aqua-marina* vocatur, Hebraice *Iaſchpeh* vocatur: unde nonnulli putant Iaſpidis nomen deductum. Dum Berylli aureos radios habent, aut ex auro ſcintillant, *Chryſo-beryllus. Chryſo-praſus.* Chryſoberylli appellantur, quos aliqui ad Chryſopraſos referunt. Tranſparent Berylli omnes, & dilutum habent colorem. ſi enim colore ſaturo ſint, pro aliis vulgo gemmis habentur. Eius colorem refert aqua ſi exigua quantitate Indici, ac decima parte viridis coloris adiecta, tingatur. Eſt autem Indicum color quo pictores ſæpe utuntur. Sculpuntur Berylli pluribus angulis, ut illorum repercuſſu vivaciores fiant, magiſque fulgeant.

Cap. LXX.

Genera, & loci natales.

a Lib. 37. cap. 5. *a* PLinio auctore multa Beryllorum ſunt genera. Probatiſſimi viriditatẽ puri maris imitantur. *Chryſo-beryllus, Chryſo-praſus.* Proximi his ſunt Chryſoberylli paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic eſt pallidius. vocatur Chryſopraſus. *Hyacin-thizontes.* Quarto loco Hyacinthizontes colore Hyacinthi. *Aeroides.* Quinto Aeroides viridiores qui ab aëre nomen habent. *Cerini.* Poſt hos Cerini ceræ, & Oleagini oleo, ac tandem Cryſtallis nonnulli ſimiles. *Beryllus veterum multas gemmas cõprehendebat.* Sub iſtis generibus non dubito quin multæ aliæ gemmæ, quæ nunc ad alias referuntur, contineantur. Nam videtur Berylli nomẽ commune fuiſſe, ac fere omnes eas gemmas quę Cryſtalli inſtar diluto aliquo colo-

re tinctæ fuerunt ſub ſe comprehendiſſe. Nam quos nunc Citrinos, Topaſios, Lucoſapphiros vocant, ut & Hyacinthi quædam genera, non eſt dubium quin inter Beryllos numerata fuerint. Itali etiam hodie Cryſtallos qui angulorum multiplici reflexu aliquos colores in ſe habere videntur, Beryllos vocitant. Reliquarum nationum gemmarii illos tantum qui marinæ aquæ colorem, vel dilutum, vel exacte referunt, Beryllos vocare ſolent. Naſcuntur Berylli ad radices Tauri montis in Euphratis littore, ac in India, dilutioris coloris, & qui Cryſtallis ſimiles ſunt, in variis regionibus, ut in Germania, & Bohemia.

Locus ubi naſcatur Beryllus.

CAP. LXXI.

Facultates, & vires Berylli.

GEmmarii Beryllum geſtatum contra hoſtium pericula, vitia hepatis, ſuſpiria, eructationes valere, ac oris morbos, faciei, gulæ, & paristhmia prohibere, credunt. Illius ex aqua dilutum oculos humidos ſanare perhibetur. Ad vulnera oculornm etiam aliqui celebrant, ſive illa pupillæ, ſive alteri parti inflicta fuerint. *a* Reducitur Beryllus contuſus, & tritus in pollinem exactiſſime, ut impalpabilis ſit. Deinde, lentis quantitate pulvis quotidie mane, ſupino iacente ægro, in oculum, donec ſanetur, infunditur, ac præcipitur ut æger immotus aliquandiu ſupinus permaneat. Si pupilla vulnerata fuerit, etſi commode ſanari non poſſit, tamen ita emendatur, ut oculus deformis non fiat. Si læſio extra pupillam fuerit, præclare ſanat Beryllus, quemadmodum etiam omnes oculorum contuſio-

Ad oculorũ vitia.

tuſiones, quacunque re factæ fuerint. Suaderem ad contuſiones, & ſugillata, ut infuſio fieret aqua verbaſci: ſi adiuncta eſſet inflammatio, aqua roſarum, plantaginis, euphraſiæ, vel ſimili. Si vulnus eſſet, aqua betonicæ, tormentillæ, vel plantaginis. Magi putant contra ſegnitiem hanc gemmam pollere, ingenio prodeſſe, & coniugatos invicem conciliare.

a *Idem Pſellus de lapidum virtutibus (cap. 4. huius libri citatus) teſtatur Beryllum curare convulſiones, oculorum dolores, & icterum.*

Cap. LXXII.


Dignitas, valor, & adulterium Berylli.

Berylli non ſunt in maiori auctoritate quam Topaſii Oriẽtales, olim Chryſolithi appellati; proinde eodem pretio æſtimari poſſunt. pro coloris tamen elegantia augetur, vel minuitur pretium. idque in omnibus gemmis ſervandum eſt. Adulteratur Beryllus iis modis quibus aliæ gemmæ omnes. Nobilior modus eſt dum æs uſtum in tenuiſſimum pollinem redigitur, ut omnem tactum effugiat, ac Cryſtallino vitro, aut Cryſtallo calcinato, vitroque illi adiecto, miſcetur, ac fornaci committitur. æris una drachma pro vitreæ maſſæ libra ſufficit.


Cap.

CAP. LXXIII.

De Cryſtallo, & Pſeudoadamante.







Cryſtallus notiſſima gemma, ſi nomen gemmę meretur, tranſparens eſt, ac aquam in glaciem congelatam, unde nomen habet, omnino refert. nomen deducitur à κρύος, id eſt, gelu, & ϛέλλω, id

eſt,

eſt, contraho. Molliſſima eſt omnium gemmarum. Dum coloratur, non iam pro Cryſtallo amplius, ſed pro alia gemma habetur; quanquam in verę gemmæ locum ſubſtitui non poſſit. Si enim Beryllum referat, Pſeudoberyllus, ſi Topaſiũ, Pſeudotopaſius, ſi Sapphirum, Pſeudoſapphirus, ſi Smaragdũ, Pſeudoſmaragdus, & ab illa gemma, cuius ſimilitudinem refert, appellatur. Tales autem in Bohemia, & vicinis locis complures reperiuntur, qui omnes ſola duritie à veris gemmis diſtinguuntur; molles hi enim omnes Cryſtalli inſtar ſunt, & pro Cryſtallis haberentur, niſi coloris elegantia gemmariis, ut aliud nomen illis darent, ſuaderet. Naſcuntur Cryſtalli plerunque hexagoni. Nam qui rotundi, aut globoſi, ut Silices, reperiuntur: illi duriores Cryſtallis ſunt, & pro Pſeudoadamante habendi ſunt. Tales ſunt Arnhemii prope Arnhemum Geldriæ oppidum, Clabequii prope Bruxellam, Gallici, Bohemici, & Sileſiaci. Hi enim aliquando tam duri ſunt, tantaque elegantia micant, ut vix ab Orientalibus diſtinguantur. *a*Tincturam tamen quam verus Adamas admittit, non recipiunt. Deinde igne, & ſenecta corrumpuntur, quod Adamanti non accidit. Horum mentio in capite de Adamante facta eſt. Gemma etiam illa quæ Iris appellatur, quod omnes colores iridis, ſi quis fronti applicatam intueatur, conſpicuos faciat, ſpecies Cryſtalli eſt, quæ partim ob iuſtam angulorum reflexionem huiuſmodi colores, ut vapores iridem, partim quia minus pellucet Cryſtallo, offert. Hæc ſi ſubcitrina fuerit, ab Italis & Gallis *Citrino* vocatur, ac pręſtantior communi Cryſtallo habetur.

Falſa gẽma quæ dicantur. Bohemiæ gemmæ fere omnes Cryſtalli ſunt. Pſeudoadamãtes. Arnhemii. Clabequii. Bohemici. Iris. Citrinus.

Putant *b* nonnulli aquam eſſe materiam Cryſtalli, ac glaciem diu in frigidiſſimis montibus ſervatam tandem in Cryſtallum converti: verum omni-

An aqua ſit materia Cryſtalli.

no falluntur, ut in tertio Tomo ſymbolorum Principum (ubi ſymbolum Ludovici Gonzagæ, *Ex glacie Cryſtallus evaſit*, explicatur) notavi. Nunquam enim aqua in Cryſtallum mutari poteſt, abſque tamen aqua non generatur. Solvi enim terræ tenuiſſima portio ab aqua debet, aut illi aliunde miſſa commiſceri, quæ recedente aqua tum primum in Cryſtallum concreſcit. Si Cryſtallus ex aqua congelata conſtaret, igne ſolveretur, (quæ enim frigore concreſcunt calore ſolvuntur) ac aqueæ partes igne conſumerentur, quod non fit experienti. Igne enim crematus calcem, ſeu terram, & ſal, cuius ſpiritus beneficio coagulatus fuit, oſtendit. Hæc fuſius ante, ubi de cauſis concretionis gemmarum egi, explicantur.

Cur Cryſtallus hexagonus naſcatur. Naſcuntur plerunque Cryſtalli forma hexagona in mucronem deſinente, quia terreſtris ſubtilis materia ſe ſeparans ab aqua nititur ſe unire, ac omnibus modis ſingulæ particulæ, centrum corporis ſui ambiunt, & appetunt. Quod cum fit, vel circularem, vel hexagonam figuram faciant oportet. nulla enim alia à circulo perfectior videtur. Circularis figura fit dum materiæ partes ſunt prorſus uniuſmodi; qualis in iis qui proximi ſunt Adamantibus, quos duriores dixi, conſpicitur; hexagona, cum partes nonnullæ ipſius mixti, reliquis ſunt vel ſubtiliores, vel magis aëreæ, aut alia ratione differunt; hæ enim à reliquis circa angulos pelluntur, vel ipſę nō tam cito, quam aliæ, centro ſe unire cupiunt: hacque ratione concreſcente materia, hexagona figura circulo quam proxima, aliiſque omnibus angularibus perfectior, efficitur. Si ſtatueretur, omnes particulas eiuſdem naturæ, temperamenti, & qualitatis eſſe, ſphæricam figuram habere deberet omnis Cryſtallus, omnibus ad centrum ęquali vi tendentibus;

Cauſa hexagonæ figuræ.

btis; aut abſque ratione nobis manifeſta, figuram certam illi à natura & Deo datam eſſe hexagonam ſtatuere oporteret, ut in multis rebus contingit. Nam neque cur homo, aliudve animal ſuam formam extrinſecam, neque cur flores, & frondes certam perpetuo habeant, unquam ingenium humanum perſcrutari poteſt. Quod admirari hæc natura non vero intelligi velit. Invenitur Cryſtallus variis in locis etiam in Europa. Circa Piſas reperitur in quodam torrente qui ex monte Magno fluit. In Verruca etiam monte propinquo foditur. Saxis adhæret conglobatus, ut difficulter avelli poſſit. In Alpium iugis, Germania, Bohemia, Hungaria, Cypro, & Luſitania frequens eſt, ubi ingentis ponderis interdum invenitur. Sæpe in agris, ut prope Tſaltoniam Bohemiæ, & Coutebergam. Multa vitia Cryſtallo innaſci ſolent, ut ſales, feſtucæ, nebulæ, atomi, rubigo, & ferrugini quid ſimile. Dum plane perſpicui ſunt Cryſtalli, montani nomen illis tribuitur. Cryſtallus obſcurior, aut nigrior aqua perſpicuus, & qui à nonnullis Iris appellatur, eo loci ubi Cryſtalli reperiuntur, inveniri interdum ſolet. Qui in agro Piſano inveniuntur, ac raro digiti magnitudinem excedunt Iridis colores angulorum repercuſſu imitantur. Ob quam cauſam à gemmariis Adamantum inſtar ſcalpuntur, ac Berylli nomine tanquam præſtantes gemmæ divenduntur. Eſt tamē Beryllus alia gemma, ut ſuo capite explicavi.

Locus ubi inveniātur Cryſtalli.

Vitia Cryſtalli.

Iris.

Beryllus.

Ex prædictis itaque facile colligi poteſt, Cryſtalli nomen accommodari ad omnes gemmas perſpicuas, molleſque, quæ colorem nullum manifeſtum in ſe habent. Hæ videntur eſſe in quadruplici differentia. Ut prima contineatur quæ glaciem refert, Cryſtallus montanus dictus. Secunda Iris. Tertia Citrinus. Quarta Pſeudoadamas. Aliis nobilior

Species, ſeu genera Cryſtalli.

bilior eſt Pſeudoadamas, ut Citrinus Irid , & Iris Cryſtallo.

a *Cryſtallus omnium gemmarum tincturas in ſe recipere poteſt, ut vel hinc mater gemmarum quibuſdam ſtatuatur, præſertim quia Philoſophi, qui lapidem Philoſophorum, ſingulari benedictione adepti ſunt, (ut Henricus Nöllius in phyſic. Hermetic. lib.* VIII. *cap.* VI. *ſect.*3. *ex Raymundo Lullio de animæ tranſmutatione teſtatur) gemmas alias ex eo artificioſe conficiunt, & tincturas earum Cryſtallo imprimunt.*

b *Opinionem hanc habet Plinius lib.* 37 *Naturalis hiſtoriæ cap.*2. *littera c. qui Cryſtallum gelu concreſcere, nec alibi reperiri, quam ubi maxime hybernæ nives rigent, glacieſque, pro certo ſcribit. Quam Plinii opinionem etiam amplectitur* v. *Cl. Claudius Salmaſius libro poſt cap.* 62. *huius libri citato fol.* 205. *Cuius contrarium ſatis dilucide tradunt Auctor hoc loco, & cap.* X. XII. *&* XIII. *lib.*1. *Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcord. lib.* V. *cap.* 116. *& Georgius Agricola lib.*6. *de natura Foſſil. cap.* 7. *ut ibi videre eſt. quibus etiam nos aſſentimur.*

Cap. LXXIV.

Natura, qualitates, & facultates Cryſtalli.

Ad febrim. Frigidæ, & ſiccæ naturæ adeo eſt Cryſtallus, ut ſub lingua poſitus ſitim febrientium ſedet, manibuſque detentus acuta febre correptos recreet, & refrigeret, præſertim ſi ſatis magnus fuerit, ac ſphæricæ figuræ, ſæpeque in aqua roſarum mergatur, ubi à manu ægri incaluerit. Cryſtallus in tenuiſſimum pulverem redactus, ac cum vino propinatus, dyſenteriam curat, ac albos uteri fluxus ſiſtit. *Ad dyſenteriam. Ad uteri fluxus.* Cum

Cum melle, vino, aut iuſculo exhibitus lactantibus, lactis ubertatem & copiam à proprietate promovet. Preterea drachma pulveris cum oleo amygdalarum dulcium exhibita, extemplo curat eos quibus argentum ſublimatum oblatum eſt. Fluxum præterea cholericum vel cœliacum citiſſime & à proprietate, tanquã Bezoar aliquod compeſcit, calculum etiam rumpit, & per urinam expellit. Collo appenſus Cryſtallus ſomnia prohibet, & vertigini medetur. *Ad lactis abundãtiam.* *Ad ſublimatum.* *Ad alvi fluxus, calculũ.* *Ad ſomnia, & vertiginem.*

Ad prædictos omnes affectus Chymici è Cryſtallo ſalem, vel eſſentiam eliciunt, quam crudo Cryſtallo præſtantiorem, & tutiorem exiſtimant, & ad calculum pellendum utiliorem. Cryſtalli in pollinem redigantur. his adde duplum ſulphuris. tere optime ſimul. ſine ſulphur exuratur, ac reverbera optime ſex horarum ſpatio. Calcinato Cryſtallo affunde aquam urticæ, ut ſex digitis emineat, ac in fimo equino digere quatuordecim diebus. Poſtmodum diſtilla, & magna Cryſtallorum pars extillatur. Remanentiæ iterum affunde aquam urticæ, ac repete prius opus, donec omnes Cryſtalli tranſcendant nihilque in dante vitro remaneat. Extillato iniice parum ſalis fuſi, ac ſine ut ſtet aliquandiu. hac enim ratione oleum Cryſtalli ſeparatur ab aqua quæ ſuperiorem partem occupat. Aquam effunde, ac aliam aquam diſtillatam Cryſtallis affunde, in qua iterum ſalis portio diſſolvitur. Hoc opus repete donec omne ſal in ea ſolutum fuerit, & Cryſtalli oleum dulce fiat. Id ſerva ad uſum, ac drachm. ſemiſſem, cum uncia una aq. appropriatæ exhibe ad prędictos affectus. Aliter præparatur ut & ſal ipſius, hac ratione. Cryſtalli ſubtiliſſime conteruntur, & vel æquali nitri, vel duplo ſulphuris pondere commixti in calcem aduruntur. Hæc deinde ex aqua plu- *Oleum, & ſal Cryſtallorum.* *Oleum dulce Cryſtalli.* *Alius modus.*

pluviali ſtillatitia lavatur aliquoties, rurſuſq; ſiccatur. Poſtea ſpiritu vini perfunditur, maceraturque in loco calido aliquot diebus. tum extillatur rurſus, & quod in fundo remanet, iterum calcinatur, lavatur, maceratur, diſtillaturque, toties, donec ſalis inſtar ſit, ac in vino eliqueſcat nivis inſtar, tandem id ſal in loco humido reſolvitur, & pro oleo Cryſtallorum haberi poteſt. Ad calculum maiori compendio vis Cryſtallorum haberi poteſt. Cryſtallus in pollinem redactus excandeſcat ignis vi per horam, ac in aqua raphani, ononidis, aut petroſelini, cui quarta pars olei vitrioli, aut ſulphuris acidi addita eſt, extinguatur, idque opus decies repetatur. Poſtea ſaccharo optime trito affunde paulatim aquam prædictam, ac diligenter ſpatula lignea move. Huius ſacchari offer quotidie mane & veſperi ſemicochlear, aut quantum medietas nucis iuglandis capere poteſt. Valet etiam ad omnes viſcerum obſtructiones, teſte Quercetano: & quia tartarum in homine reſolvit, podagricis convenit, ſyncopæ præterea, ac capitis morbis, quia cerebrum confortat, apprime conducit. in eum uſum datur à granis 10 ad 30.

Sal Cryſtalli in vino ſolubile.

Sal Cryſtalli ad calculum aliter.

Ad obſtructiones.

Podagrã.

Syncop.

Sal Cryſtallorum etiam alia ratione, non tamen à prædicta diſſimili, haberi poteſt. Calcinatur Cryſtallus, ac in tenuiſſimum pulverem ſupra Marmor conteritur, poſtea ſulphure, & ſale nitro calcinatur, perque diem, ac noctem reverberatur. in vas vitreum, longũ collum habens, inditur, ac acetum terebinthinatum ſuperfunditur, obturatoque vaſe, ſupra cineres calidos per noctem relinquitur, ſequentique die quod ſolutum eſt, effunditur, cuſtoditur, novumque iterum acetum ſuprafunditur. Hocque tamdiu repetitur donec Cryſtallus ſolvatur. Acetum poſtea in quo Cryſtallus ſolutus eſt filtratur, ac in balneo humiditas evaporatur, ut in fun-

Sal Cryſtallorũ aliter.

do

do Cryſtalli ſal reſideat, quod tritum, & ſupra Marmor poſitum in liquorem ſolvitur.

Cap. LXXV.

Dignitas, valor, uſus, & adulterium Cryſtalli.

CRyſtallus non ſolum ad mundum muliebrem, dum catenæ, nodi, aliaque huiuſmodi inde fiunt, ſed etiam ad ſpecula, perſpicilla, pocula, ſcyphos, patinas, lavacra, & ſimilia uſui eſt. Adeo ut dum abſque vitio eſt, huiuſmodi pocula, vel ſcyphi à Principibus appetantur, & ſat magno in pretio ſint. Aureus enim ſcyphus pedis magnitudine interdum centum thaleris divendi poteſt, aliquando etiam pluris. Exigui Cryſtalli ex quibus nodi, aut coronæ fiunt, viles ſunt, ac cælaturæ pretium non ſuperant. E Cryſtallo etiam, adiecto vitro, ac arena puriſſima, ſaleque alcali, nobiliſſima vitra, Cryſtallo vero quam ſimilia, fiunt Venetiis. Inſervit etiam Cryſtallus ad gemmas imitandas dum calcinatus plumbi tribus partibus miſcetur. Huic ſolent metallica addi, ut optatus Smaragdi, Topaſii, vel alterius gemmæ color prodeat. Cryſtalli beneficio etiam ignis ſolet è Solis radiis colligi, dum nempe rotunda planities modicum convexa Soli ita opponitur, ut corpus id, quod ignem ſuſcipere debet, circa convexi centrum ponatur. In mollioribus etiam corporibus & delicatulis, cauterii ferrei vices ſupplet, quanquam non minus quam ferrum urere, & dolere exiſtimem. Adulteratur vitro Cryſtallino; quod illi ſimillimum, verum Cryſtallo mollius, & ponderoſius eſt.

Vitra ex Cryſtallis. *Ad gẽmas imitandas.* *Cauteriũ ex Cryſtallo.*

Pſeudoadamantes dum perite cælati ſunt, etiam auro includuntur, ac dũ exigui ſunt, ita veros æmulantur, ut non niſi à peritis dignoſci poſſint. Hinc fit *Pſeudoadamas.*

apud Bohemos, Polonos, Hungaros, & Moſcos nō exiguam habere auctoritatē, maioris tamen, quam cælaturæ pretium ſit, non venduntur, niſi duri ſint, & egregie ſcintillent. Eadem ratio Citrinorum, & Iridum, qui omnes ſupra cælaturæ pretium non plus valent, quam velit emptor. Habentur enim in ſatis magna copia, magnaque fruſta pugni inſtar nondum elaborata, & prorſus perſpicua, uno aut duobus thaleris tantum divenduntur. Elaborata, & in ſcyphos aptata venditoris arbitrio, ac emptoris deliciis commiſſa, ſæpe ſatis magno diſtrahuntur.

Citrinus. *Iris.*

Cap. LXXVI.

De Aſteria, aut Solis gemma, Italis Giraſole.

IN capite de Opalo mentionem feci Aſteriæ gemmæ, ac ad Opali genera retuli, ſimiles enim ex matre Opalorum ipſemet extraxi. Si tamen Opalo longe durior ſit, poteſt ſui generis gemma eſſe, & ab Opalo diſtingui. Quo enim durior, eo elegantius, ſi Soli obiiciatur, & vertatur, ſolē deambulantem in ſe conſpicuum facit, unde nomen habet. Quia etiam lux illa deambulans ſtellæ ſimilis eſt, nomen Aſteriæ illi à nonnullis tribuitur. Sed meo iudicio rectius id nomen opacæ gemmæ, quæ Stellaris appellatur, ac ſtellas quaſi arte depictas continet, Germanice *Sternſtein* aut *ſigſtein*, convenit. Perſpicua eſt hæc gemma, Cryſtalloque ſimilis, durior tamen: Opalis Cryſtallizontibus admodū ſimilis, ac tantum duritie ab iis differens. A Plinio Aſtroites, & quæ deterior, Ceraunia, à Michaële Mercato Aſtrobolus, ab aliis Oculus Felis, quia radiat modo clarius, modo obſcurius, ut felium oculus, vocatur. Differt à gemma, quæ Beli oculus, aut *Belloc-chio*

Ceraunia. Aſtrobolus. Oculus Felis. Beli oculus.

chio Italice dicitur, ac exacte oculum iride, & pupilla imitatur. Opaca enim eſt, ac Achatis ſpecies. Plinius Aſteriam, & Aſtrion, tanquam diverſas gemmas deſcribit, cum gemma una videatur. Agricola Stellarem lapidem opacum Aſtroitem putat: Aſteriam vero quam gemmam Solis vocamus. Plinius lib. 37. cap. 9. ita ſcribit. Candidarum dux eſt Pæderos, &c. Proxima candicantium eſt Aſteria, principatum habens proprietate naturæ, quod incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit, cum inclinatione velut intus deambulantem ex alio atque alio reddens, eademque contraria Soli regerens candicantes radios, unde nomen invenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Caramania nata: ſimiliter candida eſt. quæ vocatur Aſtrios, Cryſtallo propinquãs, in India naſcens, & in Pallenes littoribus intus à centro ceu ſtella lucet fulgore lunæ plenæ. Quidam cauſam nominis reddunt, quod Aſtris oppoſita fulgorem rapiat, ac regerat. Optimam in Caramania gigni, nullamque minus obnoxiam vitio. Ceauniam enim vocari quæ ſit deterior, peſſimam lucernarum lumini ſimilem. Et paulo poſt. Eſt & inter candidas quæ Ceraunia vocatur fulgorem ſiderum rapiens. Ipſa Cryſtallina, ſplẽdoris cærulei, in Caramania naſcens. albam eſſe Zenothemis fatetur, ſed habere intus ſtellam coruſcantem. Fieri & hebetes Ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas concipere ſtellam, eam quæ poſt totidem menſes elangueſcat. Hactenus Plinius. ex cuius verbis colligi poteſt, Aſteriam ſeu Aſtrion, gemmam eſſe, eiuſque ſpeciem unam Cerauniam. Putat Agricola Aſtroiten à Plinio alibi Solis gemmam appellatam fuiſſe, ac Aſtrobolon oculis piſcium ſimilem à Sudine. Solis enim gemma Plinio

Aſtrios.

Pæderos.

Locus natalis.

Ceraunia.

Agricolæ opinio.

candida eſt, & ad ſpeciem ſideris in orbem fulgentes ſpargit radios. Eidem Mitrax dicta Perſis accepta eſt, è rubri maris montibus multicolor, ac contra Solem varie refulgens. Ex præcedentibus Plinii verbis vix aliquid certi colligi poteſt. Ego Aſteriam, ſeu Solis gemmam eam puto, quæ Cryſtalli lacteſcentis inſtar rotundam lucem incluſam transfundit, cum inclinatione deambulantem. Aſtroiten vero eam, quæ è medio corporis ſtellulas radiantes oſtentat, quam inter Opali ſpecies retuli, aut ſi mavis eam, quæ multicolor contra Solem varie refulget, ut felis oculus. Hanc apud me, ut & priorem ſervo, quam ex Opalorum matre abſtraxi; elegantem ſane, ac quæ Soli expoſita plurimas, ac ſcintillantes ſtellulas exhibet. Prædictæ tres gemmæ omnes, commode pro Opalis haberi poſſent. Sed quia duritie, & coloribus Opalum non ſemper referunt, à gemmariis diſtinguuntur. De poſteriori, quam Aſtroiten, Oculum Solis, aut Oculum Cati vocant, ſequenti capite agam.

Mitrax.

Cap. LXXVII.

Facultates, proprietates, uſus, dignitas, & pretium Aſteriæ.

Usus iſtius gemmæ eſt ad aurea manubria. geſtata enim, ſomnum conciliare, & ſomnia terrifica abigere creditur. Orientalis tam dura eſt ut vix cælari poſſit, ſatiſque vilis, nec pretioſior duplo cælaturæ pretio.

Cap.

CAP. LXXVIII.

De Oculo Cati.

OCulum Cati, eſſe Aſtroiten Plinii quam multicolorem aſſerit, exiſtimo, ac eam eſſe gemmam quæ à nonnullis Solis Oculus, & à Perſis Mithrax, quod Solem ſignificat, appellatur. *a* Cardanus hanc Pſeudopalum vocare videtur. Opalo enim ſimilis eſt variis coloribus, quanquam non ita diſtincti in hac gemma ut in Opalo appareant, & hæc longe durior ſit; tenerrimus enim eſt Opalus. Differt hæc gemma ab alia quadam opaca, quæ oculi depicti imaginem refert, ac etiam Oculus Cati vocatur, aut Beli Oculus, Italice *Bellocchio*, quia Achatis, vel Onychis ſpecies eſt. Laudatiſſimi inveniuntur in Zeilan: interdum ex Pegu advehuntur, qui eo deferri ex regione Bramaa dicuntur. *Solis Oculus. Mithrax. Pſeudopalus.*

a *Libro* VII. *de ſubtilitate.*

CAP. LXXIX.

Dignitas, valor, & facultates.

MAgno eſt in pretio apud Indos, qui ſibi perſuadent, eius, qui hanc gemmam geſtat, divitias non poſſe imminui, ſed ſemper incrementum facere, & augeri. Ait *a* Garſias ab Horto ſe expertum, lineum pannum ita compreſſum ut ipſius gemmæ meditullium, ſive oculum tangat, nullo igne uri poſſe. Id ſcio verum eſſe, verum (quod ille non animadvertit) gemmæ viribus, aut facultatibus tribuendum non eſt, cum omni lapillo idem contingat ad modicum tempus. Ignis enim flamma neque ſtatim lapillum ignitum facere, neque *Ad divitias.*

partes panni complecti propter compreſſionem ut exurat, poteſt. Reiicit enim, ac repercutit à ſe flammam lapillus: ut ignis urat, corpus vere attingere, & complecti debet. Id quilibet ex tempore filo alligato lapillo, ac flammæ candelæ adhibito, experiri poterit.

Pretium. Apud Indos tanto, ut dixi, eſt in pretio: ut qui in Luſitania 90. aureis æſtimatus fuit, in India 600. venditus fuerit. Poteſt itaque pretio Opalorum æſtimari minoris, vel pluris, prout elegans eſt, variiſque coloribus ornatus, nihil enim hic certi ſtatui poteſt.

a *Libro* 1. *Aromatum & ſimplicium Hiſtoria cap.* 54.

Cap. LXXX.

De Sardio, ſeu Corneolo.

HActenus de perſpicuis, & tranſparentibus gemmis egi: nunc de ſemiperſpicuis, aut ſemiopacis agendum. Nobilitate autem cæteris præſtantior videtur Sardius, prima gemma rationali Aaronis impoſita, quam Iudæi putant Rubinum fuiſſe. nunc Sardius, Corneolus, vel Carneolus appellatur. Italice, Gallice, & Germanice paucis litteris mutatis idem nomen retinens. A carne ſanguinolenta cui ſimilis eſt colore, nomen Carneoli, vel corrupte Corneoli habet. Sanguinis bilioſi, vel ſubcitrini colorem exactius refert. Semiperſpicuus eſt, loturæ carnis ſimilis. Nam in corpore ipſius quaſi rubrica aut caro pellucere, ſed offundi obſcura nubecula videtur. Plinius Sardam apud antiquos frequenti in uſu fuiſſe aſſerit, præcipue ad ſigilla: nihil enim ceræ in ſigno tenet. *a* Serapionis Sarda alia ab hac videtur; Eam vocat Hager albuzedi,

Ad ſigilla.
Sarda Serapionis ſuccinum videtur.

zedi, ac lapidem rubentem languidius, quam Hyacinthus, ac lividius, eſſe dicit, ac adferri ex Oriente rudem, obſcurum. perpolitum nitere, oculos tactu roborare, paleaſque capillis affricatum trahere, ut Magnes ferrum, idem aſſerit. Quæ omnia Succino conveniunt, quod Hyacinthi vulgaris colorem exacte refert.

a *Libro de ſimplicibus cap. 399.*

Cap. LXXXI.

Genera, loci natales, & magnitudo Sardii.

SArda primum Sardibus reperta, ut *a* Plinius aſſerit, ſed laudatiſſima circa Babylonem hærens in ſaxi corde. In India trium generum. Rubrum, & quod Demium vocant à pinguedine. Tertium quod argenteis bracteis ſublinitur. Indicæ prælucent, craſſiores ſunt Arabicæ. Inveniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum. quæ aurea bractea ſublinuntur. Mares excitatius fulgent, fæminæ pinguiores ſunt, & craſſius nitent. Hactenus Plin. Albertus magnus Sardam à Corneolo diſtinguit nominum copia deceptus; eadem enim gemma eſt. Niſi velit Corneolo albo Sardæ nomen tribuere, & rubro Sardii vel Corneoli. *b* Franciſcus Rueus aliud caput de Sardio, aliud de Corneolo habet: fortaſſis orientalem Sardium noſtratem Corneolum ſtatuit. Durior enim ille iſto, ac alio nomine dignus. Apud me tria genera Sardii, vel Corneoli ſervo. Primum rubrum à me ſupra deſcriptum, alterum exigua ſanguinis rubedine tinctum, ac ſemiperſpicuum. Tertiumque ſubflaveſcens ex rubedine. Laudatiſſimus Corneolus in Sardinia invenitur. Secundum locum obtinet,

[Margin notes: a *Lib. 37. cap. 7.* — *Sarda. Sardius, & Corneolus.* — *Genera.*]

net, qui in Epiro, & Ægypto reperitur. Sed Babylonius cæteris præfertur. Indici, & Arabici etiam, non contemnendi, ut nec Europæi. Nam ad Rhenum, in Bohemia, Sileſia, aliiſque regionibus, quales apud me habeo, præſtantes inveniuntur. Aliis lapidibus adnaſci ſolent.

b *Nempe cap. 6. lib. 2. de gemmis de Sardio agit, & cap. xx. eiuſdem libri de Corneolo.*

Cap. LXXXII.

Natura, facultates, qualitates, & proprietates Corneoli, & Sardii.

REfert Albertus, geſtatum Sardium, ſeu Corneolum, animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præſtare, faſcinationes prohibere, ac corpus contra venenata quævis, quę ex humorum corruptione proveniunt, tueri. Inprimis autem ſanguinem undecunque fluentem peculiari proprietate, mirabili modo ſiſtit. Ventri etiam alligatus partum conſervare creditur. Tumoribus etiam calidis applicatus medetur, pulvis ad omnem ſanguinis fluxum ex vino rubro auſtero propinatur. Is etiam liventes dentes, eorumque ſordes affrictu emendat. Acuere ingenium, ſomnia mala prohibere, & malignitati Onychis obſiſtere, dicitur. Stultum eſt cum Cardano aſſerere, quod litigantes victores, & geſtantes divites faciat.

Ad ſanguinis fluxus.

Cap.

CAP. LXXXIII.

Dignitas, valor, & uſus Corneoli.

APud Hebræos olim in ſumma auctoritate extitit. Quia prima gemma fuit, quam Deus rationali inſeri iuſſit, quod Aaron ſummus Pontifex ſupra pectus geſtabat. Quanquam Iudæi exiſtiment Rubinum fuiſſe. Verum illis à quibus gratia omnis divina ablata eſt hac in re credendum non eſt, ſed 70. interpretibus, & ſcriptoribus eccleſiaſticis, ac Ioſepho; qui etſi non Sardium, tamen Sardonychen, ex Sardio & Onyche conſtantem, non Rubinum interpretatur. Apud Romanos etiam in ſatis magna dignitate fuit. Eo enim ad ſigilla utebantur, quia ceram non recipit, ob duritiem, cuius beneficio ab aqua non facile hebetatur. Nunc quia præſtantiores gemmæ in maiori copia inveniuntur, dignitatem ſuam non parum amiſit. Ad ſigilla tamen, & fæminarum manubria exornanda, inter gemmas ſanitatis (ut vulgo vocantur) recipitur. Cęlaturæ pretium non ſuperat, niſi nucis iuglandis magnitudinem excedat. Tum enim quia ad ſanguinis fluxus ſiſtendos expetitur, venditoris arbitrio æſtimatur, & aliquando duobus, tribus, aut etiam quatuor thaleris divenditur.

Vitro ſimili colore prædito, ut aliæ omnes gemmæ, adulteratur.

CAP. LXXXIV.

De Sardonyche, ac Cameo.

SArdonyx *a* ex Sardio & Onyche à natura ſimul compoſitis gemma eſt. Huic interdum aliæ gemmæ adnaſcuntur, verum à Sardio & Onyche

tanquam præcipuis denominationem habet. Conſtat plerumq; ſanguineo, albo, & nigro colore; qui à ſe invicem circulis, aut zonis ita diſtinguuntur ut arte facti videantur. Quæ carneo colore carent, Sardonychis nomine non ſunt appellandæ. Hodie

Nicolus. à gemmariis & Onyx, & Sardonyx Nicolus vocatur, communiter tamen ille qui ex nigris, & albis zonis conſtat, ut in capite de Onyche explicabo. Dum cruſta unius coloris ſcalpitur, ac alterius coloris pro ſtrato relinquitur, tum gemmarii *Camehuyam*, vel *Cameum* vocant, ſive Onyx, ſive Sardonyx ſit.

a *Sardonychis nomen compoſitum ex Sarda, quæ Græcis* σάρδιον, *&* ὄνυξ, *quæ unguem ſignificat, & gemmam unguis colore: ergo Sardonyx ita olim intelligebatur, velut unguis carnibus impoſitus eſſet. Nam ſuperficiem habebat Onychis gemmæ, vel unguis humani inſtar candidam: radicem vero, ſive fundum, inſtar Sardæ, vel Carnium; hic enim Sardæ color.* σάρδιον αἱματόεν *Orpheo dicitur. ſic Sardonyx erat velut unguis carnibus impoſitus. Hæc autem fuit gemma ſignatoria, quam Polycrates volens proiecit in pelagus, erat enim Tyranno ea gemma rerum omnium ſuarum gratiſſima, quum plurimum triſtaretur. Quinto, ſextove quum hæc acta ſunt die, piſcator quidam captum eum piſcem, qui Polycratis gemmam caſu abſorbuiſſet, Polycrati dono detulit, in cuius eviſcerati alvo gemma ea reperta eſt. Exſtat proverbium,* βάμμα σαρδικὸν, *id eſt, tinctura Sardica, de colore præcellenti, præcipue purpuræ, per iocum autem transfertur ad eum qui pudefit, aut qui ob plagas ſanguine tingitur. Sardonychis etiam meminit Doctiſſimus Philippus Iacobus Mauſſaccus in libello de fluviorũ & montium nominibus, quem ille ſub nomine Plutarchi*

Græ-

Græce & Latine edidit Toloſæ (ut poſt caput 9. huius libri monuimus) in titulo de Euphrate fluvio fol. 68. ſub finem capitis.

CAP. LXXXV.

Genera, & loci natales, dignitas, & pretium Sardonychis.

INfinita eius ſunt genera, ſi coloris diverſitas, diverſa genera ſtatuere debet. Nam in his ludit natura. Si rubedo ad cocci, vel laccæ colorem vergat, vulgo *Incarnati* vocantur. Colorum varietas dignitatem auget. Interdum enim in iis purpureus, cæruleus, roſeus, flavuſque apparet circulus, cui Baſis quædam (ut Arabibus) nigerrima, Indis cerea, vel cornea ſubſternitur. Præferuntur aliis, quibus candidæ, vel purpureæ, aut roſeæ zonæ, aut etiam cæruleę ſeſe ex ordine citra alterius rei intermixtionē ita ſubſequuntur, ut iridis aliqua forma referatur. Quæcunque zonas non unitas, ſed diffluentes habent, & mellei coloris ſunt, ac fæces in ſe habere videntur, tanquam ignobiles non ſunt in pretio. Sardonyche primum uſus apud Romanos dicitur fuiſſe Scipio Africanus, ut tradit Demoſtratus, quæ poſtea Romanis & Indis ab iis perſuaſis fuit celebris. Puto vaſa Myrrhina olim ita decantata ex hac gemma fuiſſe fabricata. Vidi enim partes poculorum olim cælatas. Quæ iridis varios colores, ut de Myrrhinis ſcribitur, anhelabant. *a* Porcellana enim vaſa (quæ hodie ita vocantur,) excocta igne, ac ex terra ſubtiliori pingui conflata ſunt, ac ex China huc deferuntur, & nequaquam antiquorum Myrrhina vaſa ita decantata eſſe, exiſtimo. Scribitur de Mithridate Ponti rege, quod ex Onyche 4000. poculorum habuerit. Indę coniicio non ex ſimplici Ony-

Incarnati.

Myrrhina vaſa ex Sardonyche.

Porcellana.

Onyche, ſed ex Sardonyche, & Chalcedonio, elegantioribus, Regiiſq; menſis dignioribus gemmis, & quæ fortaſſis à ſuis nomine nõ diſtinguebantur, etiam pocula fuiſſe elaborata. Prima dignitas Indicis, altera Arabicis datur. Invenitur quoque in Germania, Bohemia, Sileſia, lociſque vicinis: ſed raro abſque fæcibus ſunt; ſæpe etiam melleum in ſe colorem habent, nec zonas, aut circulos à ſe ita exacte diſtinctos ut orientales. Sardonychum magna fruſta, ut pocula & ſcyphi inde elaborari poſſint, inveniũtur. Hinc fit exiguas, ad ſigilla, coronas, niſi coloribus excellant, vix cælaturæ pretium bis ſuperare. Magna fruſta eleganter cælata vigecuplo interdum cælaturæ pretium excedunt. Coloris varietas, & elegantia præcipui valoris ſunt indices.

a *Quoniam auctor hoc loco de Myrrhinis, & Porcellanis vaſis tractat, non abs re futurum cenſui, inſignem de Myrrhinis vaſis (Petri Bellonii obſervat. lib. 2. cap. 71.) narrationem huic loco inſerere; cuius hæc ſunt verba. Ingens Murrhinorum vaſorum copia in Cairo à mercatoribus publice venalis proponitur. Cum autem videremus ea novo Porcellanæ nomine appellari, eius appellationis Gallicũ etymon perquirere libuit. atque animadvertimus, denominationem ſumpſiſſe à Conchylii quodam genere Murex Latinis dicto, quod Galli concham porcellanicam nuncupant: tametſi affinitas vocabuli Murex ſatis reſpondeat voci Murrhina: Gallicæ tamen appellationis etymon duntaxat perquirimus, quoniam Porcellanica vaſa ea nuncupamus: nec ignoramus Latinos Myrrhæ vocem à Græco σμύρνα deduxiſſe. Vaſa quæ Porcellanæ appellatione apud nos hodie venduntur, nulla nota cum veterum vaſis conveniunt. Sed nec ſummi totius Italiæ artifices ſimilia*

milia parare norunt, utpote qui commoda materia deſtituuntur; attamen vaſa ab ipſis conflata, Porcellanæ nomine donant, atque etiam venundant. Latæ ſignificationis eſt Porcellanæ vocabulum, & multis conchis marinis applicatur. Quoniam porro elegans vas è concha marina paratum aptius denominari non poſſet ſecundum veterem appellationem, quam Porcellanicum: expolita illa, & ſpendentia conchylia, Margaritiferis conchyliis reſpondentia, arbitratus ſum affinitatem aliquam habere cũ materia vaſorum antiquorum Porcellanicorum. Huc accedit quod Galli ſphærulas illas precatorias è magnis cochleis confectas, Porcellanicas ſphærulas appellant. Murrhina vaſa ex Iaſpide viridi etiam fieri auctor eſt Garcias ab Horto lib. 1. Aromat. & ſimplic. hiſt. cap. 52. cuius hæc ſunt verba. Invenitur Iaſpidis genus viride, ex quo vaſa Murrhina fiunt (Porcellanas vocant) adeo virentia, ut ex Smaragdo conflata videantur. Ex hoc forte genere erit id quod Genuæ oſtenditur, quodque ex Smaragdo eſſe contendunt, rarius videndum proponentes, quo maiorem auctoritatem concilient. Huiuſmodi vas Murrhinum aliquando mihi propoſitum fuit venale ducentis pardaons ſive aureis Hiſpanicis: cuius ſi ex Smaragdo conflatum fuiſſet, milleſimam partem eo pretio vix nanciſci potuiſſem.

CAP. LXXXVI.

Natura, & facultates Sardonychis, & adulterium.

ONychem nocuos effectus, animi faſtum, & venena domare creditur, ac ad ea valere ad quæ Sardius, ſeu Corneolus. Vitro adulteratur, quod in ipſius locum ſubſtituitur, ſed facile dignoſcitur, quod facile ab aëre exedatur, & pulverulentam ſuper-

ſuperficiem contrahat, neque ita ut Sardonyx niteat.

Cap. LXXXVII.

De Chalcedonio, vel Carchedonio.

a *Lib.* 37. *cap.* 7. Carchedonios *a* Plinius inter Rubini genera recenſet, ac nigrioris aſpectus, Carbunculoque pallidiores, & obſcuriores videri, igne tamen, vel Sole, & inclinatione acrius quam cæteros excitari, umbrante tecto purpureos videri, ſub cœlo flammeos, contra radios Solis ſcintillare, ceras liquefacere, aſſerit. Duo etiam facit genera, maſculum, & fœminam. In maſculis ſtellas intus ardere, fœminas univerſum fulgorem extra ſe fundere ſcribit. Quæ omnia potius Granato Orientali, aut Amethyſto, quam noſtris Chalcedoniis videntur convenire.

b Chalcedonius itaque gemma, eſt quaſi per nubem, vel nullo, vel levi aliquo colore tinctam, totumque corpus occupantem ſemiperſpicua, ſcalpturæ propter duritiem contumax. Olim ſub Onyche comprehenſa, cuius ſpecies eſt, appellabatur Onyx candida. Nam candicans veterum Onyx, ſive tranſluceat, ſive non, nunc Chalcedonii nomen apud Europæ populos retinet.

b *De Chalcedonii etymologia plura reperies in Conradi Geſneri lib. de Foſſilibus edit. Tiguri (ut poſt cap. 52. huius libri monuimus) fol. 79. verſo, & in V. Cl. Claudii Salmaſii libro (cap. 62. huius libri citato) fol. 381. Turcæ pro confringendis ſtraminibus, & paleis, utuntur Chalcedonio lapide, teſte Petro Bellonio lib. 1. obſervat. cap. 64. Cuius hæc ſunt verba. Collecta meſſe, frumentum triturant (de Turcis loqui-*

quitur) haud flagellis, ut apud nos, ſed bobus, quemadmodum per univerſam Græciam: idque facientes, aſſeres Chalcedonio lapide munitos poſt ſe trahunt, ut ſtramina & paleas confringant.

CAP. LXXXVIII.

Genera, loci natales, dignitas, & uſus Chalcedonii.

a PLinius, ut dixi, marem à fæmina diſtinguit, ac imbre divino generari, lunaque plena maxime reperiri, olim putatum fuiſſe, atque in Naſamoniis montibus naſci, deinde & apud Thebas in Ægypto, verum prædictis obſcuriores, magiſque fragiles, venoſi & morientis carbonis inſtar non abſimiles, ſcribit. a *Lib.37. cap.7.*

Chalcedonii hoc tēpore in Orientales & Europæos diſtinguuntur. Qui colore aliquo diluti, duri, ac oculis grati ſunt, pro Orientalibus habentur. Tales ſunt in quibus purpura, vel cæruleum quid albo permixtum, aut grata quædam laccæ rubedo (quales apud me complures, qui pro veterum Carchedoniis haberi poſſunt, ſervo) apparet. Qui terreum, aut obſcure candidum habent colorem, cæteris ignobiliores ſunt, ac in tota Germania paſſim inveniuntur. Hos etiam in Belgio circa Lovanium in agro Heverenſi, & prope Bruxellam reperi. Qui flavedine, aut rubedine ingrata tranſparent, etſi pro Orientalibus non habeantur, tamen proxime præcedentes dignitate antecellunt. Tales dicuntur miræ magnitudinis in Lotharingia reperiri, ac ferro percuſſos, auctore Symphoriano Campegio, ſonoros eſſe; adverſus raucedinem utiles, quod vocem clariorem efficiant. Cæteris omnibus præfertur in quo cæruleus, albus, & flavus, ruberque color confuſus apparet, quique Soli expoſitus *In Lotharingia.* *Præſtantes.*

iridis

iridis colore radiorum reflexu oſtentat. Nam diſtinctum colorem rubrum, vel nigrum non habet. Dum ruber adeſt, Sardonyx eſt, dum niger, Onyx. Ex hoc olim pocula illa, & vaſa Myrrhina appellata, quæ tanto in pretio apud Romanos fuerunt, elaborata fuiſſe, quemadmodum ex Sardonyche, & Onyche, ut ſuperiori capite annotavi, non dubito. Olim Sardonyx, & Chalcedonius pro Onyche habiti fuerunt. Hinc fit, ut pocula illa 2000. numero Mithridatis ex omni ſpecie Onychis (ut Sardonyche, Chalcedonio, aliiſque) elaborata, ex Onyche facta fuiſſe ſcribant auctores. Species enim omnes generis nomine continentur. Hoc tempore etiam pocula, effigies Principum, coronæ penſiles, aliaque infinita ex Chalcedonio fiunt. Præcipuus uſus eſt ad ſigilla, quia cera illi non adhæret.

Pocula Mithridatis.

Cap. LXXXIX.

Facultates, vires, pretium, & adulterium Chalcedonii.

COmmendatur Chalcedonius contra omnia atræ bilis ſymptomata, hoc eſt, triſtitiam, timorem, dæmonumque inſultus. Nec deſunt auctores vani, qui geſtanti victoriam (quæ tantum à Deo datur) promittant. Ex India occidentali afferuntur nonnulli modice tranſlucidi, ex albo palleſcentes, nonnulli lacteis zonis diſtincti, quos prædicant appenſos valere ad lactis ubertatem. Hodie propter copiam non magni fit. Si tamen maiora fruſta egregie ſculpantur, nec deſit color inſignis, magno interdum vendi poſſunt: ac non multo viliori pretio quam Sardonyx. Adulterium Chalcedonius vix merc-

meretur. Sic tamen imitaberis. Igni ad colliquefaciendum, Cryſtallum immittes, argenti calcis parum remiſceto, per diêm fornaci immorari ſinito, & habebis.

CAP. XC.

De Onyche, & Camehuia.

ONyx Græcę eſt unguis, unde & nomen gemmæ. Humani enim unguis ſimilitudinem colore, & ſplendore ut plurimum refert. Tranſlucet raro, opaca enim eſt. Conſtat plerumque colore & albo, & nigro, qui à ſe invicem ita diſtinguuntur, ut arte diſtincti videantur. Nigram *a* Plinius Morion Indicam, vel Pramnion vocat. Corneus etiam color in illis ſæpe viſitur cingentibus candidis venis, aut zonis oculi modo intervenientibus. Germanice *Onykel*, Italice *Nicolo* vocatur, quo nomine etiam Sardonychen appellant: confundunt enim has duas gemmas, fortaſſis quia olim etiam ſub Onychis, tanquam generis nomine continebatur. *b Lib. 37. cap. 6.* *b* Plinius Onychen vocat eam, quæ plurimas, variaſque cum lacteis zonis habet venas, omnium in tranſitu colore inenarrabili, & in unum redeunte concentum, ſuavitate grata. Dioſcoridis Onyx, Alabaſtrum eſt, quia id unguis colorem refert. *Alabaſtrum.*

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera pp. Iacobus Dalechampius hanc gemmam putat Morochthum eſſe, quem & Galaxiam, & Leucographida Dioſcorides lib. v. de re medica c. 109. vocari ſcribit. mollis, liqueſcens, dealbandis veſtibus utilis, in Ægypto naſcens.*

Cap. XCI.

Onychis genera, loci natales, & magnitudo.

ONychum genera vel à loco ubi inveniuntur, vel à coloribus diſtinguuntur. Onyx Arabica nigra eſt, candidis zonis, multiſque modis colores in ea componuntur. Dum zona alba imagine ſcalpitur, ac nigra zona loco ſtrati ſubſternitur, à nonnullis Memphites, hodie Camehuia vocatur à Gemmariis, quaſi alia gemma eſſet. Sic albam Onychen hodie Chalcedonium vocant, quam præcedenti capite deſcripſi. Ego hanc differentiam inter Sardonychen, Chalcedonium, & Onychen pono; Quod Sardonyx ſit, dũ Onychi Sardius aut Corneoli rubicundus color diſtincte adiunctus eſt. Chalcedonius, dum abeſt rubicundus, & niger color diſtinctus; nam confuſi, & mixti, quaſi aqua exigua, portiuncula rubedinis vel nigredinis tincta eſſet, adeſſe poſſunt. Onyx vero proprie, dũ adeſt niger, & abeſt rubicundus. Varia itaque Onychum ſunt genera. Aliæ enim nigræ prorſus, aliæ cum albedine, cum fuſco, flavo, lacteo, ſubcæruleo, corneoque colore miram varietatem oſtentant. Omnes, zonas vel lineas habent, quibus colores à ſeſe mutuo diſtinguuntur. Quæ nigerrimo colore tranſlucet, Plinius, ut ſupra dixi, Morion Indicam, vel Pramnion vocat. Iſtius generis eſt forte Obſidianus lapis nigerrimi coloris aliquando, & tranſlucidi craſſiore viſu, ex quo gemmas multi faciunt. Habetur in Æthiopia, traditurque in Hiſpania naſci prope Oceanum, Plinio teſte. Nunc vix conſtat quis ſit iſte lapis. Ego pro Onyche non habeo, quæ zonis, aut lineis albo colore tinctis caret. Hiſpania hoc tempore mittit calculos nigros ſplendẽtes, zonis

Memphites. Camea.

Differentia inter Sardonychen, Chalcedoniũ, & Onychen.

Morion. Pramniõ. Obſidianus lapis.

Onyx in Hiſpania.

nis candicantibus interſectos, quorum pulvis in pollinem redactus, cum vino propinatur, non ſine fructu ad calculum. Ex India Occidentali lapis quidam niger adfertur, quem aliqui etiam inter Onychum genera haberi volunt. hic ſulcis cælatur, imoque ventri affigitur cucurbitularum inſtar, ad ilei dolores. Sed nec hunc, quia zonis caret, pro Onyche habeo. Reperiuntur omnia genera in India, Arabia, Armenia, Ponto, America, & Europa. *Lapis ad Ileum.*

Cap. XCII.

Magnitudo, dignitas, valor, & uſus Onychis.

Tantæ interdum magnitudinis eſt Onyx, ut columnulæ inde fieri poſſint. Romæ enim in Baſilica S. Petri ſex columnulę Onychinę conſpiciuntur. Coloniæ Agrippinæ in templo trium regum, referente Agricola, Onyx extat latior palmo, candidis venis ſic diſtincta, ut duorum iuvenum capita exprimat, ac rurſus aliis nigris, ut ſerpentem effingat. Appianus quoque teſtatur Mithridatem Ponti regem circiter duo millia poculorum ex Onyche in ſuo theſauro habuiſſe. Verum non ſolum ex Onyche, ſed Sardonyche, & Chalcedonio factitata fuiſſe certum eſt, cum Sardonyx, & Chalcedonius apud veteres pro Onyche haberentur. Onychina pocula apud Romanos Myrrhina vocabantur, ut præcedentibus capitibus admonui. Quanta autem Myrrhina vaſa fuerint in dignitate, ex variis auctoribus colligere licet. Nunc etiam in pretio ſunt, nō ſolum pocula, ſed ſtatuæ, effigies ac imagines, quæ ex Onyche elaborantur. Onychen tamen Sardonyx pretio ſuperat. Cæteros omnes valore, & dignitate vincunt, qui ſubcærulei ſunt, ac in imo nigredinē habent; à Iudæis inprimis expetitæ. Nam apud *Myrrhina vaſa quæ ſint.*

cos in magna exiſtimatione eſt Onyx, fortaſſis quia una fuit ex 12. illis gemmis, quæ rationali Aaronis inſertæ fuerunt. Quanquam hac de re nihil certi conſtitui poſſit; cum auctores multi aliam gemmam quam Onychen fuiſſe exiſtiment. Iudæi tamen traditione continua Onychen eam quæ ſubcærulea eſt, tanquam unam ex numero 12. gemmarum colunt, ac propterea magni faciunt, tantique quanti Sardonium; imo pluris aliquando æſtimant. Pocula, ſtatuæ, ac imagines ex Onyche, ſatis caro pretio venduntur, alias raro cælaturæ pretium excedunt, ſubcæruleis tamen exceptis, qui ut cæteris digniores, ita interdum caro pretio divenduntur, quod venditor pro emptoris luxu & appetitu ſtatuit. Poſteriores iſti figuris convexis elaborari ſolent, tumque Camei, vel Chamehuiæ vulgo vocantur.

Iudæorũ Onyx.

Camei.

Cap. XCIII.

Natura, facultates, & vires Onychis.

Onychis vires.

Onyx ceram non recipit, propterea nunc, ut olim, ad ſigilla aptiſſima eſt. Mentis paſſionibus conducere, ſenſuſque vivificare creditur; quanquam alii collo ſuſpenſam Onychen triſtitiam, & timorem, aliaque melancholica ſymptomata excitare ſcribant, eamque vim, Sardæ, aut Corneoli præſentia refringi. Comitiales etiam paroxyſmos creditur impedire. In globulum politum redacta, oculoque impoſita, ut aliæ gemmæ læves omnes, pulverulenta, & quævis alia, quæ in oculum inciderunt, ſi hinc inde volvatur, una ſecum educit. Ignem ex illa excuti ut ex cote aiunt, ac affrictu ita calefieri, *a* ut vix credi poſſit.

Ad comitiales.

a De

a *De Onyche plura tradunt Georgius Agricola lib.* VI. *de Natura Foſſilium Cap.* XX. *Andreas Cæſalpinus de Metallicis lib.* 2. *Cap.* 26.

CAP. XCIV.

Imitatio Onychis, ſeu adulterium.

ONyx ſimplicior vix unquam ſolet ab aliquo imitari. Illa vero quæ corpus album à nigro diſtinctum habet, quam ſæpiſſime: ut nempe cælata, poſtea pro Cameo divendi poſſit. Fit autem hoc modo: conchæ parvæ marinæ, quibus mulieres Italicæ ad fucum utuntur, in pollinem redigantur, ac in ſuccum limonum, aliquoties per filtrum depuratum, ponantur, ita tamen ut ſuccus tribus aut quatuor digitis ſupra natet. Sinatur ita per decem dies ſuccus bene coopertus in calore. Poſtea effunde ſuccum, reſidentiam aqua elue, ac tere in Porphyritide albumine ovi, prius optime conquaſſato, ac in formas proiicito. Poſtea non formatam partem externam optime expolito, ut ſupra ſtratum nigrum optime & dextre collocari poſſit, & fraus non cuivis facile innoteſcat. Inter terendum alii colores optime triti addi poſſunt, ita ut Sardonyx hac ratione etiam fingi poſſit, nec minus aliæ gemmæ, aliive lapilli pretioſi. *Camei imitatio.*

CAP. XCV.

De Achate.

PRoxima forma & coloribus Onychi Achates. Onyx zonis ornata eſt, Achates nequaquam. Nam loco zonarum lineis, aut maculis variis coloribus, quæ variarum rerum imagines exhibere videntur, à natura mirabili modo exornatur. Inveni- *Differentia ab Onyche.*

niuntur enim quæ nemora, flumina, arbores, animalia, fructus, flores, herbas, nubes, & quicquid excogitari poſſit, non obſcure referant. Celebratur ab auctoribus Pyrrhi regis Achates, in qua ſpectabantur novem Muſæ, & Apollo cytharam tenens, non arte, ſed ſponte ita diſcurrentibus maculis, & coloribus, ut Muſis quoque ſingulis redderentur inſignia, non ſecus ac ſi arte elaborata fuiſſet. Huic ſimilis eſt Achates quam refert *a* Camillus Leonardus Piſaurenſis ſe vidiſſe. Quæ ſeptem arbores in planitie collocatas pulcherrime referebat. Ego apud me ſervo Achaten, quæ non maior ungue medii digiti, circulum ita exacte fuſco colore notatum habet, ut circino perfectior exarari non poſſet. In circuli medio Epiſcopi cum mitra effigies exacta apparet. Deinde ſi paululũ invertatur, alterius imago viſitur. Quod ſi iterum vertatur, duæ imagines apparent, & mulieris, & viri; alioque modo inverſa adhuc alia: ita ut aliquot effigies mirabili naturæ artificio in illa conſpiciantur. Sed aliquæ ita leviter coloribus tinctæ ſunt, ut perſpicacem oculum deſiderent.

Pyrrhi Achates.

Achatis mira forma.

Differt Achates à Iaſpide duritie, & lævore. Iaſpis enim etſi omnes colores habeat, quos Achates, tamen mollior eſt, ac ex craſſiori terreſtri materia conflata, & Achate magis opaca, quæ ex tenuiori conſtat: ob quam cauſam exacte poliri à ſculptoribus poteſt. Iaſpis ſemper pulverulentum quid in ſe habere videtur, neque alia differentia eſt inter Iaſpidem, & Achaten. Interdum Achates ſemitranſlucet. quod in ea laudatur.

Differentia à Iaſpide.

a *Libro 3. Cap. 3. Specul. lapid.*

CAP

CAP. XCVI.

Genera, loci natales, & magnitudo Achatum.

QUia infinitis coloribus variat Achates, hinc fit multa nomina apud veteres habuiſſe. Vocatur enim Phaſſachates, Sardachates, Hæmachates, Cerachates, Leucachates, Dendrachates, Antachates, & Perileucos, Leonina, quæ leonis pelli ſimilis eſt, ac Italis *Brocatella* vocatur. Nomina partim à colore, partim à forma quam referunt, partim ab aliis gemmis, quibus admixta eſt Achates, dantur. Ab adnata illi Sarda, Sardachates, à colore albo Leucachates, à forma arboris quam refert, Dendrachates vocatur, & Corallachates à Coralli forma. *Brocatella.*

Omnium pulcherrimas Achates nobis India mittit. Primum in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis dicuntur inventæ. Nunc in Germania ſub ditione Landtgravii à Lichtenberg, non procul ab oppido Schindthutten, magna illarum copia invenitur, quæ ita interdum excellunt, ut cum Orientalibus certare poſſint, & pro iis vendantur. Verum tales non ita paſſim ſeſe offerunt. In agris reperiuntur. In Bohemia etiam non procul ab Argentina civitate Leucachates, punctulis nigris, vel purpurei coloris inſperſis, quæ elegantiſſima eſt, reperitur. Achates tanta mole excreſcit, ut pocula, & ſcyphi inde fieri poſſint. Piſis duæ cruſtæ ovatæ amplitudine ferme cubitali ad monumentum Gregorianum in campo Sancto dicuntur extare.

Cap. XCVII.

Natura, facultates, & proprietates Achatis.

OMnem Achaten venenis peſtiferis, viperarum, atque ſcorpionum ictibus adverſari tradunt complures. *Ad cor, & contagia.* Cor enim recreat, ac adverſ⁹ omne genus contagii tuetur. *Ad febres.* Sitim Achates ore contenta, manuque detenta febrientium æſtus non obſcure compeſcit. Narratur aquilam nido ſuo Achaten imponere, ut pullos contra animalium venenatorum morſus tueatur. *a* Scribunt aliqui rubram Achaten viſum acuere, ac ab omni iniuria defendere.

a *De Achate multa Orpheus lib.* περὶ λίθων, *laudes eius quater repetens, quaſi gemmæ maximæ dignitatis. Idem Pſellus de Lapidum virtutibus (poſt caput 4. huius libri citatus) affirmat, Achatem oculorum fluxionibus, & capitis doloribus mederi, & ſiſtere mulierum menſtrua, adverſarique omni humidæ hydropiſi, tantumque virtutis ſiccificæ ei ineſſe, ut & aquam ebibere poſſit, & vas vacuum relinquere. Quod ultimum falſum exiſtimo.*

Cap. XCVIII.

Dignitas, valor, uſus, & fictio Achatis.

OLim in magna auctoritate fuit Achates, nunc multum dignitatis propter copiam illi diſceſſit, ut ſolent quæ nobis familiaria ſunt in contemptum venire. Nihil enim charum niſi rarum. Pocula adhuc hodie ex Achate fiunt, quæ ſi ex eleganti, ac ſemiperſpicuo Achate elaborata ſint, ſat magno æſtimantur pretio, nec viliores ſunt Sardonyche.

che. Vidi fruſtum duarum palmarum latitudine, cui Iulii Cæſaris imago, ac uxoris ipſius ita artificioſe olim inſculpta fuerat, ut octo millibus thalerorum venditum fuerit. Sed antiquitas operis augebat pretium. Utuntur hodie Achate ad coronas precarias, quæ etiam virginum colla & pectora exornant in Belgio. Ibi enim loco aurearum catenarum in luxu ſunt, propter miram, quam habent variis coloribus, elegantiam. Onychis pretio æſtimantur, ſi vero colores obſcuri, aut aliis vitiis maculentur, illis viliores ſunt. Artifices hanc vitro imitari ſolent, cui diverſos immiſcent colores. Sed facillime deprehenditur fraus, quod Achates limam reſpuat, ac illius ſuperficiei propter lævorem ſordes non adhæreant.

Cap. XCIX.

De Beli Oculo, ſeu Oculo Cati, & Leucophthalmo.

Differt hæc gemma multum à Pſeudopalo, quæ *a* Cardano Ocul⁹ Cati appellatur, & à *b* Garſia ab Horto deſcribitur. Quia hæc prorſus opaca eſt, & Achatis ſpecies, peculiare tantum nomẽ habens, quia figura oculi, quaſi arte depicta in ea diſtinctis coloribus apparet. Corpus enim gemmæ album eſt, in cuius medio nigrum quid pupillæ inſtar, ab iride dilutioris coloris obcingitur, ut plane Oculus videatur. In Pſeudopalo non ita colores diſtincti ſunt. Sed quia ex parte pellucet, ac intus colores aliqui ut in oculo felis vel cati ſcintillant, nomen hoc illi datum eſt. Solet hic maiori pretio quam Achates divendi, quia non tanta copia haberi poteſt. Oculis inprimis putatur ſalutaris, quia eos ab omni iniuria tuetur, ac à pulveribus, aliiſque ſordibus liberat, ſi illis imponatur, & huc illuc vol-

Pſeudopali differentia à Beli oculo.

vatur. Una enim omne impedimentum educit. Fuit Beli Oculus olim Aſſyriorum Deo dicata.

Lycophthalmus. Huic ſimilis videtur Leucophthalmus (ego lego Lycophthalmus) gemma de qua *c* Plinius lib. 37. cap. 2. rutila alias, oculi ſpeciem candidam, nigramque continet. Et mox ſequenti capite: Lycophthalmos quatuor eſt colorum, ex rutilo & ſanguineo in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia ſimilis. *Triophthalmos.* Triophthalmos *d* Plinii tres oculos habet, & proculdubio ad Achatis ſpecies referenda eſt. Nam interdum oculorum effigie luxuriant.

a *Libro* VII. *de ſubtilitate.*
b *Libro* 1. *Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap.* 54.
c *Hic Plinii locus male ab Auctore eſt citatus. nam habetur lib.* 37. *Naturalis hiſtoriæ cap.* x. *littera m m.*
d *Libro* 37. *cap.* XI. *littera b.*

Cap. C.

De Iaſpide.

IAſpis, ut dixi, ab Achate non differt, niſi quod mollior ſit, & propterea non ita exacte poliri ut Achates poſſit. Cauſa eſt, impurior & craſſior terreſtris materia unde coaluit. Omne genus coloris recipit ut Achates. Notiſſima gemma eſt, neque tam perſpicua, quam Achates, ut plurimum viridis. Quo Smaragdo vicinior, eo nobilior.

Cap. CI.

Genera, loci natales, magnitudo, & mixtio cum aliis gemmis.

PRopter colores varios quos habet Iaſpis, diverſa habet nomina, aut in diverſa genera diſcernitur. A lo-

A loco ubi reperitur, etiam illi nomina data ſunt. Deinde à commixtione cum aliis gemmis, à fumi, terebinthinæ, aëris, & roſarum colore, Capnitis, Terebinthizuſa, Aërizuſa, & Roſea vocatur. A loco natali Thermoduntiaca, Phrygia, Thracica, Chalcidica, Aſſyria, (alias Grammatias, vel Polygrammos virens, & Smaragdo quadantenus ſimilis pellucēs, craſſiori tamen materia, purpureum quoddam in ſe continens, albaque linea interdum ſignata) Perſica, Cappadocica, Indica, Cypria, Americana, & Germanica vocatur. A commixtione cum Achate Iaſpachates; cum Onyche illa quæ nivem imitatur, ac Cryſtallo ſimilis eſt, (quā hodie Chalcedonium vocant) Iaſponix à Plinio appellatur. Quæ cum Sarda miſcetur, Sardo-Iaſpis dici poteſt. Cū variis enim gemmis coaleſcit. Habeo unam quæ Amethyſtum, Sardam, Chalcedonium diſtinctis locis in ſe habet. Invenitur in multis Germaniæ locis. Coræ in Miſnia effoditur ſanguineo & flavo colore, ad Strygam è duobus Lygiorū montibus Turcoidi non abſimilis, (Borea forte Plinii) & ad Salam nigra rubens, item ad pagum Cauffungam rubra, ſed ſpuria, multiſque aliis in locis extrahitur. In Bohemia rubras, ſanguineas, purpureas, albas, variiſque coloribus intermixtas, ac pulcherrimas, mirabilique naturæ artificio compoſitas, collegi quamplurimas. Tanta mole reperitur, ut magnæ ſtatuæ ex ea elaborari poſſint. *Borea.*

Cap. CII.

Natura, facultates, & proprietates Iaſpidis.

IAſpidi ratione coloris ab auctoribus diverſæ facultates tribuuntur. Rubicunda mirifice ſanguinis fluxum cohibet, non ſolum à naribus, & hæmor- *Ad ſanguinis fluxum.*

morrhoidibus, verum è vulneribus fluentem. Sed ea eligenda, quæ ſanguinis inſtar, per totum corpus abſque alio colore rubet. Teſtari poſſum, me, qui alias lapidibus, & gemmis tantas vires, quantas vulgus ſolet, nõ tribuo, cum in Phryſia Orientali apud Illuſtriſſimum Baronem à Kniphauſen ad aliquod tempus degerem, credibile vix de Iaſpidis viribus obſervaſſe. Nam cum ancilla dominæ fluxu menſtruorũ ita laboraſſet per aliquot dies, ut nullo modo ſiſti poſſet, Iaſpidem rubram, quam Dominus multis annis, ut aiebat, apud ſe habuerat, impolitam & rudem femori alligari iuſſi. Quo facto, ſubito menſium fluor ſubſtitit, nec rediit. Alius ex ipſius familia cum in pede vulneratus eſſet, nec ſanguinis fluxus cohiberi poſſet, admoto lapide, extemplo impeditus fuit, licet vulnus non tegeretur. Memini me virginem Pragæ curaſſe, quæ ſex annis hæmorrhagia laboraverat, ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret quin aliquoties illi ſanguis efflueret. Hæc cũ nullis remediis iuvari poſſet, à me conſilium petiit. Qui prætermiſſis aliis omnibus, quæ à medicis præſcribi ſolent, utpote quibus ad nauſeam iam diu uſa fuerat, Iaſpidem, cuius facultas ad huiuſmodi ſymptomata mihi experientia nota erat, illi commodatò do, ut collo appenſam gerat. Paret illa, ſanguiniſque fluxus ilico ſiſtitur. Geſtat per aliquot hebdomadas, nec rediit fluxus. Cum itaque ſe prorſus curatam opinaretur, deponit gemmam: poſt paucos dies redit fluxus: iterum appendit Iaſpidem, cuius beneficio mox liberatur. Cum vero ſingularem huiuſmodi facultatem & divinam miraretur, (ut mihi retulit) experiundi gratia aliquoties à collo depoſuit gemmam, ac ſemper animadvertit redire fluxum, nec curari, quin iterum appenderet. Obſervavit tamen,

Experiẽtia Iaſpidis.

non

non ſtatim ſepoſita Iaſpide redire, ſed poſt multas prius elapſas hebdomadas; appenſa tamen, ſtatim ſiſti, ita ut nulli aliæ cauſæ fluxus inhibitio aſſcribi ab illa potuerit quam Iaſpidi. Tandem cum per aliquot menſes à corpore gemmã depoſuiſſet, nec unquam hæmorrhagia rediiſſet; mihi gemmam reddidit, ac affirmavit per ſemianni ſpatium ſe liberam fuiſſe. Poſtea cum illam ſæpius convenirem, affirmavit non redire amplius fluxum, ac ſe omnino curatam eſſe. Tribuunt alii etiam viridi Iaſpidi, quæ maculas rubicundas habet, hanc facultatem, ſed ego quod multoties expertus ſum refero. *a* Viridis collo ita appenſa, ut circa ventriculi orificium pendeat, ſtomachum firmare, nauſeam vomitumque prohibere, ac calculos urinamque pellere traditur. Iaſpis omnis conceptum firmat, partumque femori alligata promovet. Geſtata febres & Hydropes, quæ vel à debili concoctione, vel à ſanguinis nimio fluxu oriuntur, ne fiant, corroborando ventriculum, & ſanguinem ſiſtendo, prohibet. Novus medicus etiam epilepſiam viridem Iaſpidem arcere affirmat, idque & nunc à multis aſſeritur, qui ſi circa enſiformem cartilaginem per diem & noctem ab epileptico geſtetur, aiũt, ſi ſudore corripiatur, liberari à paroxyſmo, ſin minus, emori, idq; multoties fuiſſe probatum. Vires has omnes augeri putant, ſi argento includatur, non alteri metallo. Cogitationum etiam tumultum, inconſtantiam, quæ ex ſanguinis impetu oritur, prohibet. Calculi etiam generationem ſi portetur omnino arcere vulgo creditur. In quem ſcopum inſculpitur illi ſcorpionis figura ea hora, qua Sol ſcorpionem ingreditur. Hoc enim tempore dum ſcalpitur putant à cœlo peculiares vires ad calculum prohibendum ſuſcipere: ſed figuram, quę neque

Ad impediendum abortum.

Ad epilepſiam.

Ad cogitationes.

Ad calculum.

neque qualitas, neque ſubſtantia eſt, aliquid poſſe, & ſuperſtitioſum, & ſtultum eſt exiſtimare, ut ſuo loco in titulo quales vires gemmę habeant explicavi. *Grammatias.* Iaſpis Grammatias, aut Polygrammos appellata, quæque virens Smaragdo perſimilis eſt, ac purpureum in ſe quid continere videtur, albaque cingitur linea, ad venena quævis, ut & aliæ omnes *Ad venena.* ad venena quævis, pro amuleto geſtatur. Grammatias ſi albas duas lineas decuſſatim, ut crucis figuram referant, habeat, prædicatur ferentem contra aquæ iniurias, & ſubmerſionis periculum tueri. Cruciferæ Iaſpides quæ in Miſnia inveniuntur virides, quales multos in ſcrinio rerum exoticarum apud ducem Saxoniæ vidi, eandem ad aquæ pericula dicuntur habere facultatem. *Cruciferæ Iaſpides.* Caſum impedire & excipere Iaſpidem geſtatam, ac ſudorem compeſcere, multi credunt. Iaſpis drachmæ pondere devorata menſes ſiſtere ſcribitur.

a *Aëtius lib.2.tetrabibl. cap.18. Iaſpidis viridis meminit. Cuius hæc ſunt verba: Iaſpis viridis proprietate quadam, velut alia multa, collo ſuſpenſus ſtomachum & os ventriculi iuvat, annulis quoque quadam imagine inſculptus alligatur, ſicut Nechepſon Ægyptiorum Rex prodidit: ego autem experientia compertum habeo, amuletum ex eo collo alligatum, ut os ventriculi attingat, nihil ſegnius agere, ac ſi imaginem ſculptam habeat, quam tradit Nechepſon. Auctor noſter, (cap.26.lib.1.) ut Aëtius, optime animadvertit, rationibuſque ſummis probat, Imagines, & characteres, nullas vires lapidibus infundere.*

Cap.

CAP. CIII.

Dignitas, uſus, valor, & imitatio Iaſpidis.

IAſpides propter colorum varietatem, & elegantiam, variaſque imagines quas exprimunt, quibus tanquam picturis ludit natura, ut olim non in minori auctoritate quam Achates fuere, ita & nunc niſi in tanta copia reperirentur eſſent. Olim Grammatias quæ apud Indos reperiebatur, ac aliquid purpurei admixtum interiecta alba linea habebat, cæteris præferebatur. Secundum locum habebat quæ roſeum quiddam nacta erat. Tertium quæ Smaragdum imitabatur. Quartum quæ ſereni cœli colorem referebat. Nunc Orientalis Iaſpis, quæ ſubcæruleo, viridique colore obſcura, ſanguineis punctis conſperſa eſt, cæteris omnibus præfertur. Hæc ſi ſemiperſpicua eſt, vulgo Heliotropii nomen habet. de quo Iaſpide ſequenti capite agam. Iaſpis ad ſigilla, hominum effigies, cochlearia, pocula, cultrorum capulos, coronas precarias, variaſque res alias formandas, in uſu eſt. Iaſpis Achatis pretium non ſuperat, quia illius elegantiæ cedit. Quæ tamen à natura variis coloribus, figuris, aut imaginibus ornata eſt, venditoris arbitrio æſtimatur. Habeo tales quam plurimas, quæ mihi tam gratæ ſunt, ut iuſto, & ordinario pretio non ſint venales. Vidi in ſcrinio Imperatoris Rudolphi Secundi Domini mei clementiſſ. quaſdam, nemora, paluſtria loca, arbores, nubes, & flumina ita naturaliter referentes, ut procul aſpicienti non lapis, ſed pictura putetur. Hæ ab Imperatoria Maieſtate in tanta auctoritate ſunt, ut ex compluribus, quæ diverſos colores habent, invicem rite applicatis, menſæ ſupremum folium extrui iuſſerit. Id variis gemmis exornatum,

Heliotropius. *Vſus.* *Pretium.* *Menſa Rudolphi II Imperat.*

natum, variorum locorum, fluminum, arborum, montium, civitatum, ac nubium figuras, picturæ inſtar ita exacte refert, ut non ſatis quis naturæ artificium, & artificis diligentiam ſolertiamque admirari poſſit. Iaſpides enim ita connectere potuit, ut connexionis lineæ vel non appareant, vel ad rem faciant, picturæque munere, dum extremos arborum, ædificiorum, vel montium ambitus faciunt, fungantur. Multis annis laboratum fuit ut opus dictum abſolveretur. Id cum pretioſiſſimum ſit, quia multis aureorum millibus conſtat ac admirandum, quod naturæ artificium, ac artificis ſolertiam oſtentet, inter mundi miracula recenſeri, ac cum templo Dianæ Epheſiæ comparari abſque iniuria poteſt. Iaſpides itaque ut aliæ gemmæ, quæ figuras ſibi à natura inditas habent, inæſtimabiles ſunt, ac venditoris arbitrio pretium illarum committendum eſt. Iaſpis quia copioſe invenitur imitationem non meretur. Imitari tamen vidi à milite Haſtato Imperatoris ita artificioſe, ut non niſi duritie cognoſci potuerit. Credo ex gypſo, calce, lapidum pulvere, & ſero lactis, addito glutine maſſam fuiſſe. Hanc variis tingebat coloribus, deinde dum pro menſæ folio Iaſpidem imitari vellet, inter quatuor ligna quadrangula, ne ad latera efflueret materia, ponebat maſſas variis coloribus tinctas, pultiſque inſtar diffluentes, atque antequam indureſcerent, bacillo hinc inde ducto movebat, eoque modo colores, tanquam per anfractus, ducebantur, venaſque naturales Iaſpidis referebant. Poterat idem artifex quas volebat figuras ita formare: imo lapidem à ſe factum & politum excavare, ac fruſtum alterius coloris ad libitum inſerere, quod ita coaleſcebat, quaſi ab initio illi commixtum fuiſſet. Ex huiuſmodi artificioſis lapidibus colum-

Imitatio Iaſpidis.

næ, ac ſtatuæ fieri poſſunt, multò elegantiores Iaſpidibus, quas longa ætas duriores reddit. Fortaſſis antiqui ſimili uſi ſunt artificio.

CAP. CIV.

De Heliotropio.

HEliotropius gemma à Sole nomen habet, ἥλιον Solem, τροπὴν verſionem ſignificat. Cauſam nominis explicat *a* Plinius, quia videlicet in vas aquæ proiecta, fulgorem Solis accedentem percuſſu ſanguineo mutat, maxime Æthiopica. Gemma eſt viridis, ſanguineis punctis vel venis diſtincta, ac hodie Iaſpis Orientalis vocatur, apud nonnullos priſtinum nomen retinet, præſertim cum ex parte tranſlucet. Hac enim ratione peritiores gemmarii à Iaſpide diſtinguere volunt.

a *Lib.*37, *cap.*10.

CAP. CV.

Genera, loci natales, magnitudo, & quomodo naſcatur Heliotropius.

VIlioribus Iaſpidibus, & Praſiis adnaſcitur, vel innaſcitur: aliquando mater Praſii, vel Smaragdi, aliarumque viridium gemmarum eſt. Aliquæ ſunt Indicæ, Æthiopicæ, Africanæ, & Cypriæ, teſte Plinio. Germania & præcipue Bohemia illis non caret. Afferuntur etiam ex India Orientali. Tanta magnitudine reperiuntur, ut ſarcophagi, quibus mortuorum corpora teguntur, inde excindi poſſint. Vidi enim in cathedrali Eccleſia D. Donatiani nobiliſſimæ urbis Brugenſis patriæ meæ, poſt ſummum altare, huiuſmodi Heliotropium. Ea

Heliotropii magnitudo.

Bruga.

ex Italia advecta fuerat, ac poſtea, cum, qui ſe reformatæ religionis vocant, templa ſpoliarent, furto ablata eſt. Paucis hæc gemma nota erat.

Cap. CVI.

Dignitas, valor, & uſus Heliotropii.

LApis iſte, aut gemma, ſi à Iaſpide diſtinguitur, maiorem habet Iaſpide auctoritatem, niſi illa imaginibus à natura formata ſit; tum enim, ut dixi, quovis pretio æſtimari poteſt. Poculum ex hoc lapide efformatum 200. thaleris vendi poteſt. Minores duplo cælaturæ pretium raro excedunt, hac ratione Iaſpidibus vulgaribus paulo nobiliores. Ex hac gemma, ut ex Iaſpide, varia efformantur.

Cap. CVII.

Natura, facultates, vires, & imitatio Heliotropii.

PLinius ait, ut antea monui, gemmam hanc in vas aquæ deiectam, fulgorem Solis accedentem, percuſſu ſanguineo mutare. Alii poſitam in aqua radiis Solis oppoſita, efficere, ut illa ebulliat, ac in nebulam verſa, poſtea in guttas pluviales reſolvatur. Nonnulli etiam exiſtimant impedire, quo minus geſtans, à præſentibus conſpiciatur, quod tamen Plinius, à magorum impudentia fictum, non approbat. Certum enim eſt nullam gemmam id efficere naturali ſua facultate poſſe. Effectus etiam prædicti de Sole à noſtri ſeculi Heliotropio non fiunt, ita ut veterum Heliotropius vel alia fuerit, vel illi falſo huiuſmodi facultates adſcriptæ fuerint.

Hodiernam Heliotropium, omnes vires Iaſpidis habe-

habere, nemini dubium eſſe debet. Venenis enim reſiſtit, ſanguinem undecunque fluentem ſiſtit, calculi generationem prohibet, ventriculi coctionem auget, & epilepſiam arcet. Fingitur ut Iaſpis, ſed rarius, quod variis imaginibus, & coloribus non luxuriet ut illa. Dum viridi colore, ac ſanguineis guttulis caret, Heliotropii nomen non habet, & ad aliud genus gemmæ referri debet.

CAP. CVIII.

De lapide Nephritico. Osiada

UT Heliotropius inter Iaſpidis ſpecies numeratur, ita etiam lapis Nephriticus. Deinde ut variis coloribus Iaſpides habentur, ita etiam lapides Nephritici. Ea differentia inter Iaſpidem, & Nephriticũ ſtatui poteſt, quod hic durior ſit Iaſpide, & nunquam quicquam rubedinis in ipſo conſpiciatur: deinde quod non exacte poliri poſſit. Semper enim ipſius ſuperficies pinguis quaſi oleo inuncta eſſet, videtur. Raro hic lapis in ſe duos colores habet: plerumque uno tantum colore, etiamſi magnus ſit, tingitur, ac fere ſemper is color in ipſo ſpectatur, qui ex albo & viridi ſimul mixtis coaluit. Dum in planitiem non craſſiorem minimo digito redigitur, obſcure tranſparet. Vocatur ab Italis *Oſiada* à ſciatica, quod geſtatus illam curare credatur. Belgice *ein kalsvvee*, & Germanice *ein kalſſuvvyn*, Gallice *vne Siadre*, corrupto vocabulo Italico.

Cap. CIX.

Genera, loci natales, magnitudo, & quomodo naſcantur.

SI colorum diverſitas varia genera conſtituit, varia erunt Nephritici lapidis genera. Inveniuntur enim ex albedine vireſcentes. Viriditas autem interdum ſubflava, interdum ſubcærulea videtur. plerumque ex viridi, albo, flavo, cæruleo, & nigro colore mixtio eſt; non quod omnes iſti ſimul miſceantur, ſed aliqui tantum. Hinc fit tam diverſi coloris inveniri. Habeo apud me multa genera, inter cæteros unum Cryſtalli inſtar, ſed alba nubecula perſpicuum, quem à viridiori, cui adnatus erat, ſeparari iuſſi. Solet Iaſpidi, aut Praſio interdum adnaſci. Sæpius tamen ſolitarius (ut Cotes in agris) coaleſcit. Tanta mole invenitur, ut pocula inde fieri poſſint. Adfertur ex nova Hiſpania. In nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, & in Bohemia reperitur, ſed paucis adhuc notus eſt. Quia à lapidariis imperitis, vel pro Smaragdo Praſio, vel pro Iaſpide habetur.

Cap. CX.

Natura, proprietates, facultates, dignitas, valor, & uſus Nephritici lapidis.

ETſi Nephriticus lapis inter gemmas locum habere non deberet, quia viſui non adeo grata eſt, tamen propter mirandam & ſtupendam multorum experientia approbatam facultatem, ſummam habet apud Principes & Regulos auctoritatem. Vidi fruſtum apud gemmarium Imperatoris Rudolphi Domini mei clementiſſimi, mille ſexcen-

tis

tis thaleris coëmptum, ex quo poculum ſatis amplum formatum fuerat. De hoc lapide hæc ſcribit Nicolaus Monardes medicus Hiſpalenſis. Nephriticum lapidem geſtant Indi variis formis effigiatum, alios piſcium forma, alios avium capitibus, alios pſittaci roſtris ſimiles, nonnullos rotundos ſphærularum modo, atque omnes perforatos, quoniam Indi eos appenſos geſtare etiam olim, adverſus Nephritidis aut ſtomachi dolores, in quibus morbis valde commendatur, ſolebant. Sed eius præcipua laus eſt ad Nephriticos dolores, & calculum expellendum, & arenulas. Nobilis mihi notus unum habet, cui nullum alium comparandum vidi. nam eum brachio geſtans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut metuens ne ei noceat tanta eiectio, interdum eum deponat, nullumque amplius calculum eiicit. Sed cum dolor eum premit, denuo eum geſtat, & ſtatim levatur, aut minuitur dolor, multarum arenularum, atque etiam calculorum expulſione. Ea etiam facultate præditus eſt, ut ab eiuſmodi dolore præſervet geſtatus, renum calorem mitigando. Duciſſa Beiar ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide ſibi confecit, quam perpetuo geſtat. ex eo tempore, quod decennium ſuperat, eo dolore nunquam vexata eſt. Alii multi ſenſerunt idem levamen. eamque ob cauſam magno in pretio ſunt huiuſmodi lapides, nec, uti initio, tam facile acquiri poſſunt; quod ſoli earum provinciarum Reguli, & Domini eos poſſideant, nec immerito, cum tam admirandæ ſint illorum facultates. Hactenus Monardes. Ego Nobiliſſimum virum N. Dammannum ordinis aurei velleris Heroaldum (cuius atavi, noſtræ familiæ ante multos annos iuncti fuerunt, & propterea agnatum meum) ſæpe

Ad Nephritin.

referentem audivi, ſe Nephritico lapide, quem à fratre in aula Philippi Hiſpaniarum regis degente acceperat, plurimos qui nullis medicamentis curari poterant, ſubito lapide brachio admoto circa carpũ, ubi interna manus pars initium habet, non ſine medicorũ admiratione curaſſe. Erat lapis obſcure viridis, opacus non ſecus ac ſi quis viridi colori nigrum immiſcuiſſet. Punctula etiam nigra in ipſo ut in Ophite conſpiciebantur. Argento illum includi iuſſerat; ita enim maiorem facultatem habere aſſerebat. Iſtum omnibus aliis quos habebat præferebat. Pragam miſſus ab Hiſpaniarum rege ut aurei velleris ornamenta offerret principi Tranſilvaniæ, venalem caſu invenit Nephriticum lapidem, vitriolo vulgari colore & tranſparentia ita ſimilem, ut vitriolum videretur. Efformatus is erat inſtar columnulæ ad longitudinem medii digiti, teres, in altera extremitate duabus anſulis munitus, ut adhærere facilius poſſet carni inſertus. Nam hunc eſſe illum lapidem, quem nobiliores Braſilienſes cum in publicum prodeunt, labiis ab adoleſcentia perforatis imponunt, aſſerebat. Quod profecto ſolerti coniectura coniecit. Omnibus enim notis reſpondet illi, qui à Geſnero deſcribitur, & quem Oripendulum appellat. Ab hoc Iaſpide fruſtulum abſcindi iuſſit, quod mihi dono dedit, ac pro Nephritico habebat. Pſeudoſmaragdi, aut Praſii genus potius videtur. *a* An vero Nephriticus lapis urinæ movendæ facultatem habeat, ut ille aſſerebat, nondum mihi conſtat.

Oripendulus.

Lapides Nephritici in magno pretio ſunt, quia non facile haberi poſſunt. Vidi non maiores ſemithalero qui 100. coronatis æſtimati fuerunt. Pro illorum viribus augetur pretium. Brachialibus inſeri ſolent, ad mulierum ornamenta, morboſque

arcen-

arcendos, ut aliæ gemmæ, quas ſanitatis appellant. Imitatio inutilis eſt, cum non elegantiæ, ſed virium cauſa appetatur.

a *Clariſſimus D. Augerius Clutius Medicinæ Doctor, & Botanicus inſignis apud Amſterodamenſes, totum libellum de Lapide Nephritico, ſive* Calſwee, *eiuſque facultatibus edidit.*

CAP. CXI.

De Malachite, vel Molochite.

MOlochites ad Iaſpidis, vel Praſii ſpecies referri poteſt. Opaca eſt malvæ inſtar viridis, unde nomen habet. Malva enim Græce μαλάχη vocatur. Venis albis plerunque ornatur, cæruleuſque color intermixtus illi gratiam dat; ater, quo ſæpe maculatur, illam deturpat. Invenitur in Cypro, in Miſnia, & comitatu Tyrolenſi. adnaſcitur fere chryſocollæ, quam Germani *Berggrüen* vocant. Habeo fruſtum, quod ex Malachite ac chryſocolla coaluit ita, ut chryſocolla mater ipſius videatur. *Locus ubi invenitur.*

CAP. CXII.

Genera.

GEnera videntur poſſe cõſtitui quatuor. Ut primo contineantur, quæ plane abſque aliis coloribus exacte foliorum malvæ recentium colorem referunt. Secundo quæ albas venas habent, ac maculis nigris inficiuntur. Tertio quibus cæruleus color diſtincte intermixtus eſt, ac ſi ex Lapide lazuli & Molochite lapis conſtaret. Quarto quæ ad colorem Turcoidis accedunt: quas cæteris præſtantiores exiſtimo. Tanta magnitudine excreſcit, ut *Magnitudo.*

exigua pocula, aut cultrorum manubria inde fieri poſſint. Palma manus maiorem nunquam vidi.

Cap. CXIII.

Dignitas, valor, & uſus Molochitis.

QUia non admodum grata aſpectui eſt Molochites, exiguam habet auctoritatem, raroque annulis aut auro faſtus gratia includitur. Sanitatis cauſa cum aliis lapidibus ignobilioribus ad brachilia admittitur. *Ad tonitru.* Prædicatur enim maximas habere vires, & facultates. Geſtantem nempe defendere ne tonitru vel fulmine lædatur, ne in animi perturbationem incidat, ne contagium ab alio accipiat, neve faſcinetur. ob quam cauſam pueris appenditur, qui hac ratione à terriculamentis diurnis, vel nocturnis, ac omni faſcinatione tuti exiſtimantur. *Magorum ſuperſtitio.* Superſtitioſi, & magi qui ſe ſolos ſapientes opinantur, Solis figuram lapidi inſculpunt, ut ab incãtationibus, malis ſpiritib⁹, ac venenatis animalibus ſecuri ſint. *Ad ſyncopen.* Ad ſyncopen, ſęvos dolores compeſcendos, hernias, & caſus impediendos, pro amuleto habetur. *Ad cardialgiã, & colicam.* Pulvis cum lacte propinatus fertur cardialgiam & colicam ſanare, forte purgando. Nam à quodam amico accepi, ſex granorum pondere antimonii inſtar purgare. *Purgandi vis.* quod tamen nunquam experiri auſus fui. Idem pulvis adiecto melle epotus, fertur menſtrua promovere, vulneribus inſperſus ſanguinem ſiſtere, linteolo humido impoſitus, ac parti ſpaſmo affectæ applicatus, eundem curare. *Ad ſpaſmum.* Nec non vino ardenti commixtus ulcera virulenta curare perhibetur. *Epilepſiã.* Puerorum convulſiones arcet geſtata, eoſque à nocivis caſibus tuetur. *Ad ventriculi robur.* Ventriculo etiam applicata, Cratone teſte, eum corroborat, nec immerito, cum *a* Galenus Iaſpidi viridi

viridi hanc facultatem tribuat, ac iſta gemma olim pro Iaſpide habita fuerit,& forte hęc illa ſit,quę ad ventriculi robur conciliandum ab antiquis ita decantata fuit. Achati pretio & valore par eſt.

a *Libro* IX. *de ſimplicium Medicamentorum facultatibus.*

CAP. CXIV.

De Turcoide.

INter opacas gemmas omnium nobiliſſima eſt Turcoſa, Turchina,vel Turcheſia, Germanice *ein turkes* , omnibus nationibus eo nomine notiſſima, quod à Turcis ad nos feratur. Multi inter Iaſpides numeratam olim exiſtimant, eamque eſſe, quam *a* Plinius Boreã, ac Græci *ἰάσπιδα ἀερίζουσαν*, *Boreas.* alii Calaidem appellant, quamque *b* Meſues Feru- *Feruzegi.* zegi corrupto nomine (propter literarum vicinitatem in lingua Arabica) à peruzaa, quod Turcoiden Arabica lingua ſignificat, vocat. Colorem hæc gemma, ex viridi, albo, & cęruleo compoſitũ, habet, ac omnino exacte, ſi præſtans ſit, Æruginis colorem, quam vulgo viridę æris vocant, refert.

a *Libro* 37. *Naturalis hiſtoriæ cap.* 8. *littera* f.
b *In deſcriptione Electuarii de Gemmis.*

CAP. CXV.

Genera, loci natales, & magnitudo.

TUrcoidis duo genera ſtatuuntur: Orientalis,& Occidentalis. Orientalem vocant cuius color ad cæruleum potius, quam viridem tendit. Occidentalem, quæ magis vireſcit, aut plus ęquo albicat.

Reperiuntur primi generis in Perſia, ac India Oriẽtali, ſecundi in Hiſpania, Germania, Bohemia, & Sileſia ad Strigomum urbem in prato Iſere. In Perſia lapidibus nigris adnaſcitur, quaſi excrementum aut illorum tranſudatio eſſet, ibique in maxima copia reperitur. Raro nucis iuglandis quantitatem excedere viſa eſt. Tantæ magnitudinis fertur eſſe in repoſitorio magni ducis Hetruriȩ, ac in ea exſculpta Caii Iulii Cæſaris effigies eſſe dicitur. Ego maiorem nuce avellana nunquam vidi. Porro Orientales duplices ſunt, aliæ colorem ſervant perpetuo, illæque vocantur de rupe veteri, aliæ paulatim colorem amittunt, ac virideſcunt, ac de rupe nova vocantur.

Magnitudo.

Cap. CXVI.

Natura, proprietates, & facultates Turcoidis.

Ad caſum.

Oculos, & ſpiritus corrobare geſtata Turcois creditur. Maxime autem ad caſum commendatur, quẽ ipſa excipere ne geſtans lædatur ab omnibus creditur. Quæ ſane facultas, & proprietas omnem rationem ſuperat. Ego ſancte affirmare poſſum me unam aureo annulo incluſam perpetuo geſtare, cuius facultatem (ſi gemmæ eſt) nunquam ſatis admirari potui. Geſtaverat eam ante triginta annos Hiſpanus quidam non procul à paternis ædibus habitans. Is cum vita functus eſſet, & ipſius ſupellex (ut moris apud nos eſt) venũ expoſita eſſet, inter cætera etiam Turcois exponebatur. Verum nemo (licet complures eo concurriſſent, ut eam propter coloris elegantiam quam vivo domino habuerat, emerent) ſibi emptam voluit. *a* Priſtinum enim nitorem & colorem prorſus amiſerat, ut potius Malachites quam Turcois videretur. Aderat

tum

tum temporis gemmæ habendæ deſiderio etiam parens & frater meus, qui antea ſępius elegantiam & gratiam ipſius viderant, mirabundi eam nunc tam eſſe deformem. Emit eam nihilominus pater, ſatiſque vili pretio, quia omnibus contemptui erat, ac pręſentes non eam eſſe, quam Hiſpanus geſtarat, arbitrarentur. Domum reverſus pater, qui tam turpem gemmam geſtare ſibi indec[illegible]um putabat, eam mihi dono dat, inquiens; C[illegible]oquidem, fili mi, vulgi fama eſt, Turcoidem, ut facultates ſuas exercere poſſit, dono dari debere, tibi eam devoveo. Ego acceptam gemmam ſculptori trado, ut gentilitia mea inſignia illi, quemadmodum fieri ſolet in Iaſpide, Chalcedonio, aliiſq; ignobilioribus gemmis, inſculperet. Turpe enim exiſtimabam, huiuſmodi gemma ornatus gratia, dum gratiam nullam haberet, uti. Paret ſculptor, redditque gemmam, quam geſto pro annulo ſignatorio. Vix per menſem geſtaram, redit illi priſtinus color, ſed non ita nitens propter ſculpturam, ac inæqualem ſuperficiem. Miramur omnes gemmam, atque id præcipue, quod color indies pulchrior fieret. Id quia obſervabam, nunquam fere eam à manu depoſui, ita ut & nunc adhuc eandem geſtem. In caſu admirandas illius vires (ſi ab illa procedant) obſervavi. Nam cum Patavio ubi Doctoratus gradum acceperam, eques redirem in Bohemiam, poſt Solis occaſum conductitius comes, ut viam oſtenderet, mihi ſemitam pedeſtrem ad latus viæ regiæ monſtravit; in quam dum me equo committo, ac per aliquod ſpatium progredior, in tenebris ſiſtitur equus, nec progredi ulterius vult. Comes vocatus puteum in media ſemita eſſe aſſerit, propterea mihi redeundum eſſe. (anguſta enim erat ſemita.) Dum equum vertere conor, vacillat, ac ſiniſtrum pedem extra ſemi-

ſemitam ducit, qua erat via regia. Ilico deprehendo caſum, & in ipſo caſu me ex ſella in viam proiicio, quæ ſemita inferior erat ulnis ad minus decem. Cado in latus, ac equus iuxta me in tergũ. Comes, quod neque clamarẽ, neque loquerer, me oppreſſum ab equo exiſtimabat. Sed incolumis eram, nihilque prorſus damni acceperam, rurſuſque aſcenſo equo iter perſequor. Mane dum manus lavarem, Turcoiden in duo fruſta fractam deprehendi, ac fere quartam totius corporis partẽ à reliqua ſeparatam. Maiorem itaque gemmæ partem alteri annulo committo, ac iterum per aliquot annos geſto. Cum vero quodam die ex flumine longiori haſta onus aliquod elevare ſupra vires tentarem, ſubito oſſa pectoris ſtrepitum, & ſonitum quaſi coſta diſfringeretur, ediderunt, mihique obtuſus quidam doloris ſenſus circa coſtas obortus eſt. Dubitabam, num aliquid ruptum eſſet, tandem deprehendi, inferiorem & ultimam coſtam parum ſuo loco eſſe motam, ac ſub penultima finem ipſius pulſum, & detruſum. Quia vero exiguus dolor aderat, nihil applicavi loco affecto. Ac eodẽ die, nõ citra admirationem, Turcoidem meam iterum in duas partes ruptam animadverti. Verum minor particula vix canabini ſeminis magnitudinem excedebat. Quia vero metuebam ne excidens, etiam maior pars liberior facta excideret, maiorem partem, quæ fere integra gentilitia ſigna adhuc reſervat, alteri aureo annulo imponi curo, ac nunc eundem adhuc ita geſto, ut nunquam à digitis deponam. An autem caſu infortunium, & gemmæ fractio, ſimul concurrant, incertum, aliis aliter opinantibus. Hoc certum eſt, naturaliter caſus noxam gemmã hanc neque impedire, neque in ſe transferre poſſe. Occulto itaque agenti, id eſt, ſpiritibus bonis, vel malis, Deo volen-

volente, vel permittente, (ut in capite de gemmarum viribus explicavi), huiuſmodi vires tribuendæ ſunt. Si acceſſerit ſuperſtitio, malis, ſi nulla, bonis. Ego ſanctè affirmare poſſum, me nunquam (qui non facile tantas vires, ut vulgus facit, gemmis tribuo) crediddiſſe, ut nec nunc credo, tale quid naturaliter Turcoidi poſſe contingere. Mutatio coloris naturaliter fieri poteſt. Nam cum non adeo dura ſit gemma, facile à vapore, & halitu, qui per poros cutis perpetuo tranſpirant, vel pulchrum, vel abſurdum, & deformem colorem accipere poteſt. Quod vero vita defuncto domino colorem, & decorem amittat, ac ipſius ſortem lugere videatur, omnem humanum captum ſuperat, ac metaphyſicum quid eſt, ut de caſu dixi. Verum id non omnibus Turcheſiis contingit. Sed quid ſi illa Turcois, quæ facile colorem mutat, & cuius paulo ante mentionem feci, à ſalſis vaporibus, & halitibus qui perpetuo è viventis corpore tranſpirant, efficiatur, ac ab iis priſtinus color revocetur? Quemadmodum, experientia teſte, emendari colorem Turcoidis aceto, & ſale armoniaco, quo abundat ſudor & halitus per cutis poros tranſpirans, multis notum eſt. Certe ego hanc cauſam naturalem eſſe, cur color emortuo domino pereat, & novo recuperato, reſtituatur, autumo. Non quod domini mors cauſa ſit, ſed quod domino mortuo à nullo geſtetur, neque amplius ab effluviis, & halitibus corporis, color ipſius vividus cõſervari poſſit. Animadverti, cum icteritia, vel obſtructionibus laboraſſem, & iam corpus ſudoribus tranſpirabile, ac bene conſtitutum eſſet, meam Turcoidem pulchriorem eſſe, ita ut mihi valetudinis index ſit. Opinãtur nõnulli, Turcoidem horologii vicem præſtare, ac diei horas, ſi ex filo, indice & pollice comprehenſo, intra vitri

An Turcois horas ſignet.

vitri concavum palmaris vel minoris latitudinis pendeat, oſtendere. Tot enim pulſus ad latera vitri verberare, quot horæ diei ab horologio percuſſæ fuerant. Mirum profectò, à vanis & in rerum natura parum verſatis hominibus id credi. Suſpenſus enim hac ratione lapis, à manu regitur, ac manus ab hominis imaginatione, qui dum tot pulſus, quot veriſimiliter exſpectat, animo concipit, conſentit manus, ac vix perceptibili motu agitat lapidem, donec numerus pulſuum expletus ſit. Horæ non à natura, ſed ab homine inſtitutæ ſunt, ac diverſo modo in diverſis provinciis computantur. Lapis vero, ab homine tale quid ordinatum fuiſſe, quomodo abſque anima ſcire poteſt? Deinde quo pacto ſe accōmodare ad diverſas provincias, quæ diverſis modis horas computant, abſque cognitione poterit? In aliquibus enim à diei initio, in aliquibus à noctis initio, & in nonnullis à media nocte fit horarum computatio. Profectò animam, hominis anima ſagaciorem habere deberet, cum ne ille à ſe inſtitutas horas ſemper ſcire poſſit, & propterea horologia ipſe invenerit, & conſtituerit, quibus tēporis quantitatē elapſam metitur. Nonnulli concedunt, naturalem, & ut horas diei pulſet, non habere facultatē, ſed certorum verborum obmurmurationem adhibendam eſſe, qua adhibita lapis ſuum officiū faciat. Id præſente me aliquoties factitatum fuit. Sed neq; verbis, aut ſpiritibus colludentibus, neq; lapidi, ſed manui, ut ante dixi, cauſam motus tribuebā. Expertus enim poſtea, quoties volebam, lapidē tam recte, ut nullus prorſus motus in manu mea obſervari potuerit, verberare coëgi. Valeant itaque vanæ vanorum hominum & magorum impoſturæ. Celebratur præterea Turcoidis geſtatio ad oculorum, capitiſque dolores leniendos, & impediendos, ac à nonnulli

Ad capitis dolores.

nullis inimicitias extinguere, ac inter virum, & uxorem amorem reconciliare creditur.

a *Narrat Franciſcus Rueus lib.2. de Gemmis cap.18, ſe vidiſſe ſimilem Turchinam, ob colorem amiſſum, à quodam vili pretio emptam, quæ Domino mortuo omnem ſplendorem amiſerat, & velut rimam contraxerat: quæ poſtea ad priſtinum ſplendorem rediit, quaſi ſenſu quodam percipiens novum Dominum inveniſſe.*

Cap. CXVII.

Dignitas, valor, & uſus Turcoidis.

TAntam auctoritatem apud viros habet Turcois, ut nemo, niſi elegantem aliquam nactus fuerit, manus bene ornatas, ſuoque luxui ſatisfactum putet. A fæminis enim nunquam geſtari ſolet. Admodum magno pretio non venditur; quia magna illarum ex Oriente adfertur copia. Color præcipuus pretii index: conſiderant tamen gemmarii, num color conſtanter ſit permanſurus; eo enim caſu, carior eſt, quam ea, quæ colorem mutat, vel potius paulatim amittit. Quæ avellanæ magnitudinem æquat, ac coloris gratiam habet, cœlique ſereni inſtar, nulliſque venis nigrioribus obſcuratur, 200. thaleris vendi, aut etiam pluris poteſt. Minores viliores ſunt, ac corporis latitudo pretii quantitatem conſtituit. Piſi maioris quantitate decem thaleris vendi poſſunt. Cæteris præfertur, quæ æruginis depuratæ colorem exacte refert, ac cærulei lacteſcentis virorem oculis gratum oſtendit. Alii qui venas nigras habent, aut plus æquo virides, aut lacteſcentes ſunt, prorſus contemnuntur tanquam viribus carentes. Mauritani Turcoidem, quam peru-

Pretium.

Quæ præferenda.

Viliores.

peruzegi, vel perozaa vocitant, in medicum uſum recipiunt. *a* Meſues in electuario de gemmis, gemmam peruzegi præſcribit, quam interpretes Smaragdum putant: ſed magno errore, ut Garcias ab Horto notavit, quia Turcheſam intelligi vult eam, quæ Arabice, ut codex Meſues habet, Peruzegi ſcribitur, mutata nempe F littera in P, quæ affinitatem magnam habent.

a *Quam Smaragdi interpretationem ſequuntur Valerius Cordus, Ioannes VVeckerus, Ioannes Renodæus, & cæteri Neoterici, ſed male, ut Auctor ex Garcia ab Horto lib. 1. Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap. 48. clare demonſtrat, quod idem ſuboluiſſe videtur Bellunenſis in eadem compoſitione, & V. Cl. Claudius Salmaſius libro (cap. 62. huius libri) citato, fol. 1130.*

Cap. CXVIII.

Imitatio Turcoidis & correctio ſi color evanuerit.

Turcoidem apprime vitriarii Veneti Venetiis imitantur. Vidi Gallum qui ita dextre imitari potuit ex alia materia, ut à vera gemma propter venulas nigras, quas illi inſerebat, cognoſci non poſſet. Pro factitiis illas vendebat, ac ſatis magno, propter elegantiam, pretio. Puto chryſocolla nativa, ac aqua lapideſcente, adiectis paucis aliis illum uſum fuiſſe. *a* Ut amiſſum colorem recuperet, nonnulli ſolvunt colorem tranſmarinum aqua chryſulca, eaque diſtillatione abſtracta, reliquias ſuperſtites exſiccant, iiſque Turcoidem fricant. Alii aquæ chryſulcæ imponunt, ac abſterſum aceto parum committunt, deinde in aquam frigidiſſimam merguntur

Emendatio Turcoidis.

tur

tum enim coloratior fit. Verum iſtis artibus paulatim intrinſecus color in cutem trahitur, evaneſcit, ac gemma ingratior & vilior redditur. Rectius oleo vitrioli cutis ſuperior exeditur, ut ſubiectus color elegantiorem gemmam faciat.

a *Turcoidem Noſtrates hoc pacto ab immunditie purgant. Accipiunt Smyridem lapidem (plerumque vero apud nos in officinis eorum invenitur, qui Aurifabrorum inſtrumenta vendunt, Belgiceque vocant* afftreck-ſteen) *eoque ſuperficiem exteriorem fricant. Scabrities autem illa, quæ remanere ſolet, lævior redditur, ſi terra Tripela, uti vocant, inſperſa, bacillo adhibito diu fricueris. Iudicant vero nativum colorem revocari poſſe, ſi cæſium colorem interne effundat, alioquin operam luſurus.*

CAP. CXIX.

De lapide Lazuli.

OPacus eſt hic lapis Sapphiri colore, aut florum Cyani, aureis punctulis aut flammulis exornatus. Hunc *a* Plinius videtur Sapphirum vocare: *a Lib. 37 cap. 9.* quia Sapphirum nuſquā pellucidam facit, & aureis punctis collucere ſcribit, quæ profecto noſtro Sapphiro pellucido non conveniunt, ſed optime lapidi Lazuli. Nonnulli à Plinio Cyanū vocari exiſtimant, quia Græce eo nomine vocatur, ſed Plinii Cyanus *Cyanus.* noſtra Sapphirus videtur. Quia eam adulterari maxime *Sapphirus.* tinctura tradit, idque in gloria regis Ægypti aſſcriptum fuiſſe, qui primus eam tinxit. Opacæ vero gemmæ eum tingi non poſſint, niſi earum ſuperficies conſpicua tegatur; (ac ita potius tectæ, quam tinctæ dicantur) perſpicuæ vero, ut hodie fit elegantiſſime ſuppoſito illis colore, ita tingan-

tur , ut color internus corpus ſubeat. Veriſimile eſt, Plinium Cyani nomine non lapidem Lazuli , ſed Sapphirum noſtrum intellexiſſe.

Differentia à lapide Armenio. Differt ab hoc lapide lapis Armenius. Hic enim non ita durus eſt, & facile in pulverem cum friabilis ſit reducitur: deinde auri venas, aut puncta non habet. *Nomina.* A Plinio cæruleum vocatur, à Græcis λίθος Ἀρμένιος, à Germanis *Bergblau*, utile pictoribus propter colorem. Lapis Lazuli à Græcis κυανὸς λίθος , à Latinis *cæruleus lapis* , ab Arabibus *Hager* aut *azul*, unde nomen Aſuri, aut Lazuli deductum eſt, appellatur. Ex hoc lapide fit color ille Cyaneus , quem Ultramarinum vocant, auro pretioſior , ut poſtea docebimus , aſurum vero ex lapide Armenio. Qui colore elegans quidem eſt, ſed facile mutabilis , & tandem vireſcens, neque in ævum durans, ut alter de quo poſtea fuſius.

CAP. CXX.

Genera, loci natales , magnitudo , & quomodo naſcatur.

GEnera tantum duo ſunt, fixus, & non fixus in igne, niſi quis ratione loci ubi inveniuntur plura conſtituere velit. Inveniuntur enim in variis regionibus, ut in Africa, Aſia, & etiam Germania. Illius mater lapis Armenius, qui in fodinis aureis reperitur, interdum eſt, quia ab ea tantum coctura differre videtur, quemadmodum omnes lapides ex molliori materia indurantur. Excreſcit in tantam magnitudinem, ut cultrorum capuli , & cochlearia inde fieri poſſint: maiores raro vidi. Plinius Cyanum, & lapidem Armenium, ſeu cæruleum in Ægy-

Ægypto, Cypro, & Scythia naſci ſcribit, ſed num ille Sapphirum noſtrum, aut lapidem Lazuli Cyanũ vocet, non plane conſtat. Fixus lapis Lazuli, hoc eſt, qui igni impoſitus colorem non mutat, hæc enim legitimi proba eſt, ex Oriente fere adfertur. Non fixus in Germania reperitur, ac vulgo *Laſurſtein* vocatur, ac is medius eſt inter lapidem Armenium, qui friabilis eſt, & lapidem Lazuli, cui duritie par eſt. Ex fixo ultramarinus color, ex non fixo, ille quem vocant *Aſurblau* ſeparatur. Verum multi pictores hos poſtremos colores non diſtinguunt, ſed confundunt, quia ex utraq; materia ſimiles eliciuntur. Revera tamen lapides duritie diverſi ſunt, & color ex non fixo lapide præparatus, plerumque pulchrior eſt illo, qui ex lapide Armenio præparatur. Ego domi à me præparatos colores habeo, qui tam elegantes ſunt, ut cum ultramarino certare poſſint. Sed, ut antea notavi, ſolus ultramarinus, qui ex Orientali lapide fit, ab igne nõ corrumpitur, & ætate non mutatur. Lapidem Armenium in quodam monte Praga miliari diſtante ante aliquot annos inveni.

CAP. CXXI.

Natura, proprietates, qualitates, & facultates lapidis Lazuli, vel Cyanei.

a DIoſcorides hunc lapidẽ repercutiendi vim habere, exulcerare, parumque corrodere affirmat; Galenus acri facultate tum detrahendi, quam b Cathericam vocant, tum digerendi potentiore, quam cinnabaris habet, cum nonnulla aſtrictione præditum ſcribit. Poſt hos alii medici purgandi facultatem in eo experientia deprehenderunt, præcipue contra melancholicos omnes affe- *Ad morbos melãcholicos.*

 ctus,

ctus, quartanam, apoplexiam, morbum comitialem, lienis vitia, alioſque complures, qui à melancholico ſucco originem trahunt. Quia tamen Galenus, & Dioſcorides, corrodere aſſerunt, nec purgatoriam in illo facultatem agnoſcunt, multi medici uſum ipſius habent ſuſpectum, ſed immerito, cum experientiæ, à fide dignis auctoribus approbatæ compluribus, credere deberent. Multa profectò inveniuntur quotidie, quæ priſcis ignota fuerunt. Deinde tithymallorum omnia genera, chamelæa, thymelæa, euphorbium, aliaq; multa, quæ exulcerant, quia purgandi habent facultatem, legitime præparata, ſine noxa ſumi poſſunt. Habet itaque purgandi melancholiam, ut lapis Armenius, facultatem. De hoc lapide ita ſcribit Antonius Muſa Braſſavolus in libro ſuo de medicinis purgantibus, ſequentibus verbis. Lapidem Lazuli expertus ſum, & drachmã nunquam exceſſi, & ſemper profuit, neque tamen tormina induxit, qualia putabam, antequam eſſem expertus, inducere debere, neque ori ventriculi multum obeſſe percepi. Præbui itaque in pilulas conformatum in hunc modum. Rec. lapidis Lazuli præparati drach. unam, camphoræ, aniſi, cinnamomi, zinziberis, maſtiches an. grana 6. Miſce, & cum ſucco ſalviæ, vel diacatholiconis fiant pilulæ quinque. Hæ enim exquiſite eduxerunt, cũ aliquibus drachmam unam præbuerim, aliis ſcrupulos duos, ut convenire videbatur. Exhibui etiam aliis modis in pulverem redactum, cum iiſdem aromatibus, in iure, quandoque in aqua boraginis. Sed opus eſt ut in tenuiſſimum pulverem redactus ſit, ne ob ſui gravitatem, in pateræ fundum deſcendat. Poſui quandoque prædictos pulveres in unciam unam conſervæ boraginis, & deglutiendos præbui ut eclegmata deglutiuntur.

Purgat ſine noxa.

Pilulæ de lapide Lazuli.

Non-

Nonnunquam cuidam puellæ in ientaculi forma, ſcrupulum unum præbui, nonnunquam in placentula ex paſta, ſed qui maſticabant, ſemper dentibus pulverem habere arbitrabantur. Tamen ſi probe ſupra Porphyrium lapidem, Porphyrino piſtillo contractetur, non perſentitur. In vino etiam odorato bibendum iuſſi, ut in Cretico, aut alio ſimili. Eiſdem modis uſus ſum lapide Armenio, & mirum in modum atram bilem educere percepi. Hactenus Braſſavola. Quia tamen Galeni, Dioſcoridis, & Arabum omnium teſtimonio, vi exurendi præditus eſt, lotura ipſius nocumenta auferenda ſunt. Hæc in antidotariis docetur. Verum quia lapis Armenius vehementius educit atram bilem, quam Cyaneus, & omnia efficacius operatur, legat Lector ſequens caput. Quæ enim virtutes lapidi Armenio tribuuntur, etiam tum Cyaneo Orientali, tum Germanico, quæ ex eo videtur in duritiem excreviſſe, tribuendæ ſunt. Pro amuleto etiam ex collo geſtatur à Germanis, ut puerorum terriculamenta arceat, oculorum aciem roboret, ſyncopen, & prægnantium abortum impediat. Verum partu appropinquante, ne fœtum retineat, auferendus eſt.

Doſis.

Ad puerorum terrores.

De lapidis Lazuli viribus, nobilis Empiricus Venetus Leonardus Fioravantus fere ſequentia ſcribit. Vidi, inquit, lapidem Lazuli vomitum excitare, & ſanare quartanam. Calcinavi in fornace laterum, deinde aqua vitæ ſolvi calcinatum, ac ſolutione dicta multos morbos, & febres malignas curavi. Ulcera etiam peſſima in optimum ſtatum, ad miraculum uſque, prædicta ſolutione, redegi. Ex eodem lapide oleum extraxi, quod ſomnum, & requiem conciliat, atq; ſi eo caput & ventriculus inungatur, viſus mirum in modũ corroboratur. Po-

Facultates mirabiles ad quartanam.

Ad ſomnum.

Ad podagram.

dagræ, etiam dolores & inflammationes ſubito lævat.

a *Lib. v. de re Medica cap. 66.*

b *Typographi, non Auctoris vitio, id poſitum exiſtimo, cum Galenus lib. ix. de ſimplicium Medicamentorum Facultatibus Capit. de Cyaneo, ſive Cæruleo Lapide, non Cathericam ſed καθαιρετικὴν vocet.*

Cap. CXXII.

Dignitas, valor, & uſus, lapidis Lazuli, ſeu Cyanei.

LApis Lazuli eandem auctoritatẽ habet, quam Sardonyx, ac eodem pretio, aut paulo maiori divenditur. Uſus præcipue ad ſigilla, & ad brachialia: nam inter ſanitatis gemmas habetur, ac multos morbos avertere creditur. Fragmenta huius lapidis ſi libram pendeant, 10. thaleris vendi, ut cæruleus, ſeu ultramarinus color inde fiat, ſolent.

Cap. CXXIII.

Quo pacto ex lapide Lazuli Vltramarinus, ſeu Cyaneus color eliciatur, & in illum uſum electio lapidis.

PRimum ne quis oleum, & operam perdat, lapidem aureis venis multis ornatum, ac ſplendentem eligat. Is enim optimus, & operi convenientiſſimus eſt. Hic hac ratione dignoſcitur. Eius aliqua portio ſupra carbones ardentes ponatur, ac follibus, & flammis ignitis committatur per horam; ſi refrigeratus manibus teri poſſit, & colo-

Examinatio Lazuli.

rem

rem amiſerit, ineptus eſt. Sin durus remaneat, & priſtinum colorem ſervet, optimus eſt. Alii ut illius valorem examinent, ſupra laminam ferream, particulam ponunt, Vulcanoque credunt, ut ſimul excandeſcant. Deinde in aceto forti lapidis particulas extinguunt: quas ſi colorem ſervare animadvertunt, bonum lapidem: ſi vero illuſtriorem deprehendunt, optimum iudicant. Sed raro non ſolum, qui augeantur, ſed & qui omnino ſervent priſtinum colorem, inveniuntur. Quorum color intenditur, illorum uncia viginti thaleris vendi poteſt. Qui colorem non exacte ſervant, medii gradus colores præbent; ſtatuuntur enim tres coloris gradus. In pulverem redactus lapis Lazuli, hac ratione ipſius integritas, & quo valore ſit, deprehenditur. Tigillo aurifabrorum aliquid imponitur, ac igni ardenti committitur, ut bene excandeſcat. Si refrigeratus pulvis priſtinum colorem, ac conſiſtentiam retinuerit, nec mutaverit, optimus lapis fuit: ſin vero pulvis, non amplius pulvis, ſed paſta videatur, vitrum potius fuit, & ſmaltum quam lapis: ſi partim pulveris, partim maſſæ formam referat, lapidis cum vitro mixtionem factam fuiſſe indicium eſt.

Aliud examen.

Pretium.

Valor.

CAP. CXXIV.

Præparatio lapidis.

REducatur lapis in fruſta magnitudine avellanæ, quæ ablue aqua tepida, ac tigillo impone, igni committe ut excandeſcant, ac ſingulas particulas ſeorſim exemptas extingue in aceto albo optimo, aut diſtillato per filtrum: idque opus repete aliquoties, quo ſæpius, eo melius; aliqui ſepties repetunt. Frequenti enim extinctione optime calci-

nantur, & facilius in pulverē rediguntur, alias difficile contunderentur, ac mortario adhærerent. Ille tamen lapis qui in igne colorem non ſervat, aut parum ſervat, hac ratione tractandus non eſt, niſi quis fruſtraneum, & inutilem laborem cupiat. Calcinata ut dixi lapidis fruſta contunde in mortario æreo optime occluſo, deinde per incerniculum etiam occluſum traiice, ne melior & ſubtilior lapidum pulvis in auras evolet. Pulverem ſerva diligenter. Interim ſequentem aquam præpara ad abluendum pulverem. ℞. aquæ fontanæ per filtrum diſtillatæ lib. unam & ſemis. huic adde tantum mellis, quantum ovum gallinæ capere poſſit. coque hæc in olla nova tamdiu, donec omnem ſpumam abſtuleris; tum ab igne depone, & ſerva. Poſtmodum ℞ gummi ſanguinis draconis integri & optimi ſcrupul. quatuor, tere ſupra marmor cum exigua quantitate aquæ prædictæ, poſtea vitro impone, ac tantum aquæ prædictæ adiice, donec colorem acquirat violaceum. hanc bene tectam ſerva ad uſum: nam ea debet pulveris color dilui. Si enim violacei multum habuerit, parum addetur, ſi parum, plus liquoris. Pulveri itaque reſervato affunde paulatim hydromel præparatum, ac tere optime in vaſculo aliquo anguſto; ſi enim amplum eſſet, iacturam faceres, nec tam cito terere poſſes. Semilibram poteris terere pro unica vice, non plus, ac per horam eam terere debes. Deinde ſemper & continuo humectanda eſt hydromelite, ne lapidi dum teritur adhæreat. Pro ſemilibra pulveris tres aut quatuor uncias hydromelitis abſumere poteris. Cumque ſemilibram triveris, aufer eam, ac aliam eodem modo tere in eodem loco, nec alia aqua utere, quam prædicta. Si vero explorare velis num rite triveris, dentibus maſtica; ſi crepitet pulvis arenæ in-

inſtar, recte trivisti; nam non ita terere debes, ut plane colorem amittat. Tritus pulvis exiccari debet extra Solem ſupra lapidem. Si exiccatus facile in pulverem digito redigatur, ita relinqui poteſt. Sin vero non facile pulveriſetur, ſed ſibi ipſi adhæreat, à lapide auferendus eſt: nam indicium eſt pinguedinem & viſcoſitatem mellis illi adhærere, ac propterea purgandus eſt, ut ſuo tempore ab emplaſtro trahi poſſit.

Cap. CXXV.

Lotio præparati lapidis Lazuli.

Habeas ad manus patinã barbitonſorum, aut ſimile vas terreum vitreatum, huic impone pulverem Lazuli, ac ſuprafunde lixivii dulcis ſequentis deſcriptionis tantum, ut quatuor digitis emineat, manuque optime pulverem lavato, ut ima facilius petere poſſit. Dum reſederit, aquam poſtea in ſuum vas effunde. Poſtmodum ſine ut pulvis in umbra parum exiccetur, deinde ſupra Porphyrium lapidem extendatur, donec plane exiccatus fuerit. Tum enim emplaſtro adiicitur.

Cap. CXXVI.

Lixivii dulcis & fortis præparatio.

Recipe cinerum ſarmentorum vitis per cribrum traiectorum decem manipulos; impone vaſculo quod ad minus contineat triginta aquę libras. Vas in imo foramen habeat, quod occludatur. huic impone cineres, ac fortiter comprime, ac aquæ calidæ libras viginti paulatim affunde. cum fundum aqua petierit, inferius orificium ita aperi, ut tantum guttatim effluere poſſit. Dum non amplius fluit,

obtura orificium, ac lixivium quod effluxit per filtrum diſtillabis, atque in vitro, vel terreo vaſe conſerva. id forte vocatur. Supra cineres iterum aquæ calidæ 20. libras affunde, & omnino priorem modum ſerva ut habeas mediocre lixivium. Deinde repete alia aqua tertio, ut habeas lixivium, quod dulce vocatur. Hæc lixivia utilia ſunt, ut facilius ab emplaſtro pulvis Lazuli, ſi repugnet, extrahi poſſit. Miſcentur pro arbitrio, opere id flagitante. Fit etiam aliud lixivium ad auferendam emplaſtri pinguedinem, aut unctuoſitatem, hac ratione. Recipe tartari calcinati quantum velis, bulli in aqua pura per quadrantis horæ ſpatium, aut paulo diutius, ac ſerva ad uſum. Hoc lixivium ſcabiem, & impetiginem curat, ac pro fuco etiam utile eſt mulieribus. Pulverem etiam Lazuli eo abluere potes; auget enim ipſius colorem.

Cap. CXXVII.

Quale vas debeat eſſe, in quo colliguntur omnes aquæ, quibus lavati fuerunt pulveres lapidis.

VAs cupreum, vel terreum vitreatum, in fundo politum, ſeu lævigatum eſſe debet, ac in lateribus tria foramina habeat oportet. Primum circa medium vaſis, alterum paulo inferius, at tertium duobus digitis à fundo. Omnia debent ab exteriori parte eſſe occluſa, ne aqua effluere poſſit. Lavationes aquæ in hoc vaſe colliguntur, quæ etiamſi nihil coloris habere videntur, tamen ſi per decendium ſteterint, in fundo aliquid apparebit. Id ut colligas, foramina aperi, ita effluet abſque motione, nec colori miſcebitur. collectum lava, ac ſibi ſimili adiunge.

Cap.

CAP. CXXVIII.

De emplaſtro fortiori, cui miſcetur pulvis lapidis Lazuli, ut illuſtrior portio, à minus illuſtri, ſeparari poſſit.

PRimum ad manus ſint ſequentia. terebinthinæ claræ & puræ unciæ quatuor: reſinæ pini unciæ ſex, picis græcæ unciæ ſex: maſtiches optimæ & puræ unciæ tres, ceræ novæ unciæ tres, olei ſeminis lini purificati, ut paulo poſt docebitur, uncia una ſemis. Poſtea adſit olla nova vitreata bene lota, cui impones ad lentum ignem carbonum terebinthinam, ut diſſolvatur, movendo eam ſpathula lignea, qua Apothecarii uti ſolent. Cum bene diſſoluta fuerit, paulatim iniice pini reſinam, in parva fruſtula ſecatam, ac move. Eodem modo picem impone, & poſtmodum maſtichen pulveriſatam, ac ut uniantur optime, move ſpathula diligenter materiã, ſed exiguo foco opus eſt. Poſtmodum adde oleum lini, ac ſine ad ignem donec murmuraverit ebullitio per horæ quadrantem, aut paulo diutius. Ut autem ſcias emplaſtrum ſatis coctum eſſe, ſpathulam in emplaſtro agitatam exime, ac ut ab illa in aquam frigidam aliquot guttæ decidant, permitte. Nam ſi illæ ſuper aquam ſe expandant, non ſatis eſt coctum. Aliter ſic cognoſces. Guttam emplaſtri digitis, aqua frigida humectatis, comprime, ac trahe in diverſas partes: ſi extendatur, & ſponte rumpatur, ſignum eſt perfecte coctum eſſe. Coctum emplaſtrum, & calidiſſimum funde in manicã Hippocratis, primo aqua calida humectatam, ac coletur ita ut in vas aqua frigida plenum decidat. Manicam autem lignis comprimes, ut abſque mora tranſcolari totum poſſit. Cum iam parum refrixerit,

rit, manibus malaxetur, humectatis oleo lini præparato, donec nihil amplius aquæ habeat. Poſtea ſerva in aqua frigida, quæ quotidie, aut alternis diebus effundenda eſt, recenti rurſus affuſa: ita enim ſervabitur ad decennium.

Cap. CXXIX.

De emplaſtro mitiori, ad ſeparandos colores.

Recip. terebinthinæ claræ uncias quatuor, reſinæ pini puræ uncias ſex, picis græcæ 6. uncias, ceræ unciam unam, olei ſeminis lini tres quadrantes, coque eodem modo, ut primum coctum eſt. Verum notato, iſtud citius excoqui, quia mitius eſt, ac citius dimittit à ſe colorem, quam prius. Id etiam notato, ſi velis utroque emplaſtro uti, ut mitiori primo colorem, ſeu lapidis pulverem excipias. Qui tamen ſi non fuerit à perfecto lapide, & qui aureis venis ornatur, extructus, utroque emplaſtro excipi non debet. Nam tota ars habendi ex lapide elegantiorem colorem conſiſtit in recto uſu emplaſtrorum.

Cap. CXXX.

Olei lini præparatio, ad præcedentia emplaſtra.

Recip. olei lini clari, & pulchri, croceoque colore pellucidi quantum vis, ac imponas vitro, quod habet formam cornu bovini, ac in imo foramen: huic infunde aquam fontanam, ac bacillo agita oleum, & aquam. Deinde ſine quieſcant ſimul, donec ſupranatet oleum. tum per foramen inferius emitte aquam. Idque opus decies repetes, aut donec aqua tam clara, quam ante mixtionem fuerat, effluat. Tum enim purgatum erit oleum,

&

& huic operi idoneum. Si haberi lini oleum non poſſet, eius loco amygdalarum amararũ accipi poteſt, idque purgatione nulla opus habet.

Cap. CXXXI.

Quo pacto pulvis Lazuli præparatus adiiciatur emplaſtro fortiori, aut mitiori.

Recip. lapidis triturati & præparati prædicto modo libram unam, ac emplaſtri fortioris, cuius externam partem manibus abluiſti, etiam libram. Deinde ſcinde in minutas partes, ac impone ollæ novæ vitreatæ, ac humectatæ, eamque ſupra calidos cineres, ut diſſolvatur emplaſtrum, colloca. Verum cave ne bulliat, ſi tamen id contingat, error adiecta modica quantitate olei lini corrigi poteſt. Cum diſſolutum fuerit emplaſtrum, accipe ſpathulã qua emplaſtrum agitabas, ac inunge oleo lini. Deinde inſperge paulatim pulverem Lazuli, optime agitando emplaſtrum, donec ita uniatur, ut nihil extra emplaſtrum remaneat. Id cum obſervaveris, materiam bullientem in pelvim, aqua frigida plenam, iniice, eodemq; momento diligenter omne quod ollæ adhæret eximes. Cum deinde emplaſtrum parum refrixerit, ut manibus tractari poſſit, & bene coloratum fuerit, bonum indicium erit. Inunge itaque manus oleo, ac malaxando tracta illud ſeſquihoræ ſpatio, ut veſicæ omnes auferantur. Quo enim diutius malaxaveris, eo facilius color extrahitur. Cum ſatis tractaveris, fac inde panem, aut rotundam formam, patinæque impone, ac aquam frigidam affunde, ac ſine ita per quatuordecim dies, aut diutius; quo enim diutius maceratur, eo facilius extrahitur color, & pulchrior erit.

Cap.

Cap. CXXXII.

Quo pacto ex emplaſtro trahendus ſit color.

EMplaſtrum colore præparatum, lava manibu extrinſece & modeſte ea aqua,in qua reſervatum fuit. Poſtea pondera cum oleo, quo uteris dum id tractas. Deinde patinæ vitreatæ,cuius fundus inunctus eſt oleo lini, impone, ac ſuperfund aquam tepidam puram,cuius calor vix percipiatur ac ſupernatet duobus digitis. Relinquatur in e per quartam horæ partem, ſi æſtas fuerit. Sin ver ver fuerit, non tam diu. Aquam deinde effunde i vas ante à me deſcriptum, ac iterum aliam aquar tepidam affunde. Emplaſtrum enim mollius fit,a paulatim, quod melius eſt, extrahitur.Si enim uni ca vice extrahere velles, male negotium cedere Movebis itaque ſurſum deorſum emplaſtrum ſpa thulis poſtea deſcribēdis modeſte. Si fortaſſis en plaſtrum fundo vaſis adhæreret, unge manus,ac le viter inverte tamdiu, donec aqua tingatur; quai priori affunde, ac emplaſtrū ſuſtenta ſpathulis, r fundo vaſis adhæreat. Scias tamen, quod parui coloris multum aquæ prima lotione tinget. Cu vero iam aptum erit emplaſtrum, ut dimittat colo rem, certæ lineæ cæruleæ ab illo in aquam mitte tur, quaſi radii Solares eſſent. Hanc aquam alte affundes per cribrum,ut partes craſſiores emplaſt in eo maneant. Poſtea iterum aquam tepidam pa latim affunde emplaſtro,ac modeſte bacillis iteru move emplaſtrum,ne nimium dilatetur,ac uno in petu eiiciat colorem. Cum vero inverteris quir quies aut ſexies emplaſtrum: id redige in maſſa unitam; tum enim videbis quantum à ſe dimiſeri & ſi lapis fuerit præſtans, & abſolutus, invenies prin

prima hac tractatione circa quatuor aut quinque uncias. Atque hunc colorem ſeorſim ſervabis; eſt enim præcipuus,& cæteris pulchrior. Eodem modo age ut ſecundum colorem habeas,qui etiam erit unciarum quatuor. Tertium elicies colorem eodem prorſus modo aqua ſemitepida. Quartum qui cinerei coloris eſt eodem modo elicere poteris: ſed aqua calidiore opus eſt. Premes autem bacillis emplaſtrum,ut omnem colorem reddat. Si nolit, poteris lixivium ante deſcriptum adiicere. Hos omnes colores ſeorſim ſervare debes. Notandum,in extractione colorum conſumi horas octo;antequam vero reſederint,decem aut duodecim horæ elabuntur. Verum ſi aqua tepida tantum parum coloris extrahi poſſet, adde aquæ tertiam partem dulcis: quod ſi nondum id ſufficeret, adde lixivium frigidum. Si neque id iuvaret,fac lixivium ex cineribus ſarmentorum,idque colatum parum ebulli,ut linguam acore feriat: poſtea inclareſcat. atque eo tanquam ultimo remedio utere, quo poſtremum colorem extrahere potes. eodem lixivio calido poteris emplaſtrum lavare,ac poſtea abiicere, quia inutile eſt. In extractione colorum lucrum vel damnum omne verſatur.

Cap. CXXXIII.

De forma bacillorum, quibus verti debet emplaſtrum.

Debet confici ex ligno aliquo quod facile lævigari poteſt,ut eſt Aceris,Platani,Buxi,aut ſimili. Præterea debent eſſe ſemiulnæ longitudine, aut paulo maiores,craſſitudine pollicis,circa finem latiores,ac nuclei amygdalarum inſtar non exacte rotundi. ſuperior pars rotunda eſſe poteſt.

Cap.

Cap. CXXXIV.

Cuius coloris ſit color, cum egreditur emplaſtrum, & qualia ſigna edat.

PRimus color cum egreditur, cæteris paulo craſſior apparet, idque propter aureas venas, quæ in illo ſunt, contingit. Secundus ſubtilior quidem eſt, ſed non tam pulcher. Tertius adhuc ſubtilior eſt, ſed palleſcit, & clarior eſt cæteris.

Cap. CXXXV.

Quomodo lavandi ſint colores, cum ab emplaſtro ſeparati fuerint.

CUm extracti fuerint ab emplaſtro, & aqua effuſa fuerit, ſuprafunde lixivium dulce, manibuſque lava ſingulas ſpecies colorum ſeorſim, ſingulaſque etiam aquas ſeorſim ſerva, eæque omnes reſideant, priuſquam eas in vaſa propria effundas. Colores vero toties lava, donec emplaſtri pinguedo auferatur. Poſtmodum aqua limpida ter quaterve iterum lava. Aliter perfecte mundatur color ſequenti modo: ℞. vitellos ovorum gallinarum, quæ granis, non herbis paſtæ ſunt, ac pugione perfora vitellum, & aſperge eo æqualiter colores, deinde manibus optime impaſta, tum demum iterum lava lixivio molliori, vel dulci, toties donec lixivium tam purum quam fuit affuſum effundatur. Poſtea iterum ter aut quater aqua limpida ablue, ac ſine aquam bene reſidere antequam in patinas effundas. Hic eſt præſtans modus depurandi: ſed nonnullis in ſecretis eſt alius modus. Cum enim, ut dixi, perfecte loti ſunt colores, illis inſpergunt paulatim fel tauri, poſtmodum manibus bene fricant,

ac

ac poſtea iterum aqua limpida abluunt aliquoties. ita excellens redditur.

Cap. CXXXVI.

Quo pacto coletur color iam lotus, & mundatus.

COlatura opus eſt, ut quicquid impuri ab emplaſtro adhuc illis adhæret, auferatur. Poſtremam itaque aquam, quam poſt mundationem coloribus adhibes, cola per cribrum, deinde per aliud rarius, ac poſtremo per ſindonem ſandalinam. Cum vero colaturas adhibes, reſideant bene aquæ, donec eas videris limpidas, & claras. aut extrahe aquam ſpongia immiſſa, ita tamen, ne una colorem imbibat. Extractis omnibus aquis, quieſcant in patinis ſuis colores, ac exſicca in umbra: ſiccatos committe ſacculis pelliceis; quibus ligatis, frica, & comprime manibus ſacculos; ita enim ſubtilior fiet color, ac apertis ſacculis pulchior apparebit.

Cap. CXXXVII.

Correctio iam præparati coloris.

SI præparatos colores præſtantiores habere velis, iterum emplaſtro fortiori immiſce, in quo ſine per triduum, ac proſequere ſupraſcriptum modum. Quoties hunc laborem repetieris, toties elegantiorem colorem nanciſceris, verum ponderi ſingulis vicibus aliquid decedet. Hoc tamen beneficii habebis, quod una uncia plus efficies, quam tribus alterius.

Cap. CXXXVIII.

De pretio lapidis, & colorum extractorum, & quantum extrahitur.

Lapidis libra plerunque venditur octo, aut decem thaleris. Qui ſi optimus fuerit, promet ad minus decem uncias coloris, alias minus, aut vix tantum, ut lucrum præbeat, ſi non valeat. Ex optimo lapide primi coloris extrahes quinque uncias cum media: cuius uncia valebit viginti thaleros. Secundi generis valebit quinque, vel ſex thaleros. Tertii vero unum, aut ſeſquithalerum: verum ſi lapidem habueris præ manibus, cuius in examine minuitur color, tantum elicere non potes, & emplaſtris præterea tractandus eſt.

Cap. CXXXIX.

Quo pacto aurum ex lapide Lazuli, poſtquam tritus fuerit, ſeparandus ſit.

Lapidis iam ad Porphyrium triti libram commiſce unciæ mercurii purgati, ac miſce optime in mortario, deinde exprime per linteum, & mercurius una educet per linteum aurum. Poſtea expreſſam materiam tigillo impone, Vulcanoque committe, ita mercurius evolabit in auras, & quod remanebit in tigillo aurum purum erit. Id ſi relinquatur cum colore, eum magis ſplendentē, molliorem, & in penicillo ductui & extenſioni faciliorem reddit.

Cap.

CAP. CXL.

Vſus coloris ad picturas.

PRopter immenſum coloris ultramarini pretium, non ſolent eo uti pictores, ut aliis coloribus, ſed pingunt imagines, quas cæruleas volunt, communi cæruleo ex Armenio præparato, aut ex vitro illius coloris, quod Smaltum vocant. Deinde partes eas, in quibus lux hæret, ceruſa: poſtmodum coloribus iſtis, ut res poſtulat, rite adhibitis, iiſque optime exſiccatis, ultramarino colore humectato oleo nucum, & ſpiritu terebinthinæ, totam illam picturam cæruleam, tanquam vernice, aut linimento quodam tenuiſſimo, oblinunt. Hoc modo per obductum colorem, tanquam per glaciem aut vitrum ſubiecti reſplendent, pulchritudinem non ſolum excellentiorem à velamine nacti, ſed & perpetuitatem, ut ne ducentis quidem annis, vel minima lucis vel pulchritudinis portio decedat; nec mirum, quia quem ignis colorem conſumere non potuit, multo minus aër aut Sol exedere poterit.

CAP. CXLI.

Quo pacto ultramarinus color alio modo, & brevius à lapide ſeparetur.

REcipe lib. 1. lapidis in tenuiſſimum pulverem redacti, ac cum aq. clara ad Porphyrium triti, & impone ſcutellæ vitreatæ, donec pulvis in umbra exiccetur, quem iterũ, ſi in maſſam coierit, in pulverem redige. Deinde habeas in promptu picis gr. ℥ iij. reſinæ pini ℥ iiij. maſtiches ℥ iij. thuris ℥ iij. olivarum ℥ ij. Patellam vitreatam ſupra lentum ignem pone, ac primo imponas oleum, & cum be-

ne calidum erit,adde reſinam, poſtea picem, deinde thus, ac poſtremo maſtichen, ac move optime: poſtea, alteri ſcutellæ infunde,& bulli parum. His peractis habeas ad manum aliud vaſculum,in quod pones ſiccum lapidis pulverem, cui affundes unguentum dictum, paulatim movendo ſpathula, ut bona fiat mixtio. Tum relinque per diem mixturam, & cum auferre vis colorem, funde paſtam ſupra aquam bullientem, ac move & agita optime materiam, & cum aqua incipit refrigerari eiice, ac aliam calidam affunde,idque fac donec aqua colorem trahat,atque repete toties,donec omnem colorem extraxerit. Singulas extractiones ſeparare potes, ut diſtinctos colores habeas.

Si color ſpurcitiem contraxiſſe videatur, ita reſtitues: tantum aquæ tartari adiice colori, ut ab aqua tegatur. Sine per diem, poſtea aqua limpida colorem ablue, & habebis mundatum.

Præparabis lapidem ad dictum opus,hoc modo: Dum in fruſta fregeris,vaſculo impone,ac ure. Deinde lava cum aceto.ſic ſupererit optima pars, quæ igni reſiſtit.

Cap. CXLII.

De lapide Armenio.

LApis Armenius lævis eſt, colore cœleſti, bene unitus friabilis tamē, qua nota à lapide Lazuli diſtinguitur, aureis etiā venis caret, neq; ipſius color igni reſiſtit. Germanice vocatur *Bergblau,* Gallice *Ver d azur,* quaſi dicas, cæruleus color viridi commixtus. Tendit enim cæruleus iſte color ad viriditatem gratam. Quinetiam tandem in viridem colorem, ætate, dum tabulis appictus eſt, degenerat. Duritiem non habet,quam lapis Lazuli, atque are-

arenoſum quippiã continere videtur. Chryſocollæ quam Germani *Berg grüen* appellant, admodum ſimilis eſt, verum plus cærulei habet. ſæpe connaſcuntur. Habeo fruſtum quod utrumque lapidem habet. *a* Reperitur in variis Germaniæ locis, ut in Tyrolenſi Comitatu, aliiſq; argenti fodinis. Etiam in Hungaria, & Tranſylvania. Nonnulli Molochitẽ matrem exiſtimant: quibus non repugno, cum Molochiten purgandi facultate, & vehementiori quã lapis Armenius præditum, iam diu à multis qui illius periculum fecerunt, intellexerim: ac præterea in eodem fruſto, duriſſima pars Molochiten ſæpe omnibus notis referat, ac mollior lapidem Armeniũ. Melius tamen ſentiunt qui non Molochiten, ſed Cyaneum lapidem, lapidis Armenii matrem exiſtimant. Magna iſtorum trium eſt cognatio, ac frequenter in uno lapide (qualem habeo) & Molochites, & Cyaneus connatus perſpicitur.

Locus.

Molochites mater.

Cyaneus mater.

a *Garciam ab Horto Lapidis Armeni ſolum natale non agnoviſſe inde patet, quod libro* 1. *Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap.* 55. *hæc tradit de Lapide Armenio. Mixtus eſt hic Lapis ex Cæruleo, & diluto viridi. Appellatur Arabibus* Hager Armini, *id eſt, Lapis Armenius. Interrogati autem Armeni an apud eos naſceretur hic Lapis, affirmare non potuerunt. Sed Turci, & Perſæ Medici dixerunt exigua quantitate apud ſe vidiſſe, verum ignorare, num ex Armenia deferretur, nec ne. Aiunt multos inveniri in Vltabado urbe celebri Balaguate. Cuius contrarium docet Auctor.*

CAP. CXLIII.

Facultates lapidis Armenii.

Ad omnes morbos melancholicos.

CElebratur hic lapis ad melancholicos humores educendos, non ſolum per vomitum, ſed per ſeceſſum. Proinde ad morbum comitialem, ephialten inſaniam, maniam, fatuitatem, lieniſque vitia extirpanda & debellanda plurimum facit, idque abſque manifeſta qualitate: nam neque calefacit, refrigerat, vel exiccat. Movet autem vomitum innoxie, etiam pueris, ſi non lavetur. Quem ſi quis movere nolit, quinquagies lavet oportet; lotus enim non vomitum, ſed alvum movet. Huius lapidis mentionē facit Trallianus lib. 1. cap. 16 de melancholia, his verbis. Si oblato ægro, hiera, deliriis, & melancholia adhuc vexetur: dandus illi eſt lapis Armenius. Scio antiquos, dum purgantia medicamina ſymptomata melancholicorum non auferebant, elleboro albo uſos fuiſſe. Verum pluris hunc lapidem facio: nam experientia didici, egregie purgare abſque periculo & moleſtia; quod elleborus non faciat. Ad vomitum movendum, non loti lapidis dantur ſcrupula tria, aut quatuor, plus, minuſve, pro ratione morbi, & ægri. Ad alvum vero movendam loti lapidis quinque vel ſex ſcrupul. cum aqua tepida dandi. Hoc enim modo neque turbat, neque ventriculum premit, minorique moleſtia ater humor, cum ægri magno ſublevamine, expellitur. Ubi altera vice ægrum eo indigere cognoveris, audacter iterum offer. Nullam enim hoc medicamentum amaram, venenatam, aut malignam habet qualitatem. Si vero patiens potionis forma ſumere nolit, in pilulas redigi debet, addita hiera picra, vel alio electuario alvi beneficiū promovente:

Facultates ad melancholiam.

Pilula de lapide Armeno.

hoc

hoc modo Recipe Hieræ picræ unciæ ſemiſſem, Epithymi tantundem, agarici ſcrupula quatuor, ſcammonii unciam unam, caryophyllorum ſcrupulum unum, piſtentur omnia ſimul, ac cum melle roſato, aut Cydoniato incorporentur. Doſis eſt à ſcrupulis duobus, ad ſcrupul. quatuor. Hæ pilulæ omnes humores, ſed præcipue atros expurgant abſque moleſtia. Ego ſequentes reiectis aliis purgantibus, ad melancholicos humores deturbandos, præferrem. Recipe lapidis loti quinquagies, & donec ſapore & odore careat, unciæ ſemiſſem, Hieræ picræ drachmas duas, macis, caryophyllorũ, croci ana ſcrupulum unum, mellis roſati parum, fiat materia pilularum. doſis ſit à drachma una ad drachmas duas, pro ratione morbi, & ægri. Guainerius ſe pulveris forma, ac ſequenti dediſſe, & nunquam eius uſu deceptum fuiſſe aſſerit. Recipe lap. armen. ſcrup. duo, croci grana decem, macis ſcrup. unum, aquæ ſaccharatæ quantum ſufficit ad ſumendum pro una doſi. *b* Aëtius lib. 2. cap. 47. facultates lapidis Armenii etiam celebrat, ac iubet dari grana quinque melancholicis, item pueris pectoris morbo laborantibus, atque iis, qui morbo comitiali, aut mania correpti ſunt. quibus hac ratione dari vult. Tres manipuli centaurii minoris, coquantur cum libris duabus & ſemis aquæ marinæ, donec libra ſuperſit. Decocto colato adde ſcrupulum unum lapidis Armenii, & propina. Vomitu lapis reiicitur, & ſedes faciles ſubſequuntur abſque aliqua noxa per vices. Actuarius etiam uſum iſtius lapidis laudat. Ioannes Crato, aliquibus datum à drachma una ad ſcrupula quatuor abſque noxa: ſed lotum narrat. Quia vero inprimis melancholicos, & atros humores eiicit, cancri augmentum, dum ipſius materiam educit, prohibet. A pueris geſtatus

Aliæ pilulæ.

Pulvis ex lapide.

Ad epilepſiam & maniã.

Doſis.

nocturna terriculamenta arcere, & prægnantes ab abortu præcavere creditur.

b *Hic Aëtii locus male eſt citatus. nam non habetur lib. 2. cap. 47. ſed libro 2. tetrabibl. capite 42.*

Cap. CXLIV.

Vſus, valor, & præparatio lapidis Armenii.

Expetitur à Pictoribus hic lapis, qui ut color ipſius quam diutiſſime maneat, nec ætate mutetur, illi non lini oleum, ſed petroleum addunt: hoc enim ipſius colorem conſervat: dum pulcher eſt color, ac ultramarino ſimilis, uncia una ſemithalero, vel etiam uno thalero divenditur. Eximitur autem è lapide color hoc modo. Teritur lapis, ſed non plane in tenuiſſimum pulverem: tritus imponitur aquæ ſimplici: quæ mota, ſinitur exiguo tempore parum reſidere, ut color qui gravior eſt, ima petat. Ubi id animadverſum fuerit, effunditur aqua cum lapidis excrementis in aliam ollam, & quod reſederit, ſi multum ſuperflui habuerit, iterum lavatur, effuſo inutili. Ubi iam quod ima petiit parum excrementi habere videtur, teritur iterum exacte, ac ſcutellæ vitreatæ impoſito affunditur illi aqua limpida, in qua ſolutum ſit gummi Arabicum. Movetur aqua diligenter digitis, ut pulvis lapidis non reſideat. Tum ſinitur per mediam horam, donec reſideat ad ima color non totus, ſed melior pars (nam dilutior manet in aqua.) tum aqua effunditur in aliam ſcutellam. quę ubi reſederit, in fundo habebit viliorem colorem; qui ſeorſim ſervabitur. Color vero præſtantior alia aqua gummata movebitur, ac iterum relinquetur per ſemiho-

Coloris extractio.

horam, ut præſtantior coloris pars in fundo reſideat. Aqua effuſa ubi reſederit alium dabit colorem primo elegantiorem. Id opus quoties repetieris toties diverſos colores ſuppeditabit, ac poſteriores prioribus erunt pulchriores, & graviores, ſed craſſiores.

CAP. CXLV.

De Aſtroitide, ſeu ſtellari lapide.

ASTroitidis nomẽ alteri gemmæ quæ ad ſpecies Opali referri poteſt, ac à nonnullis Cati Oculus, aut gemma Solis vocatur, tribuitur. Illam ſuperius proprio capite deſcripſi: meo iudicio hic lapis, qui Stellaris dicitur, ac inter gemmas referri poteſt, quod annulis inſeratur, & ob miram naturæ elegantiam multis in luxu ſit, rectius Aſteria, aut Aſtroites cum *a* Georgio Agricola appellari, quam præcedens, poteſt. Continet enim ſtellularum formas tam exactas, ut ne pictor accuratiores formare poſſet. Opaca eſt gemma, colore candido, ſubcinerato, fuſco, aut griſeo, ac ſi quis lutum nigrius albedine commiſceret. ſtellæ nigriores ſunt, quam ſubiectum corpus. Deteriores, & quæ confuſas ſtellulas, nec apparentes habent, ad Garatronii genera referri debere videntur. Lapis ſtellaris Germanice vocatur *Sternenſtein*, alias *Sigstein*, quod geſtanti victoriam adferre putetur. Aliquando in hoc lapide non ſtellæ, ſed roſæ, aliquando undarum fluxus, & interdum in uno lapide omnia ſimul conſpiciuntur: ob quam cauſam à nonnullis *VVaſſerſteinlein* vocantur. Liceret hunc lapidem pro Achatis ſpecie habere, Plinio ſuffragante, qui lib. 37. cap. 10. ita de Achate inquit: Ponticarum plura ſunt genera. eſt ſtellata; nunc ſanguineis, nunc atris

Garatronius.


guttis; quæ inter ſacras habetur. Sed Plinii omnia obſcura ſunt.

a *Libro* VI. *Natura Foſſilium, Capite* XI.

Cap. CXLVI.

Loci natales, magnitudo, & genera Aſtroitidis.

QUatuor ſunt genera, unum quod exacte formatas ſtellulas refert, alterum quod roſas, tertium quod undarum, aut vermium gyros, & fluxus, ultimum quod confuſe, & obſcure maculas potius, quam prædictas figuras oſtendit: creſcunt ad humani capitis magnitudinem hi lapides in comitatu Tyrolenſi, & ad Cymmeriam arcem inveniuntur. Marſilius Ficinus ex capite draconis in India eximi exiſtimat, eumq; propterea Dracontium vocat. ſed fallitur; cum à ſe viſus & deſcriptus lapis non alius, quam iſte fuerit, & ab impoſtoribus, qui ignotos lapides, ut care divendant, falſis hiſtoriis celebrant, deceptus fuerit.



CAP. CXLVII.

Natura, facultates, qualitates, proprietates, uſus, & valor lapidis Stellaris.

a LApis hic aceto impoſitus movetur hinc inde; ſubit enim per ſtellulas aut lineolas lapidi impreſſas, tanquam poros, humor, ac dum incluſum aërem premit, ille exitum quærens, lapidem commovet.

Commendatur pulvis lapidis quatuor granorum pondere cum aqua appropriata exhibitus, ad peſtis contagia impedienda, item ad vermes ex corpore deturbandos. Tam valide enim circumforanei vermibus adverſari iactant, ut ſi geſtatus corpus nudum attingat, vermium generationẽ impediat, tremorem membrorum arceat, apoplexiam, alioſque ſubitaneos morbos, ne hominem corripiant, impediat, ac victoriam, unde nomen Germanicum habet, geſtanti præbeat. Aiunt etiam pulverem in potu exhibitum hepatis & pulmonis vitia corrigere, ac ſanguinem puriorem efficere. Deinde in cubiculo ſuſpenſum lapidem impedire, ne eo animalia venenata & araneæ ſe conferant. Qui primi generis ſunt, ac exiguas bene formatas in albidiore corpore ſtellulas habent, cæteris præferuntur, ac annulis inſeruntur. Verum non pluris fiunt, quam emptor ipſe velit. Nam elegantiæ potius, quam lapidis habetur ratio. Qui unguis humani magnitudinem æquant, ac elegantes ſunt, ad unius aut duorum thalerorum pretium accedere poſſunt, alias viles ſunt.

Ad peſtẽ.

Ad puerorum vermes.

a *Hæc Auctor deſumpſit ex Cardani lib.* VII. *de ſubtilitate, qui ſcribit hoc in veritate ita eſſe, ſeſeque ſæ-*

pius

pius expertum fuiſſe. Quem lapidem olim etiam cognovit, & vires eius, Rabbi Aben Eſra.

CAP. CXLVIII.

De Aſteria vera, ſeu Stellari lapide.

LApis hic litera E & F expreſſus potiùs nomen aſteriæ meretur, quam illi qui præcedenti capite deſcribuntur, ac literis A B exprimuntur. Nam ſtellas plures in ſe habet, ita invicem ſuprapoſitas, & connexas, ut ſeparari poſſint, quemadmodum figura littera E notata indicat, quam alteri figuræ annexam fuiſſe intelligendum eſt. Magnitudine ea eſſe ſolet, qua hic exhibetur. A *a* Geſnero Sphragis Aſteros vocatur, quia ſingulis partibus utrinque ſtellæ figura, ceu ſigillo impreſſa, vel inſculpta videtur, ac radii eminent ſuis angulis, quinimo in ſingulis radiis cavitas media eſt. Margines ſtriis tranſverſis ſulcantur. Subſtantia eſt prædura. Reperiuntur in colle edito ad Cimmeriam arcem. Octo, aut plures interdum ſimul cohærent. Ita concinne iuncti, & aptati naſcuntur, ut nullus artifex melius iungere potuiſſet, ſeparari tamen facile à ſe invicem poſſunt.

E.



F



a *Libro de Foſſilibus, impreſſ. Tigur. (ut poſt caput 52. huius libri monuimus) fol. 37.*


CAP.

Cap. CXLIX.

De lapide Bufonis, ſeu Garatronio.

BUfonis lapis, quem alii Boracem, Chelonitin, Batrachiten, aut Crapaudinam à Gallico vocabulo *vn Crapaut*, quod Bufonem ſignificat, alii Garatronium vocant, Germanis appellatur *Cröttenſtein*. Vulgi enim fama eſt, à Bufone antiquo eructari, licet alii cranium ipſius Bufonis eſſe exiſtiment. Memini, me, cū puer eſſem, antiquum Bufonem cepiſſe, ac ſupra rubrum pannum collocaſſe, ut lapidem nanciſci poſſem. (narratur enim illum nō reddere lapidem, niſi rubro panno inſideat.) verum cum per totam noctem obſervaſſem, Bufo nihil reiecit. ac ab eo tempore pro nugis habui, quod de Bufonio hoc lapide, eiuſque origine traditur. Mihi videtur commode ad Stellares lapides obſcuriores reduci poſſe. Habet enim maculas obſcuras, & colorem Stellaris lapidis, niſi quod cinereus, &

3 2 1 4



griſeus color ad rubedinem tendat. Oculi modo convexus eſt, altera parte planus, aut concavus. *Batrachites.* Hunc aliqui Batrachiten vocant, alii Brontiam, ſeu Ombriam. *Brontia. Ombria.*

Cap.

Cap. CL.

Genera, loci natales, & magnitudo.

DUo ſtatuuntur ab auctoribus huius lapidis genera. Primo genere continentur illi, qui Brontiæ, & Ombriæ nomen retinent, qui modo ſubfuſci, ſubrubri, ſulutei, vel ſubvirides ſunt, ac interdum ad ovi magnitudinem accedunt: una tamen parte plani ſunt, à qua ad cacumen ſeu apicem plerumq; quinque lineæ æqualibus inter ſe ſpatiis diviſæ, aut globulis exiguis interſtinctæ, procedunt. Hos lapides aliqui à ſerpentibus conflari, aliqui à fulmine deiici, aliqui ova teſtudinũ indurata in lapidem exiſtimant. Vulgus pro Bufonis lapidibus habet maioribus. Ad hoc genus referri poteſt lapis qui à Geſnero Ovum Anguinum appellatur. Sed omnes iſti lapides inter ſe differunt. Nam alterum genus, quod iam deſcribam, proprie Bufonis lapis, & Batrachites dicitur: Brontias vero, vel Ombrias (etiam inter ſe non differentes) Chelonites appellatur: quia nuper excluſam teſtitudinem, & in lapidem verſam referunt. Ovum vero Anguinum à Brontia, & Ombria differens, ſuum nomen retinere poteſt; ut hac ratione lapidum iſtorum non fiat confuſio. Singulos ſuis locis exactius paulo, quam hic deſcribam. Altero genere continentur minores illi, & qui raro unguis humani magnitudinem excedunt, quoſque paſſim pro Bufonis lapidibus gemmarii obtrudunt. Priores in agris, ut & poſteriores, reperiuntur; quos tamen alii in annoſis, ac qui diu in arundinetis inter rubos, ſenteſque, ac vepres delituerint, Bufonis capitibus generari pertinaciter affirmant.

Brontias. Ombrias. *Chelonites. Ovum Anguinum.*

Cap.

Cap. CLI.

Vires, facultates, proprietates, & natura lapidis Bufonis.

INprimis prædicatur hic lapis ad tumores, atque inflationes à venenatis animalibus illatas, quas crebro contactu diſcutit. Nam ſi ſcarabęi, glires, veſpæ, araneæ, aut ſorices alicui parti inſederint, aut damnum intulerint, admotus parti affectæ lapis, dolor miteſcit, tumorque partis ſubſidet. Præſente poculo venenato fertur hic lapis non ſolum colorem ſuum mutare, ſed etiam ſudare, ac guttas à ſe emittere. Proinde ad deprehendenda venena utiliſſimus habetur. Propinatur à nonnullis ad venena magna utilitate. Annulo perforato inſertus, ut cutem tangat, pręſente veneno cutem calefacere perhibetur. Hodie à multis ad prædicta expetitur, annuliſque, licet ingrati coloris ſit, geſtatur. Præterea ad renum dolores antiquos tollendos, & calculi generationem prohibendam, celebratur. Nam ad ea ſingulare & certum amuletum eſſe à gemmariis, lucri avidis, prædicatur. Vilis nihilominus eſt hic lapis, nec maioris venditur, quam à venditore emptoris deſiderium æſtimetur.

Ad venena.

Ad calculum.

Cap. CLII.

De Corallis.

HActenus de omnibus gemmis, vel lapidibus, qui annulis, auro, vel argento inclunduntur, & ad luxum geſtantur, me egiſſe exiſtimo: nunc de cæteris, ac iis, qui pro *a* lapidibus geſtantur, ac gemmis, vel lapidibus pretioſis comparantur, agendum eſt. Inter hos primum dignitate & auctoritate locum

cum fere obtinent Coralli, qui virginũ & mulierculárum brachia exornant. *b* Eſt autem Corallium frutex ſub aqua marina viridis, baccas habens ſimiles cornis, ſpecie, & magnitudine. Frutex Coralli è mari extractus lapideſcere dicitur; ob quam cauſam à nonnullis Lithodendron, & Dendritis à Plinio vocatur, aliis Gorgonii nomen habet, Europæi Latinum nomen retinent.

a *Corallum inter gemmas recenſet Theophraſtus libro* περὶ λίθων, *quem Curallium vocat, rubrum, rotundum, ſimile radici, ac cum ea comparat Indicam arundinem in ſaxum duratam. De Corallio multa Orpheus libro* περὶ λίθων. *Hanc gemmam eleganter deſcribit Publius Ovidius Naſo lib. 4. Metamorphoſeos, hiſce verbis:*

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tẽpore, dureſcit. mollis fuit herba ſub undis.

b *Auctor hæc habet ex Plinii libro 32. Naturalis hiſtoriæ cap. 2. littera p. Petrus vero Andreas Matthiolus in Diſcorid. lib. v. cap. 97. multa contraria tradit, Corallium non baccas ferre ut Plinius aſſerit, ſed baccas iſtas, quæ in Coralliorum monilibus Cornis ac ceraſis ſimiles viſuntur, ex ipſorum truncis torno & lima prius eſſe paratas: mox Smiridis lapidis pulvere, & terra quadam, quæ è Tripoli Africæ adfertur, expolitas, & lucidum lævorem iſtorum diutina fricatione habentes. Plura qui de Corallo ſcire deſideret, conſulat Petrum Andream Matthiolum loco iam citato.*

CAP. CLIII.

Genera, magnitudo, loci natales, quomodo, & ubi naſcatur.

Corallii variæ ſunt ratione colorum differentiæ: aliud enim rubrum, album, nigrum, viride, ſubflavum, cinereum, fuſcum, aliove mixto colore ornatum eſt. Cæteris omnibus præfertur rubrum minii nativi colore, quod maſculi nomen obtinet. Palleſcens enim fęminæ nomen habet. Huic ſuccedit Corallium album, deinde nigrum. Nam quod alio colore eſt, neque in uſum adhibetur, neque pro Corallio vulgo habetur, etiamſi in iiſdem locis reperiatur, & vere eadem planta ſit. Vidi apud antiquarium Imperatoris variis coloribus Corallia, ac cuius ſurculi lignoſi adhuc ex parte in Corallium mutati erant, ita ut manifeſte planta ipſa lignoſa conſpiceretur, & initium in ipſa Corallii. Fit enim Corallium dum ſuccus lapideſcens ſubit corpus ligni, id alterat, & in ſuam naturam convertit, dum in eo coagulatur. Ex quibus colligitur, veriſimile non eſſe, ſub aquis, ut aliqui referunt, plantam plane ligneam eſſe, & mollem, ſtatimque è mari extractam congelaſcere, aut coagulari. Si enim hoc verum eſſet, nullą planta Corallii ex parte lignoſa, & ex parte lapidea haberi poſſet. Quævis enim extracta ſubito lapideſceret. Quod tamen falſum eſt, ut dixi. Paulatim itaque ut in aliis aquis lapideſcentibus contingit, ſuccus penetrat ligni corpus, ac ligni formam & ſubſtantiam acrimonia, aliave qualitate mutat, atque in ipſius locum lapideum id, quod in ſe continet, ſubſtituit, quod concreſcens in Corallii formam abit. An autem Corallium ex lapideo ſucco creſcat, aut generatum alia-

rum plantarum inſtar, demum ſucco dicto alteretur, dubitari poſſet. Ego plantam ipſam, ut corallinam, algam, cæteraſque herbas, quæ in mari ipſo naſcuntur, creſcere non abſque ſucco lapidifico autumo. Non tamen lapideſcere, priuſquam emoriatur. Emori autem ordinario naturæ motu, vel agente in plantam nimis vehementer ſucco, qui eam necat, ac ſubiens & penetrans intimas illius partes facile tranſmutat. Quod autem ſuccus lapideſcens ad plantæ formam à natura adhibeatur: experientia multorum, qui plerumque obſervarunt è coctilibus lapidibus naſci Corallium, id comprobatur. Nam in inſula Tabacco Africæ finitima, quæ ex parte à mari abſorpta eſt, multum Corallii, ſubmerſis coctilibus lapidibus, radices habens, invenitur. Cur autem Corallium lapideſcat, aliæ plantæ nequaquam, hoc tum propter ſingularem ipſius diſpoſitionem contingit, tum quia ſuccus lapideſcens à natura ipſius ſubſtantiæ ineſt: qui facile lapideam formam plantam recipere cogit, ac in aliis non ita copioſe reperitur. Materiæ tamen ſemper peculiaris diſpoſitio & præparatio requiritur ut in eam agens agere poſſit, quæ ſæpe abdita eſt. Coloris ipſius ratio non magis dari, quam roſæ poteſt. Huius enim inveſtigatio humanum captum ſuperat, nec ad primas aut ſecundas qualitates referri debet, ut naſutuli nonnulli exiſtimant, qui omnium rerum cauſas ex his qualitatibus venantur. Nam non magis à qualitatibus hæc proveniunt, quam oculi viſio. Deus huiuſmodi coloribus res ornavit, ac eorum ſeminaria ſeminibus ita inſeruit, ut alii ab inſito ſpiritu architectonico produci non poſſint. Excreſcit Corallii frutex ad hominis fere longitudinem. Antequam rubeſcat, ac quodammodo maturus ſit, videtur variis coloribus tingi.

Quomodo Corallum creſcat.

tingi. Quotquot enim plantas vidi nondum exacte in lapidem converſas, omnes vel fuſco, vel viridi aliove colore, quo arborum rami tinguntur, colorati erant. Solique illi, in quibus ligneum vix aliquid apparebat, iam rubeſcere incipiebant, non ſecus ac in pomis & piris rubeus color poſtremus, ac maturitatis index eſt. Dum Corallium eruitur, multa illi extrinſecus adhærent, quibus depoſitis nativus & genuinus color ſe prodit. Non ſolum ratione coloris plurimæ ſunt Corallii differentiæ, ſed etiam ratione materiei. Nam aliud molle, durum, ſolidum, fiſtuloſum, ſcabrum, politum, poroſum, aliud racemoſum. Rubrum & nigrum cæteris magis eſt compactum. Exemptum Corallium plerumque ſcabrum eſt, hinc fit poliri ab artificibus. Nigrum rarius invenitur, olim *a* Antipathes dictum, quod nonnulli ebenum putant, ſed falluntur, cum ebenus lignum ſit, ut ante paucos annos ab Hollandis, inſula quædam deſerta, inter Iavam minorem & ſancti Laurentii inſulam inventa, ſilvis Ebeni arboribus abundans, teſtatur. Invenitur nigrum Corallium in Gallicia Hiſpaniæ urbe: huic ſimile quoddam ſpurium Savalia dictum, ex Mauritania *Savalia.* adfertur, cuius interior pars lignea, exterior cornea, & lapidea eſt, colore ex nigro, luteo, & viridi. Corallii albi ſpecies quædam ab Hiſpanis Polo vo- *Polo.* catur, ac in Catalania ab iis, qui Corallium rubrum quærunt, invenitur, abiiciturque in littus, quod à prætereuntibus collectum pharmacopolis vili pretio divenditur pro Corallio albo. Caret id cortice, creſcitque in fundo maris, non in ſaxis, ut rubrum Corallium. Corallium album ſolidum eſt, & cavitatibus caret, raroque reperitur, proinde tutius rubrum quam album ad medicum uſum adhibetur.

Plinio teſte rubrum Corallium in India, & Syene reperitur, nunc in mari Tyrrheno paſſim invenitur, ac Neapolin adfertur, ubi expolitur.

a *Lapis Antipathes, id eſt, reſiſtens dictus, naſcitur in Monte Teuthranta, teſte Philippo Iacobo Mauſſacco in libello de fluviis Plutarcho adſcripto (ut cap. 9. huius libri monuimus) in titulo de Cayco Myſiæ fluvio fol. 71. Vbi ſub finem hæc Plutarchi verba ſunt: Antipathes vino attritus, ſanat vitigilines, & lepras, ut docet Cteſias Cnidius ſecundo de montibus. V. Cl. Claudius Salmaſius (libro cap. 62 huius libri citato, fol. 942) Antipathem Gemmam Plinii, quæ contra effaſcinationes auxiliari putabatur, & ἀντιπαθὲς Coralli genus, ab eodem effectu dictum putat.*

Cap. CLIV.

Natura, proprietates, qualitates, & facultates Corallii.

Corallium omne exiccat, aſtringit, atque refrigerat, cor præcipue, deinde ventriculum & iecur roborat, atque confirmat, ſanguinemque purificat, ac proinde hilarem hominem efficit. Has vires habet intentiores id, quod quam maxime rubet; nam quod ſubnigrum eſt, à multis, hominem triſtem & melancholicum reddere, perhibetur. Hoc peculiare obſervatur in Corallio, quod ſi à viro ſano geſtetur, elegantius rubeat, quam ſi à fœmina portetur. pallidius enim redditur, forte quod neque tanto colore fœmina ſit prædita, quanto vir, neque tam puri vapores ab ipſius corpore in Corallium, quam à viri, exhalent, à quibus vehementer affici, ac coloris mutationem pati, multorum experientia certum

Coralliũ à viro geſtatum.

Coralliũ colores mutat. Coralliũ morbos oſtendit. Quomodo coloretur.

certum eſt. Conſtat enim Corallium rubrum palleſcere, liveſcere, variiſque maculis fœdari, dum à morti proximo, aut periculoſe ægrotante geſtatur. Imo & futuros morbos coloris mutatione demonſtrat. Amiſſum colorem recuperare dicitur ſi ſinapi ſemine obruatur, aut pane madefacto lavetur. Alii pulverem ex duobus iuglandibus veteribus adiecta ſalis nitri ʒ j. ſemis conficiunt, eo cũ panno Corallia fricant ut priſtinum colorem amiſſum recuperent. Alii rurſus urinam puerorum antiquam, & quæ reſidentiam depoſuit, relicta reſidentia in vas vitreum effundunt, ac in effuſione Corallos mergunt, ac vaſe occulſo ſinunt per quatriduum, tum exiccant, ac rubro panno albos redditos fricant, donec egregie rubeſcant. Alii Corallos ut priſtinum colorem recipiant, in ſterquilinium dependent per multos dies, ita tamen ne ſtercus attingant. hoc enim modo pulchri redduntur.

Amuletũ eſt Corallium. Album quid poſſit.

Celebre Corallium eſt amuletum contra terriculamenta, faſcinationes, incantationes, venena, epilepſiam, dæmonum inſultus, fulmina, marinaſque tempeſtates, ac quævis pericula, ob quam cauſam olim Iovi, Phœboque ſacrum erat. Album appenſum ut pectus contingat, hœmorrhagiam ſiſtit multorum experientia.

Cor confortat in peſte. Contra vitriolum.

a Corallium cor recreat, & roborat, proinde peſti, omnibuſque venenatis & contagioſis morbis, febribuſque malignis adverſatur, præcordia adverſus peſtem omneque venenum munit, ſi ſemidrachmæ pondere ipſius pulvis quotidie graſſante peſte ſumatur. Contra vitrioli venenum, quod in ventriculo & inteſtinis corroſiones, vomitum, ſeceſſum, linguæque craſſitiem, & nigredinem, difficilemq; reſpirationem inducit, ad duas drachmas ex vino exhibitum, omnia illius prava ſymptomata,

b Foreſto teſte, compeſcit. Refert Arnoldus Villanovanus grana decem Corallii rubri ex materno lacte infanti primum nato exhibita ante omnem alium cibum vel potum efficere ne unquam in vita epilepſia corripiatur, quod *c* Camillus Leonardus medicus Piſaurenſis, frequenter ſe expertum fuiſſe teſtatur. Præterea menſtrua nimis fluentia cohibet, gonorrhœam virorum, uterique fluorem reprimit, abſque alia corporis noxa: ſanguinis reiectionem, ac ſputa cruenta, fluxuſque dyſentericos ſiſtit, & ſanat. Renum & veſicæ calculos expellit, lienemque abſumit. Ad quos omnes affectus præſtans eſt ſequens compoſitio, quę vomitum, lienteriam, dyſenteriam, diarrhœam, alioſque alvi fluxus, peſtiſque contagia impedit, & arcet. Recip. Corall. rubr. prępar. drach. quatuor, Margar. prępar. drach. duas, Rad. torment. ligni aloes, boli armenæ ana ſcrup. duo, ſacchari diſſoluti in aq. Roſarum, & cinnamomi q. ſ. fiat confectio ſolida. Huius compoſitionis dantur drach. duæ pro una vice. Commendatur præterea Corallium ad ulcera, quę carne explet, item ad cicatrices, quas extenuat, oculorum etiam lachrymas ſiſtit, viſumque recreat, ſi in tenuiſſimum pulverem tritum, & aqua roſarum aliquoties lotum, collyriis adhibeatur. Dentitionem etiam puerorum promovet, ſi gingivis id mordere tentent; tenuiores enim illorum frequenti morſu redduntur, ut facilius poſtea & ſine dolore per eas dentes prodeant. Chymici ex Corallis tincturam, oleum, & ſal extrahunt, cuius mirificas ad prædictos omnes affectus prædicant facultates. Solvuntur ſucco limonum, berberis, ribes, vel aceto ſtillatitio. ſolutum effunditur, fæces remanentes calcinantur in tigillo, donec albeſcant. Solutio Corallorum diſtillatur ex balneo, relictæque fæces in dante calci-

Ne pueri epilepſia laborent.

Ad gonorrhœam & mēſtrua, alboſque fluores.

Ad ſanguinis fluxus.

Ad calculum.

Ad alvi fluxus & contagia confectio.

Ad ulcera.

Ad oculorum lachrymas.

Ad dentitionem.

Tinctura Corallorum.

calcinantur, quibus affunditur iterum extillatum, ter repetita cohobatione. ita aſcendit omnis tinctura. Sal habetur in fæcibus poſt primam diſtillationem. Alii ſal ita eliciunt: Corallos bene tritos vaſi vitreo appoſito alembico imponunt, eoſque ut vaſis fundum excandeſcat ad albedinem uſque calcinant. Calcem aceto diſtillato potenti immittunt, ac in loco tepido digerunt ad octiduum, quotidie bis agitando materiam, ita tingitur colore rubro: poſtea colaturam diffundunt, repetunt infuſionem. Deinde tincturas omnes ſimul collectas veſicę iniiciunt, phlegmaque omne alembico abſtrahunt, liquoremque craſſum, qui in fundo remanſit, in vitrum paulatim infundunt, ſeroſumque omne in calido exhalare ſinunt. Quo evaporato nova Corallorum rudimenta apparent, quæ abluuntur aqua calida ſæpius: qua abſtracta, exiccatam materiam, ſupra cineres calidos fovent per hebdomadas aliquot; ita enim in ſal albiſſimum convertitur, quod in quolibet liquore promptiſſime ſolvitur. *Sal Corallorum.*

Tincturam rubeam, quam oleum aliqui vocant, hac etiam ratione colliges. Corallos craſſo modo contuſos ſolve in aceto diſtillato: cũ non amplius ſolvuntur, effunde, aliudque affunde toties, donec omnes ſoluti ſint. Soluti digerantur decem diebus, ita rubeſcet acetum. quod evaporetur, ut ſicci fiant Coralli. quibus affunde aquam puram, ac dulcem redde calcem tertia ablutione, donec nullę fæces amplius appareant, & Coralli albi appareant. Calcem ſupra Marmor in cellario pone, ut in rubram aquam vertatur: ut autem habeas tincturam affunde calci ſpiritum vini, ut quinque digitis emineat, ac digere per aliquot dies, ſic flaveſcit ſpiritus: quem effunde, aliumque affunde toties, donec non tingatur amplius. Hos collectos ſpiritus circu- *Tinctura Coralli.*

lato quatuordecim diebus, ita erit ad ſeparationem idoneus. Pone itaque poſtmodum in arena, ſpiritumque abſtrahe, ut Coralli albeſcant. Supra fęces affunde iterum ſpiritum eundem, ac cohobando ſeptem vicibus illum exſtilla, donec nullæ maneant fęces in dante, ſed tantum tinctura, aut oleum abſque corpore. Id ſi rite operatus fueris, colorem conſervæ roſarum habebit. Prędictis tincturis chymici vires admirandas tribuunt. Ego certe teſtari poſſum, me, cum extreme febre peſtilenti decumberem, animique deliquia ſingulis momentis haberem, quatuorque dies & noctes abſque omni ſomno habuiſſem, omneſque aſtantes de mea ſalute deſperarent, me ſex guttulis tincturę, cum decoctione violarum, ex cochleari propinatis, extemplo, & quaſi miraculoſe fuiſſe liberatum. Quamprimum enim duo cochlearia tincturæ ſumpſeram, cordis ſpiritus ita recreari, & naturæ gratiſſimum quippiam acceſſiſſe, ac omnia præcordia ſubiiſſe ſenſi, ut ilico quaſi luce depulſis tenebris, morbi vim, medicaminis efficacia, manifeſte abigi perciperem. Sudorem enim, & criſim, (cuius tamen nulla indicia præceſſerant,) movebat, maculaſque quamplurimas purpureas ad cutem pellebat. Quibus ſudore continuo deletis, brevi priſtinam valetudinem recuperabam. Ea facultas tincturæ tribuitur, quod corpus in temperiem redigat cœleſti quadam vi, ac propterea omnes partium interiorum affectus radicitus avellat, propter analogiam, quam habet cum ſpiritibus vitalibus, & calido innato, quod auget & roborat, ut facile contrarios morbos ſuperare poſſit. Morbum comitialem, præſertim ſi ſpiritu vitrioli præparata fuerit, paucis ſeptimanis prorſus tollere perhibetur, etiamſi à iuventute quis eo laborarit. Præcipue commendatur tinctura ad uteri

Tinctura Coralli hiſtoria auctoris.

Tinctura facultas.

Ad comitialem.

uteri fluores albos,& rubros,quos ita ſiſtit, ut nullum aliud inde mulier incommodum incurrat,omne etiam alvi, & ſanguinis profluvium, ex quacunque parte profluat,compeſcit. Gonorrhœam etiam virorum diuturnam ſanat, longe efficacius , & minori periculo,quam pulvis ex Coralliis præparatus. Sal peſtiferis cum vino Rhenano,aut aqua acetoſæ, ſi adſit febris , mirabili ſucceſſu exhibetur. Diarrhœis,aut dyſenteriis peſtilentibus non minus eadem doſi medetur. *Ad uteri fluores. Sanguinis profluvium. Ad gonorrhœã. Sal ad peſtem. Ad dyſenteriam.*

Ad melancholiam, & tympanitidem celebratur ſequens Corallorum præparatio. Recip. Corallorum uncias tres,viſci quercini,hypericonis ana uncias quatuor,ſtoracis calamitæ,laudani ana unciam unam cum ſemiſſe, ſpiritus urinæ lib.ij.coquantur ſimul in cucurbita vitrea per diem, & noctem, poſtea exſtilletur humor,ac iterum affundatur.ita Corallii fiunt duri, & rubri. eos in mortario contunde, & tere ſupra Porphyrium, ac exhibe ſex grana cum aqua hypericonis ad prædicta. *Ad tympanitidẽ.*

Ad omnes prædictos effectus, liquor Corallorum admirabili virtute præditus, ſequenti etiam modo præparatur. Corallos groſſo modo contuſos ſolve in aceto terebinthinæ, ac ſolutos digere per menſem, ita tingetur acetum. quod effunde, aliudque affunde, donec non amplius coloretur. Poſtea filtra effuſa,& ſine humidum evaporet omne. reſidentiam ablue, exicca, ac cum ſpiritu vini circula, poſtea diſtilla, ac poſtremo ſupra Marmor ſolve.ita habebis dulcem liquorem, cuius propina ſex,aut octo guttas in convenienti liquore,ad omnia dicta mala. *Liquor Corallorum.*

Tinctura Corallorum etiam rubra,ſpiritu quercino,ſequenti modo extrahitur. Decreſcente luna, tribus primis diebus ante Solis ortum , dum luna *Tinctura cum ſpiritu quercino.*

vagatur in ſigno terreſtri, aliquot ramos quercinos amputa, quos per retortam, ſatis minutim prius ſciſſos, diſtilla lente. Phlegma quod primo prodit abiice, aut ſi omnia ſimul excipere velis, poteris balneo phlegma ſeiungere à ſpiritu & oleo. Corallos in pulverem tenuiſſimum redige, quos calefac ut fere excandeſcant, deinde in ſpiritum quercinum coniice, qui ſolet in diſtillatione phlegma ſequi: ſinas in digeſtione per triduum, ita ſpiritus colorem extrahet rubrum: quem effunde, iterumq; calefac Corallos, ac in recentem ſpiritum quercinum eos iniice, donec omnem colorem habeas: quo habito aufer ſpiritum diſtillatione, & in dante habebis tincturam. Eſſentia etiam Corallorum hoc modo præparatur. Recip. Corallorum in pollinem redactorum lib. 1. vitrioli albi, & ſalis gemmæ ana unc. unam. tere omnia ſupra marmor, impone violæ, & affund. aq. leviſtici lib. 1. obtura vas, & colloca in arena, vel cinere, ignemque da ſecundi gradus, digere per menſem, & rubefiet aqua, quam effunde, & coagula. aut ſi velis abſtrahe alembico humiditatem, donec remaneat in dante liquor rubens: ſi rubedo non placuerit, repete opus. huius eſſentiæ propinantur decem aut quindecim guttæ cũ aqua appropriata. dolorem oculorum ſedat, lachrymas ſiſtit, ac maculas in oculis naſcentes prohibet, & diſcutit.

Eſſentia Corallorum.

Ad oculorũ vitia.

a *Obſervandum autem eſt, ut Corallorum & cæterarum gemmarũ ramenta ſuper lapidem porphyritem tamdiu atterantur, uſque dum redigantur in pulverem, tenuiſſimi pollinis inſtar. Et ſane advertant Medici, quibus curæ eſt, ut plus honoris, quam auri lucrentur, ne Corallia cæteraque gemmæ in æriis mortariis conterantur. Amittunt enim gem-*

mæ, plurimaque etiam ſemina, contuſione in ære, vires ſuas, & adeo, quod perpetuo reſudat ex ære, ab aëre etiam, adhæret & in ſordes concreſcit, malignitatemque contrahunt: id quod manifeſte apparet ex iis, quæ diutius in ære remanent, atque poſt eximuntur. Adde hoc, quod in vaſis æreis deſtillata, cum aliis medicamentis tuto non miſcentur. Exſtat Nobile exemplum apud Ioannem Cratonem Medici cuiuſdam, qui præſcripſerat cuidam emulſionem Margaritarum. pharmacopœus eam confecit in mortario æreo. ſimul ac æger aſſumpſerat, vomuit: deguſtavit item Medicus, idem ei evenit. Galenus in libris de ſimplicium Medicamentorum facultatibus Corallii non meminit; ſed diverſis locis Corallium citat. lib. VII. *de Compoſ. Medicam. ſecund. loc. cap. 4. In iis compoſitionibus, quæ ab Andromacho ad ſanguinis reiectionem ſcripta ſunt.*

b *Lib. 30. obſerv. medic. obſervat 7. in ſcholio.*

c *Lib. 2. ſpeculi lapidum, littera c.*

CAP. CLV.

Dignitas, valor, & uſus Corallii.

COrallum in tanta olim auctoritate apud Indos fuit, ut Margaritas fere pretio æquaret, nunc propter copiam, multum ipſius dignitati & valori deceſſit. Expetitur tamen à mulieribus & virginibus, non ſolum pro ornatu, & mundo, verum ad faſcinationes impediendas. Vulgi enim fama conſtans eſt, geſtatum ſummopere prodeſſe, ac non ſolum faſcinationes, ſed dæmonum illuſiones, incubos, ac nocturna terriculamenta, impedire, ut præcedenti capite, ubi *a* facultates Corallii explicavi, oſtendi. Rubrum reliquis præfertur, ac quo rubicundius, eo carius. Solet in orbiculos redigi, & per-

Amuletum ad dæmonia & faſcina.

perforari, ut filo traiecto pro brachialibus aut coronis precariis inſerviat. Uncia rubicundiſſimorum orbiculorum piſi magnitudine uno thalero vendi ſolet. Maiores paulo maiori pretio; minores minori venduntur. Fragmenta ad medicum uſum idonea ſi rubeant, ac quiſquiliis careant, ſi libram pendent, thalero venduntur. Corallium racemoſum quod à Principibus ad oſtentationem ſervatur tanti fit quanti ab eorum appetitu æſtimatur. Vidi Corallii fruticem multis ramis ornatum qui centum thaleris æſtimatus fuit. Poteſt etiã pluris vendi. Appetentis enim luxus æſtimari non poteſt. Multi ſunt qui ſingularia quædam metallica, ac inſolentes naturæ excreſcentias, immenſo æſtimant pretio, cum tamen inutiles ſint.

Pretium Corallii.

Coralliũ racemoſum.

a *Quoniam auctor facultatis Corallorum hic etiam meminit, non abs re erit hoc loco inſerere deſcriptionem nobilis cõpoſitionis, quæ frequenti in uſu, quam Diacorallium vocant, quæ ex Corallis, & aliis ſimplicibus conſtat, cuius uſus, creber eſt in vomitu, lienteria, dyſenteria, & aliis alvi fluxibus. quæ hæc eſt. ℞ Corallorum Rubeorum præparatorum drachmas duas, Margaritarum præparatarum drachmam unam, Boli Armenæ drachmam ſemis, Ligni Aloes ſcrupulum unum, ſacchari albiſſimi, diſſoluti in aqua roſarum, & cinnamomi, quantum ſufficit. Fiat confectio ſolida.*

Cap. CLVI.

Imitatio Corallii.


Variis modis conantur artifices imitari Corallium rubrum, nonnulli externam formam & colorem quęrunt, ita ut ſi procul aſpicienti, aut imperito

perito Corallium videatur, contenti ſint. Alii ita imitari ſtudent, ut à vero diſcerni vix poſſit, ac veri Corallii vires & facultates habeat. Priores piri ſylveſtris fruticem, vix pedem altum, & qui ex vetuſtę arboris craſſa radice expullulat, colligũt. Hunc quia ramos Corallorum inſtar inflexos habet, mundant, ac ſupervacaneos ſurculos, & corticem auferunt. Deinde oblinunt calide emplaſtro duriſſimo, facto ex cinnabari, colophonia, ceraq; alba. Oblinit⁹ frutex, ac igne carbonum lævigatus, exacte Corallium refert, ut non niſi à peritis fraus agnoſcatur. Poſteriores Corallorũ fragmenta in pulverem redigunt tenuiſſimũ, ovique albumine, ac ſufficienti cinnabaris quantitate adiecta, in formas cõprimunt. Exemptum deinde, & duriuſculum Corallium iterum ovi albumine, ut ſplendeat, obducunt. Sunt alii qui loco cinnabaris, quia venenum eſt, maſſam cocci & croci colore tingunt. verum niſi quis colores apte miſcere ſciat, vix exacte Corallii rubedinẽ nanciſci poterit. Ioan. Bapt. à Porta Coralliũ in tenuiſſimũ pulverẽ redigit, deinde in tepido ſalis alkali lixivio manibus aliquoties nova adiecta aqua lavat. Poſtea aqua ſimplici aliquoties abluit. Tandem cum reſederit, addit colorẽ cinnabaris, ſanguinis draconis, Hęmatitis, minii, boli armenæ, rubricę, cocci, ſantali, braſilii, erythrodani, aut alium, adiecto limonum ſucco per filtrum purgato, quem bene movet, poſtea in vitrum violæ transfert, recteque permiſcet, ac in fimo condit, donec pulvis ſolvatur in rubicundiſſimum liquorẽ, quem decapulat. Mixturam vero manibus pinguedine illinitis tractat, ac in formas comprimit, calentique Soli exponit, ac oleo perungit, ut lævigetur, ac dureſcat veri Coralli inſtar, quæ poſtea expolitur.

Alia imitatio.

A Co-

A Corallium verum. C Corallium album D Corallium album verrucoſum. E Pſeudocc-rallium album.



F gypſum

F gypſum Coralloides. G Lithophytum Coralliforme. B Pſeudocorallium nigrum.



CAP.

Cap. CLVII.

De Pſeudocoralliis nativis.

Corallio albo ſimilis planta invenitur verrucis multis referta, ob quam cauſam Corallium Verrucarium dici poteſt. Color intus, & in fracturis cinereus eſt, circa truncum ex albedine parũ; interdum extrinſecus rubeſcit. Duritiem, & pondus Corallii rubei habet, ſuperficies tota plerunq. lineis inæqualibus ſcatet, ubi frequentes habet verrucas, quæ poroſæ ſunt, & veſiculas habent, è quibus congri in mari Hiſpanico ſugunt.

Aliud genus Pſeudocorallii albi invenitur, *a* Geſnero teſte, fungoſum, tuberoſum, leviterque articulatum, pennæ anſerinæ craſſitie, & fragile, ambiente cruſta albida conſtans, parte interiori fungoſa, ac friabili, plena radiis exilibus, & crebris, qui à communi centro incipiunt, & in cruſtam deſinunt Subſtantia aſperiuſcula, & dentifriciis apta videtur ſapor ei nullus.

Savalia. Nigrum Pſeudocorallium etiam habetur Savalia dictum, cuius mentionem feci præcedenti capite, cuius cutem extimã ſi adimas, & expolias, nigro colore pulchre nitet. Adhæret ſaxis in mari. Interior pars lignum eſt, quod per omnes ramos extenditur. hoc cornea & tenaci cruſta, ac lapidea, dura non friabili obducitur. Color cutis è fuſco luteo, & ſubviridi conſtat, verum cruſta illa craſſa nigredine aliove colore ſplendens, minores tantum ramos, & extremos obducit, tenuiſſimum lignũ in ſe fili inſtar habentes. Craſſiores rami cute tantum teguntur, quã ſi radas, marinus quidam, ac piſcoſus odor ſentitur, ac mox lignum quod ſubeſt, ſe videndum offert, ac, ſi poliatur, nitet. Putat Geſnerus, hanc

plantam

plantam ab Agricola pro ebeno foſſili haberi. Ad Pſeudocorallii ſpecies referri poteſt planta, quæ in littore Baiano invenitur, ac ab incolis Parma vocatur, quam multi Corallium imperfectum, atque ab Ariſtotele Adarcen, vel antoloden vocari putant. Ad Pſeudocorallii ſpecies etiam Corallina ad vermes necandos celebris, & Gypſum Coralloides referri poſſe videntur.

Ebenum foſſile. *Parma.* *Adarce.* *Corallina.* *Gypſum Coralloides.*

a *Libro de Foſſilibus, impreſſ. Tiguri, (ut poſt caput* 52. *huius libri monuimus) fol.* 138.

CAP. CLVIII.

De Succino.

SUccinum ab Arabibus *Ambra*, à Perſis *Carabe*, ab Ægyptiis *Sacal* appellatur, Galli *de l'Ambre* vocant, Germani *achſtein* vel *bornſtein*, Græci electrum, antiqui Germani *gleſſum*, vel *gleſſe* nominabant. Quidam antiquorum Lyncurium putant, verum ego, ut in cap. de Hyacintho expoſui, Lyncurium Hyacinthi ſpeciem puto, eamque quę Succinum ita exacte refert, ut ab illo viſu ſolo diſcerni non poſſit. Succinum aliqui Bituminis ſpeciem ponunt. Aliqui arboris lachrymam, aliqui ſuccum ex terra manantem, à maris frigiditate, & ſalſugine condenſatum. Alii balęnarum pinguedinem, vel ſemen. Igni admotum Succinum flammam concipit, ac fricatum ut caleſcat, ad ſe paleas trahit. Odorem habet ſuavem. Dum perſpicuum eſt, araneas, muſcas, aliaque inſecta, aut arborum particulas in ſe interdum continet, ob quam cauſam multi olim ſuccum fuiſſe colligunt, qui vel ex arboribus, vel terra emanans, ac inſecta obvia in ſe mergens, ita ut nunc apparet, coaluerit. Quam ſententiam impro-

Lyncurium. *Quid ſit Succinũ.*

probare non poſſum. Si quis obiiciat, in mari huiuſmodi inſecta non eſſe, reſpondeo, ante aliquot ſecula, ubi iam mare eſt, terram fuiſſe, ac olei fortaſſis fontem, ex quo effluens oleum, facile huiuſmodi animalcula in ſe recipere, & demergere potuit. In Belgio marina loca terreſtria fieri, ac terreſtria maritima, ſæpe deprehenditur. Nam in fundis nonnullis prope urbem Brugenſem patriam meam celeberrimam, dum ad decem vel viginti ulnas foditur, integræ ſylvæ reperiuntur, arborumque folia & trunci tam exacte adhuc apparent, ut ſpecies arborum dignoſci, & foliorum etiam ſeries ſingulis annis delapſa, diſtingui optime poſſit. Utuntur huiuſmodi lignis & foliis carbonis vice, noſtro idiomate *Deerynck* vocant. Sylvæ hæ ſubterraneæ inveniuntur in illis locis, quæ ante 500. annos mare fuerunt, ac poſtea à mari evicta ac à mari aggeribus ſeparata fuerunt. Ante quos annos nulla memoria eſt, illa loca unquam extra maris alveum, & in continenti fuiſſe Quia tamen ſylvæ reperiuntur, & arbores, quorum cacumina & ſuperiores partes Orientē ideo reſpiciunt, quod à marinis procellis, Occidentalibuſq; ventis, Orientem verſus, non alic deiici potuerint, neceſſarium eſt, ante hominum memoriam loca illa aliquando terreſtria, ac extra marinos terminos fuiſſe. Ut hoc illis locis, ita ſimile etiam iis, ubi Succinum reperitur, potuit contingere; tantaque olei bituminoſi quantitas olim effluere, ut frigore, & ſalſugine maris concretum ad innumeros annos ſui copiam faciat: nunc adhuc effluere veriſimile non eſt, cum in mari huiuſmod animalcula neque conſpiciantur, neque viver poſſint. In littoribus vero aliarum provinciarun huiuſmodi fontes eſſe, in mare fluere, ac Succinum ibi congelari, deinde tempeſtate ad littor

Vbi olim mare, nunc terra.

Deerynck. Sylva ſubterranea.

Boruſ

Boruſſorum pelli, etſi fingi poſſit, tamen veritati conſentaneum vix videtur hac ætate, qua Daniæ, Sueciæ, Livoniæ, Finlandiæ, vicinarumque regionum littora omnibus notiſſima ſunt. In quibus huiuſmodi fontes & ſcaturigines nunquam animadverſæ ſunt. Niſi quis in ſpecubus ſubterraneis ex putredine huiuſmodi animalia generari aſſerat. Album Succinũ vetuſtius flavo & pellucido videtur.

Cap. CLIX.

Genera, loci natales, ubi inveniatur, & qua magnitudine ſit.

Succini tria præcipua genera ſtatuerem. Minerale, animale, & vegetabile. Minerale id, quod ex aura bituminoſa, vel ex oleo bituminoſo, eiuſve puriore portione concrevit. Animale quod ex animalium pinguedine induratum eſt. Et vegetabile quod ex lachrymis arborum reſiniferarum coaluit. Iſtorum Succinorum innumeræ ſunt differentiæ. Quia ſucci bituminoſi in terra diverſi ſunt, & reſinę etiam plurimum inter ſe conſiſtentia, colore, & odore differunt. Quẽadmodum etiam animaliũ & piſcium olea & pinguedines ſunt differentes; ex quibus, dũ à maris ſalſugine condenſantur, varię ſpecies, vel Succini, vel Succino ſimiles efformari poſſunt. Verum hodie quia aliqui omne Succinũ ab arboribus fluere, aliqui mineralem ſuccum eſſe contendunt, tantum quatuor illius differentiæ ſtatuuntur. Unum album, ſeu candidum vix unquam tranſparens, rarum, cæteriſque pretioſius, balſamo viribus ſimile odorem ſuavem & fragrantem ſpirans, alterum auri modo flavum, & tranſparens plerumque, in quo varia animalcula, inſecta, feſtucæ, herbarum,

Minerale. *Animale.* *Vegetabile.* *Quatuor differẽtiæ Succini.*

arborumve ſurculi, aut ſemina conſpiciuntur. Id aliquando Chryſolithum, Carbunculum, Hyacinthum, vel Topaſion, reliquaſque gemmarum differentias ſuo colore exprimit. Tertium variis coloribus ornatum, interdum tranſparens, interdum opacum. Quartum opacum, variiſque coloribus ignobilioribus uno vel pluribus fœdatum, quod è pingui exhalatione bituminoſa, concurrente terreſtri nitroſaque materia, concretum eſt, ac interdum in agris invenitur. Alias omnes hæ Succini ſpecies in Sudinorum Oceano, marique Boruſſico ab incolis piſcantur. Dum enim Favonius, Caurus, aut Thraſcias ventus ſpirat, tum Succinum ad littora expellitur, ac piſcatores nudi, fervente maris æſtu, illud reticulis, perticis affixis, ingrediuntur, Succinumque colligunt, pro quo tantum illis ſalis rependitur. Aiunt nonnulli, in Sudinorũ Oceano vix triginta à littore ſtadiis, ſereno cælo, ſcintillare quiddam inſtar pellucidi bituminis in fundo maris, ac ad eum locum convolare piſces. Hic Succini ſcaturiginem, vel congelatam & induratam maſſam montis inſtar arbitrantur, à qua fluctibus & tempeſtate maris disfractæ particulæ ad littora pellantur. Sed incerta hæc omnia. Succinum in Balthico mari inter Suevi amnis & Viſtulæ oſtia invenitur. In continenti Iſiebię alias maſſa humani capitis magnitudine in fodina inventa fuit. Colligitur quoque in lacu ſalſo, non procul ab eo loco. In Pruſſia in littore Pucici ſinus, non longe à monaſterio Oliva effoditur. Item in lacu quodam à mari remotiſſimo, ubi veteris & nobilis familiæ Truthſiorum à *VVetshauſen* pagus eſt, diſtante ab oppido *Raſtenburg* tribus miliaribus. Item prope Regiomontem Pruſſiæ interdum ex terra effoditur; ſed maior copia ad littora Sudinorũ colligitur. Theophraſtus in Æthiopia,

Modus colligendi Succinum.

Mons ex Succino.

Vbi inveniatur.

pia, Xenocrates in Numidia, Aſſubaras iuxta Atlanticum mare, & Nicias in Ægypto naſci tradunt. Verum illorum tempore locus natalis illis fuit ignotus. Primus Cornelius Tacitus ubi reperiatur ſatis pro ſua ætate exacte deſcribit, his verbis: Æſtii populi ad dextrum Suevici maris littus mare ſcrutantur, ac ſoli omnium Succinum, (quod ipſi gleſſum vocant) inter vada, atque in ipſo littore legunt. Nec quæ natura, quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæſitum, compertumve. Diu quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen. Ipſis in nullo uſu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas, quia terrena quędam, atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox dureſcente materia cluduntur. Fœcundiora itaq; nemora, lucoſque, ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita Occidentis inſulis terriſque ineſſe crediderim, quæ vicini Solis radiis expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in adverſa littora exundant. Si naturam Succini admoto igne tentes, in modum tędæ accenditur, alitque flammam pinguem, & olentem, mox ut in picem reſinam lenteſcit. Hactenus Tacitus. De ipſius origine multæ fabulæ olim à Poëtis & Hiſtoricis confictæ fuerunt. Sophocles concretas lachrymas Meleagridum avium Meleagrum deflentium ſcripſit. Alii, Phaëtontem, cum equos Solis male rexiſſet, à Iove fulmine peremptum fuiſſe, ac in fontes Eridani, ſeu Padi fluvii decidiſſe, eiuſq; mortem Nymphas ſorores ita fleviſſe, ut doloris magnitudine in populos fuerint converſæ, quæ ſingulis annis eodem tempore lachrymas producant, è quibus electrũ fiat, tradunt.

Veterum de loco ubi inveniatur opinio.

Fabulæ de Succino.

Sunt qui Lyncis animalis lachrymas indurata Succinum eſſe ſcribant. Mithridates è cedrino arborum genere naſci dixit. Ægineta Succum albæ populi putavit. Cardanus nunc maris, nunc phocarum ſpumam eſſe arbitratur. *Opinio auctoris.* Ego pinguem terræ Succum, ſeu oleum bituminoſum olim effluxiſſe, & induruiſſe,& nunc adhuc effluere,ac à maris ſalſugine coaleſcere, tenuique portione excluſa induреſcere, vel à ſubterraneo calore pinguedinem hanc in ſpiritus reſolvi, ſublimari, ac intra terræ poros, à nitroſis ſpiritibus,iterum figi ac coagulari exiſtimo. Spiritus enim ſalis chymicorum experientia non ſolum alios ſpiritus, ſed oleoſa quævis facile congelant, & coagulant. Id ſmegmata, quæ ex ſale & oleo coaluerunt,& reſinæ ſpecies, quæ in aqua vitrioli,adiectis aquis aſtringentibus, multorum experientia indurantur, oſtendunt. *Magnitudo.* Succini fruſta humani capitis magnitudine interdum inveniuntur. Scribit *b* Plinius, Romam Succini glebam XIII. librarum allatam fuiſſe. Album rarius magnis fruſtis reperitur, idq; aureo vetuſtius, quia exeſum, magiſque friabile eſſe iudicatur; ob hanc cauſam aureum ab Italis illi præfertur;verum experientia viribus flavo aureoque præferri debere teſtatur.

a *Inter quos eſt etiam Petrus Bellonius lib. 2. obſervat. cap. 72.*

b *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 3. littera g. Hector Boëtius tradit, apud Schetlandiæ Buthquamiam, electri maſſam, equo maiorem, appuliſſe, qua ruſtici, & parochi Sacerdotes, ignari quidnam eſſet, thuris loco utebantur. De Succino plura ſcripſerunt Petrus Andreas Matthiolus in lib. 1. Dioſcorid. c. 93. Hieronymus Cardanus lib. v. de ſubtilitate. Georgius Agrico-*

Agricola lib. IV. *de Natura Foſſilium cap.* 8.9.10. 11.12.13.14.*&* 15. *Andreas Aurifaber quondam Illuſtriſſ. Princip. Boruſſiaci Medicus, libellum conſcripſit de Succini hiſtoria, qui libellus inſertus eſt tomo* 4. *conſiliorum, & epiſtolarum medicinalium Ioannis Cratonis poſt epiſtolas. Aetius lib.* 2. *Tetrabibl. cap.* 35. *Paulus Ægineta lib.* VII. *littera h. & alii, quos hic particulatim recenſere noſtri non eſt inſtiuti.*

CAP. CLX.

Natura, facultates, proprietates, & qualitates Succini.

SUccinum aſtringens, modice igneę, & calidæ eſt naturæ, flavum calidius paulo albo, quod non tantum olei in ſe habet, eſſe videtur. A medicis album maiores habere vires, quam flavum, cenſetur. Commendatur autem ad varios affectus. Si forinſecus geſtetur, pueros contra faſcinationes, nocturnaque terriculamenta tueri perhibetur. Cervici alligatum Succini fruſtum, oculorum lachrymas, fluxus, & ophthalmias miraculi inſtar ſanare à Myzaldo ſcribitur. Commanſum album Succinum linguam grata dulcedine, ac nares odore fragrantiſſimo afficit. Cordi inprimis amicum eſt; propterea ſyncopen, animi deliquia, cordis palpitationem, & peſtem curat, morboſque contagioſos abigit, & cor contra omnia venena tuetur. Balſami enim inſtar ſpiritus cordis recreat, viribus auget, puroſque reddit. Cerebro non minus, quam cordi convenit. Illud enim ſi nimio humore gravetur corrigit, ac proinde vertiginem amovet; epilepſiam, apoplexiam, defectum memoriæ, carum, lethargum, ephialten, paralyſin, aliaque vitia, quæ à cerebro oriuntur, non ſolum curat, ſed ne quis

Amuletum.

Ad lachrymas oculorũ.

Ad cordis affectus.

Ad cerebri vitia.

Ad aſthma. *Ad calculum.* *Ad hydropem, Aſciten,* *Gonorrhœam.* *Fluxum ſãguinis,* *Dentes.* *Menſes.* *Fluorem uteri.* *Partum.* *Arthritidem.* *Ad cordis affectus.*

in ea præcipitetur, prohibet. Aſthmaticos à paroxyſmo liberat, urinæ difficultate, calculoque laborantes, ſtatim liberat. Hydropicorum aſciticorum aquas miraculi inſtar brevi, urinæ promotione educit. Gonorrhœam, hæmorrhagiam, ac difficultatem inteſtinorum compeſcit, dentium dolores ſedat, menſes retentos ciet, uteri fluorem ſiſtit. Uteri ſtrangulatum peculiari vi prohibet, & curat. Partum, & uterum retinet, illumque ſi difficilis fuerit facilem reddit: catarrhis, morboque articulari medetur. Renes, & matricem purgat, ventriculi vitia omnia corrigit, eiuſque tunicas ab infarctu vitioſorum humorum liberat, ac ne quid in eo putridi, aut dolor oriatur, prohibet. Ad cordis omnes affectus, peſtem, venena, morboſque contagioſos domandos, pulvis ſequens mirifice præſtat. Recip. Succini albi drach. 1. Perl. prep. Coral. præp. ana ſcrup. ſem. oſſis de corde cervi, raſuræ eboris, cornu cervini, ana ſcrup. unum, terrę ſigillatæ, Boli armen. fol. auri ana ſcrup. ſem. fiat pulvis ſubtiliſſimus. Doſis eſt à ſcrup. uno ad drach. unã cum aqua appropriata, ut meliſſæ, tormentillæ, aut acetoſæ. Ad apoplexiam, epilepſiam, & catarrhos ad pectus decumbentes prohibendos multi præſervantur ſequenti pulvere. Recip. Succini albi drach. duas, ſpec. diarrh. drachm. unĩ, diamarg. frigid. de gemmis ana drach. ſemis, cũ aqua bethonicæ detur drach. una, altera à

Ad cerebri morbos. *Ad epilepſiam.*

novilunio die. Ad cerebri vitia omnia ſequens pulvis admirandæ facultatis eſt. epilepſiam enim deſperatam curat, non ſolum in pueris, ſed & in adultis. Vermeſque omnes interficit, unde ſæpe epileptici paroxyſmi oriuntur. Recip. Succini albi drach. duas, cranii humani, ungulæ alcis, rad. pæoniæ maris, ſem. pæonię, ſem. rutæ, cumini, cinnamomi, ana ſcrupulos duos, cinabrii montani ſcrup. unum, fol.

auri

auri ſcrup.ſem. Margaritar. prępara t. Corall. præparat. an ſcrup. ſemis, datur pulvis iſte à ſcrup. uno ad ſcrup. duo cum aqua rutæ, pæoniæ, ceraſorum, aut bethonicæ, die proximo à novilunio. Si pulveris forma non placuerit, adiiciatur ſacchari albi q. ſ. & fiant rotulæ drachmas duas aut tres pẽdentes, quarũ una veſperi ante lecti introitum ſumatur. Ante tamen uſum iſtorum ſemper purgatio præmittenda. Ad capitis defluxionem, & tuſſim, ac aſthma decoctus pulvis exhibetur cum aqua decoctionis guaiaci. ad dentium dolores decoquitur cum vino, ac unciæ duæ decocti ſingulis diebus propinantur. Si calor adfuerit, loco vini, aqua meliſſæ, menthæ, aut cuſcutæ adhibetur. In pulverem redactum ex vino propinatur ad album uteri fluorem. ad gonorrhœam ex ovo ſorbili drachm. una prębetur utiliſſime. Ex vino potatum gravidis geſtationem fætus leviorem reddit, calculum pellit miraculi inſtar, ſi paliuri ſemen addatur; menſes provocat, ac uteri ſtrangulationem ſiſtit, partuſque difficiles faciles reddit, datum cum vino drachmæ unius pondere. id enim frequenti experientia comprobatum eſt. ſi parum croci addatur, ac cum decocto arthemiſiæ exhibeatur prędictus pulvis efficacior erit. Ad morbos articulares coquitur cum guaiaco. Ad vẽtriculi robur conſervandum, ac tunicis ventriculi humores adhærentes exturbandos, oculorũ ac matricis, reniſque vitia emendanda celebrantur mirifice ſequentes pilulæ. Recip. Suc. albi, maſt. ana drachm. tres, extracti aloes ſimp. drach. ſex, agarici trochiſcati drachm. iij, ariſtolochię rotundę verę unc. ij. myrrhæ unc j. croci unc. ſemis. cum ſyrup. de bethonica fiant pilul. 9. ex drachm. una, ac dentur quatuor vel quinque circa lecti introitum. Succini fumus exceptus utero, eum decidentem in priſtinum lo-

Ad catarrhos.
Ad dentium dolores.
Pro gravidis.
Ad calculum.
Ad articulares morbos.
Ad ventriculi vitia.

locum reſtituit. Naribus admotus ſtrangulatum ipſius prohibet, ac cubiculis exceptus, aëris putredinem corrigit, peſtiſque miaſmata conſumit, eorumque nocumenta emendat.

Ad peſtem.

Oleum Succini.

Paratur ex Succino oleum balſami inſtar, ad omnia prædicta vitia admirabile, multoque efficacius pulvere, hac ratione. Per deſcenſum, vehementi igne è Succino nigrum oleum fœtidum, aſphaltique odorem referens, exuſtum, fluidum, liquido bituminis colore, conſiſtentia vero oleo lini ſimile depellitur. Id in retortam coniectum, ac elicitum, aurei coloris oleum, odore ſuavius, ac diaphanum, longeque priori tenuius, petrolei inſtar, promit. Hoc poſtea per balneum diſtillatum, aquei coloris oleum tenuiſſimum, & ad omnis generis obſtructiones reſerandas aptiſſimum, adque epilepſiam, apoplexiam, paralyſin, & vertiginem prohibendam, & ſanandam, hydropemque & calculum ſanandum peridoneum, prębet. Huius vires admirandæ ſunt, ut propterea Europæum Balſamum vocetur, ac veri Balſami loco haberi poſſit. Quicquid virium petroleo tribuitur, huic multo magis tribui debet. Succini oleum alii aliter diſtillant. Sequens modus cæteris videtur facilior. Succini pulvis humectatur lixivio fortiſſimo, ne intempeſtive aſcendat: poſtea cucurbitæ æneæ imponitur, eaque aperto igni committitur: ſupraponitur illi alembicus, ac roſtro ſeu naſo additur alter canalis vitreus, ut longiorem viam habeat oleũ, ita enim melius extillatur. Extillatum inditur alteri cucurbitæ, addita aqua, quæ committitur balneo Mariæ, aut arenæ. ita modeſte extillatur iterum, & rectificatur. Quinetiam tertia vice à nonnullis diſtillatur, ut purius ſit, addito ſale, vel oleo ſalis. Alii prima vice in ſpiritu vini ſolvunt, Succinum macerant, & deinde

Vires olei.

Oleum aliter.

Aliter oleum.

inde oleum extillant. Alii in aceto forti, vel diſtillato. Alii per ſe lento igne diſtillant, ac poſtea repetitis diſtillationibus per balneum rectificant. A multis hic modus celebratur. Recipe fragmenta Succini non ſubtiliter pulveriſati lib. 3. adde pulveris Silicum calcinatorum, aut arenæ mundæ lib. 4. imponas retortæ lutatæ, eamque furno probe committe luto, addito vitreo recipiente cum aqua. Urge igne lento, & prodibit album oleum, in aquam decidens. Dum flaveſcere incipit, muta recipientem, idque ſeorſim collige, donec rubeſcere incipiat. Id iterum ſeorſim collige alio recipiente. Atque hoc modo tria habebis olea. Albi olei ex libra habebis uncias duas, flavi unciam cum ſemiſſe, rubri uncias duas. Ignis fortior eſſe non debet eo, qui requiritur, ut cera fundatur. Si maior fuerit ebullit. Ubi olea nactus fueris, poteris illa rectificare, & aquæ inſtar limpida efficere. *Aliter oleum.*

E Succino etiam magiſterium hac ratione paratur. Tunditur minutiſſime, huic affunditur ſpiritus vini, ut ſolvatur. Solutum transfunditur, aliudque affunditur, quouſque quod ſolvi poteſt ſolvatur, ac per menſem digeritur. Poſtea aquæ omnes tinctæ igni ſolvuntur in auras, ita in fundo reſes oleum magiſterium eſt Succini. quo cicatrices in facie delentur, ac vertigines fugantur. Valet ad omnia, ad quæ oleum, ac eodem modo in uſum adhibendum eſt. *Magiſterium Succini.* Verum olei gutta unica, plus virium habet, quam ſex magiſterii. Olei uſus hic eſt. ad aëris contagia, peſtem ac catarrhos prohibendos, nares oleo inunguntur, aut aliquot guttæ goſſypio excipiuntur. quod ſæpe naribus, olfaciendi gratia, adhibetur. ac preſtantius eſt, ſi gutta una olei garyophyllorum addatur. *Olei uſus.* Eiuſdem efficaciæ tabellæ ſunt, ex ſolo ſaccharo præparatæ, adiectis guttis paucis *Tabellæ è Succino.*

olei

Vires olei. olei Succini. Præſervánt etiam tres guttæ cum ſale abſinthii, & aqua ſcabioſæ, acetoſæ, aut tormentillæ quotidie ſumptę, à peſte. Ac curant ſeptem cum aqua card. bened. & ſale arthemiſię bibitæ, quia ſudorem potenter, vel urinam movent, ac virus omne expellunt. *Ad apoplexiam.* Ad apoplexiam, & paralyſin, vertiginem, incubum præſervationis cauſa cum aqua Bethonicæ, lavendulæ, ceraſorum, cinnamomi, tiliæ, vel ſalviæ, aliquot guttæ quotidie ſumi poſſunt. *Ad loquelam.* Nam correptis loquelam reſtituit oleum, ſi ſtatim 8. illius guttæ, cum prædicta aliqua aqua, offerantur. Imo integre curat, ſi nucha & mēbra eo inungantur, ac per aliquot dies eius uſus frequentetur, ac pulſus temporum eo inungantur. Poteſt oleum unguento appropriato miſceri, eoque membra paralytica, aut nervi contracti, ut curentur, inungi. *Ad calculum.* Ad veſicæ, vel renum calculum, ac urinæ ſuppreſſionem, una aut duæ guttæ cum aqua pimpinellæ, ſaxifragiæ, raphani, naſturtii, aut petroſelini propinatæ, calculum pellunt, ac obſtructiones ſolvunt. Idque etiā fit ſi umbilicus, & perinæum oleo inungantur. *Ad partum.* Dum difficile partus procedit, ſex guttæ cum aqua arthemiſiæ, & cinamomi facile fætum promovent. Ad quem etiam effectum pinguedine anguium miſcetur, eaque umbilicus inungitur. *Ad uteri ſtrangulationem.* Ad uteri ſtrangulationem etiam guttæ tres, cum aqua menthæ, propinantur, ac nares & umbilicus inunguntur. hoc enim modo facile reſtituitur mulier. *Ad menſes.* Tres guttæ cum aqua aniſi ſumptæ, alba menſtrua ſiſtunt. Septem vero octidui ſpatio bis ſumptæ cum aqua pulegii retenta menſtrua fluere faciunt. Ad eundem ſcopum tabellæ ex ſaccharo cum aliquot guttis olei faciunt. *Ad catarrhos.* Si quotidie ſumantur guttæ quatuor, etiam caput, frigidis catarrhis & vertigini obnoxium, curant, & roborant, ac anhelitum libe-

liberiorem faciunt, cordiſque robur augent ne ſyncope afficiatur. Dantur autem ſingulis ſeptimanis bis cum aqua appropriata, ut dixi. In deliquio animi cervix, nares, & pulſus temporum inunguntur, ad vomitum orificium ſtomachi. Dum ſanguinis ſputo quis corripitur, tres guttæ bis in ſeptimana cum aqua Tuſſilaginis offerendæ ſunt. Ad ictericiã tres guttæ dantur cum aqua Chelidoniæ, ad viſus obſcuritatem cum aqua Eufraſiæ. Ad colicam cum aqua menthæ, aut cinnamomi. Ad febres cum aqua gentianæ. Ad vermes cum aqua Tanaceti. Ad melancholiam, cum aqua roriſmarini, mirabile eſt.

Ad deliquia. *Ad ſanguinis ſputa.* *Ad icterician.* *Ad colicam.* *Ad febres.* *Ad melancholiam.*

Cap. CLXI.

Dignitas, valor, & uſus.

PLinii *a* teſtimonio taxatio Succini propter dignitatem, & auctoritatem, qua colebatur à Romanis, tanta fuit, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum, vigentiumque pretia ſuperaret. Domitius Nero in cęteris vitæ ſuæ portentis, capillos quoq; coniugis ſuæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine Succina appellando. Hodie coronas, & vaſcula, ſeu pocula ex Succino parantur; illæ brachiis ornandis, & ad *b* preces numerandas, hæc ad medicamenta ſingularia cuſtodienda, menſaſque ornandas, in uſu ſunt. Vaſcula, quæ humani pugni magnitudine ſunt, ac rite elaborata, 10. vel 16. Thaleris æſtimantur, niſi cælaturæ artificium ſingulare, materiæ æſtimationem multoties ſuperet. Si figuras in ſe aliquarum rerum contineat Succinum, à poſſidentis affectu æſtimatur. Fragmenta Succini aliter æſtimantur. Albi enim fragmenta 6. thaleris venduntur. Mixta ex albo

a *Lib. 37. cap. 3.*

albo & flavo Succino, duobus thaleris. Nigra vero & impura medio thalero, imo etiam quadrante, ſi multum impuri contineant. Mixta fragmenta ad olei extractionem inprimis valent. Album enim Succinum tantum olei non præbet, quia aridius, partibus videlicet oleoſis vetuſtate exhalatis, mariſque frigiditate expreſſis. Valet etiam Succinum ad vernicem faciendum, quo pictores ac typographi utuntur.

b *Precatoriæ Sphærulæ è Succino, teſte Petro Bellonio lib.2.obſervat.cap.72, non minore ſunt apud Arabes, Syros, Ægyptios, & Indos pretio, quam apud Chriſtianos: nam Turcæ perinde his Sphærulis utuntur, ut noſtri homines, & ſuas preces pro eorum conſuetudine ad eas demurmurant. Sed & ad alios varios uſus applicant, veluti ad ornatum ephippiorum, frænorum, clitellarum, equorum, mulorum camelorum.*

Cap. CLXII.

Imitatio, & adulterium Succini.

PLinii tempore tingebatur ad libitum Succinum, hædorum, & anchuſæ radice, ac etiam conchylio, id eſt, violæ ſerotino colore. Hac ætate ars tingendi Succinum periit. Si tamen verum ſit, quod vulgo ſcribitur, in ceram ferventem immiſſum, molle fieri, facile quoſvis colores reciperet poterit. Imitatio Succini à multis proponitur. Cardanus ovi candido, & tragacanthi lachryma, immiſſis formicis, culicis, muſcis, paleis, Succiniqu pulvere, ut bene oleat, & feſtucas trahat, Succinum imitari conatur, ac melius aptiuſque candid

ov

ovi, vitellum iudicat, quod coctum humiditatem, putredinis auctorem, amittat, ac in lapidem dureſcat. Myzaldus, Cryſtalli pollinem, albuminis ovi conquaſſati aqua, croco addito, miſcet, vitro imponit, ac aquæ ferventi committit, dum duram conſiſtentiam adipiſcatur. quam efformat. Verum ſi corpus diaphanum cupiat, ante coctionem materiam percolat; ſed modus iſte mihi non placet. Baptiſta à Porta maſtichen liquidam per colum traiicit, ut expurgetur, parumque radicis curcumæ adiicit, ac Succini ſpeciem imitatur. Sed utilius & verius imitatur is nativum Succinum, qui id diſſolvere, ac diſſolutum iterum coagulare, vel in maſſam cogere novit. Quomodo autem id fieri debeat, verus phyſicus, ac qui prædicta intelligit, facillime aſſequi poterit. Ignaris, ac Muſarum oſoribus hæc aperire nefas exiſtimo. Sufficiat itaque naturæ ſcrutatori, viam ita facile hoc capite demonſtrari, ut falli non poſſit. Qui exactam Succini hiſtoriam vult, Andreæ Libavii viri Doctiſſ. tractatum legat.

Cap. CLXIII.

De Gagate.

Gagates nigrum Succinum exuſtum, & induratum videtur, ſplendet politum, ſed Succino gravius olet odore ſulphureo. Paleas etiam, Succini inſtar attritu calefactus trahit, ut reſinæ, & bituminoſa dura fere omnia. Nomen habet à loco natali, *a* Plinio teſte, loci, & amnis Gagis Lyciæ. Ga- a *Lib.36. cap.19.*
len. 9. ſimpl. ita deſcribit. Eſt & alius lapis colore nigro, qui ubi igni admotus fuerit, perſimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioſcorides, nonnullique alii, in Lycia inveniri prodiderunt, ad fluvium

vium nomine Gagaten, unde & ipſi lapidi nomenclaturam dicunt inditam. Piſſaſphalto non eſt diſſimilis, ſed multo durior, nigriorque. A carbone foſſili differt, quia Gagates ſolidior, denſiorque eſt, ob exhalationem, quæ ſenſim aſſavit & excoxit humidum oleoſum. Materia Gagatis ſimilis videtur fæcibus, quæ extillato Succini oleo remanent in retorta. Hæ enim ſi diutius omni oleo exſtillato aſſentur, ſplendent picis inſtar, ac tandem refrigeratæ iuſto modo, in Gagaten permutari poſſe videntur. Nicander Gagaten in Theriacis ſuis Engangin, & Gangitin vocat, à Gangæ Lyciæ civitate, aut Gagate fluvio. Agricola Obſidianum lapidem Gagaten putat, quod nigerrimi ſit coloris. Sed Plinius inter vitra retuliſſe videtur. Samothracia gemma à loco eiuſdem nominis appellata, videtur politus eſſe Gagates. Gallis vocatur Gagates *aget*, Germanis *Schvvartzer agſtein*.

Obſidianus lapis. *Samothracia.*

Cap. CLXIV.

Genera, & loci natales.

Duplex invenitur: rufus, & niger. Reperiturque non ſolum ad Gagaten fluvium, sed in Britannia, Sicilia, Agro Leodienſi, Sedunenſi, in Gallia, & iuxta Aquiſgranum. Aliquando etiam ſciſſilis invenitur, aliquando bene unitus, alter etiam altero durior eſt. Niger, lævis, & compactus eſt, igni appoſitus facile flammam concipiens, thuriſque odorem referens. Nonnulli hunc à Thracio lapide diſtinguunt, alii non, iterum alii à Succino nigro diſtinguunt, alii Succinum nigrum putant. Natura ut in Succini differentiis, colore, & conſiſtentia ludit

Thracius lapis.

ludit. Ita in Gagatis aut Bituminis indurati ſpeciebus, ut propter mixtionum diverſitatem, nihil certi ſtatuere poſſis. Inter neotericos Andreas Libavius differentias omnes iſtorum lapidum ſatis accurate perſequitur, quem Lector conſulere poterit.

Cap. CLXV.

Natura, facultates, & vires Gagatis.

Attritu calefactus Succini inſtar paleas trahit, fictilia ex eo inſcripta, Plinio teſte, non delentur. Oleo facilius extinguitur, quam aqua. Oleum enim commiſcetur ei, ac ignitum corpus ſuffocat. aqua cum pinguedini miſceri non poſſit, ignito cedit corpori, niſi omnino id totum tegat, & obruat. Verum id non facile fieri poteſt. Quia lapis levis eſt, & ſuprema aquæ, ut oleum omne, petit. Calidæ eſt facultatis. Suffitu ſerpentes fugat, dæmoniacos prodit, ac dæmonibus adverſari creditur. Epileptici, aut morbo comitiali laborantes, ſi ſuffitum ipſius olfecerint, extemplo morbo corripiuntur. Ob id num liberati ſint, necne, hac nota facile percipitur. *Num epilepticus ſit curatus.* Contra nocturna terriculamenta, ephialten, dæmonumque vexationes, ac præſtigia geſtatus plurimum conducit: ſuffitus menſtrua provocat. Partum pulvis potatus plurimum iuvat, & accelerat. *Ad partum.* Suffitus naribus exceptus, utero ſuffocantes reſtituit. Diureticæ eſt facultatis, ob id confert hydropicis, pellendo humorem per urinam, ſuaque qualitate, ac corroborandi vi, quia hepatis & ventriculi vitia corrigit, humores ſuperfluos conſumendo, ac in halitum digerendo. *Diureticus Gagates.* Virginitatem prodit, non ſolum ſuffitu, ſed potatu. Nam ſi pulverem bibat virgo, non urinabit: ſi corrupta ſit, *Virginitatus exploratio.*

urinam retinere non poterit, multorum teſtimonio. Ex vino decoctus pulvis dentibus medetur. Ex Gagate lapide oleum diſtillatur, petroleo viribus pene ſimile, calidius tamen. Prodeſt ad epilepticos, dæmoniacos, paralyſin, convulſionem, tetanum. Eius uſus præcipue ad frigidam podagram, omneſque frigidas fluxiones commendatur, inuncta parte. Item ad conceptum, & inprimis ad uteri præfocationem, quam brevi compeſcit. Accenſus, ac vino extinctus, ſyncope correptos reſtituit. Pulvis drach. unius pondere ex vino hauſtus ſeptē diebus, colicam integre ſanat.

Olei Gagatis vires.

Ad ſuffocationem uteri.

Ad colicam.

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 19. littera f. Sed Plinius male Dioſcoridis mentem eſt aſſecutus, exiſtimans Gagatem aqua accendi, oleo vero reſtingui, cum tamen Dioſcorides lib. V. de re Medica cap. 104. contrarium dicat, id non Gagatæ Lapidi, ſed Lapidi Thraciæ proprium eſſe. cuius hæc ſunt verba. Lapis Thracias dictus naſcitur in flumine quodam Scythiæ, cui Ponto nomen eſt. Vis ei Gagatæ: traditur aqua accendi, oleo reſtingui, quod in bitumine accidit. Plinii hallucinatio eſt, quod Gagatæ lapidi tribuat, quod cap. V. lib. 33. littera e. Thracio lapidi proprium eſſe docuit. cuius hæc ſunt verba. Calx aqua accenditur, & Thracius lapis, idemque oleo reſtinguitur. Quod una nobiſcum ſentit V. Cl. Claudius Salmaſius lib. (cap. 62. huius libri) citato fol. 253. De vi admiranda Gagatis conſule Aetii lib. 2. tetrabibl. cap. 24. qui plura ibi tradit, ut & Galenus lib. IX. de ſimplicium Medicamentorum facultatibus. Andreas Cæſalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 43.*

CAP.

Cap. CLXVI.

Vſus, dignitas, pretium, & adulterium Gagatis.

PRæter medicum uſum, quem oſtendi, etiam Succini inſtar eſt in luxu, non ſolum ut colla fæminarum albidiora efficere videatur, contrario colore nigerrimo, ſed ut earum pectora exornet. In varias enim figuras formatur, filoque traiectus catenæ aureæ vices ſupplet. Ad preces etiam numerandas in globulos formatur, filoque traiicitur. Pretium illi non materia, ſed forma dat. Vilis enim hic lapis eſt, etſi magnis viribus, ut ſupra dixi, præditus ſit. Adulterium hic lapis non meretur. Si quis tamen velit imitari, è petroleo oleum diſtillet, ac fęces aqua ſalſa, aut ſimili coquat. facile voti compos fiet, ubi iuſtum frigiditatis gradum attigerit.

Cap. CLXVII.

De Lithanthrace, ſeu Carbone lapideo.

ETiamſi Lithanthrax, ſeu Carbo foſſilis, Germanice *ſteincol*, ignobilis ſit, lapis tamen quia Gagatis rudioris ſpecies videtur, nolui ipſius deſcriptionem prætermittere. Nullus fere ipſius in medicina uſus eſt, fabris ærariis & ferrariis carbonis loco inſervit. Qui nobiliora opera præ manibus habent, iſto non utuntur, quod pinguedine ſua ferrum fragile faciat, & inficiat. Hoc Carbonis genere utuntur Leodienſes ad cibos coquendos, & frigoris iniurias hyeme depellendas. Aërem ita inficit, ut ſi quis non aſſuetus huic aſſideat igni, capitis dolores ſentiat graviſſimos, & niſi recentem ingrediatur aërem, ſuffocari, aut in apoplexiam inci- *Nocumẽta.*

Ad vinearum vermes.

dere facile poſſit. Mixto oleo tritus hic Carbo emolliri poteſt, eoque unguento agricolæ vites oblinunt, ne earum oculi ab inſectis erodantur. Varia foſſilium Carbonum genera reperiuntur. Nam prope Dreſdã Miſniæ effoditur Carbo Bituminoſus mollis, & fiſſilis. Bohemia etiam aliud genus fert nigrum, ac in terra abſumptum, quod poliri non poteſt. Aliud genus durum, fiſſile, non procul à Dreſda reperitur, item aliud cum Pyrite aluminoſo. Invenitur Carbonum foſſilium maxima copia in agro & civitate Leodienſi, cuius baſis tot antris excavata eſt, ut metus ſit, ne aliquando abſorbeatur. Altera enim pars civitatis, huiuſmodi cavernas pro fundamento habet. Et ſub ipſo flumine ampliſſimo, foſſorum avaritia flumini occaſionem dedit, ut interdum multa foſſorum millia extinguat, & ſubmergat. Demittuntur catenis ferreis inhærentes in abyſſum, à ſuperiori orificio duobus paſſuum millibus diſtans, miſeri foſſores, ob rem viliſſimam. Huius ſpecies putatur eſſe lapis Thracias, quem tamen alii Gagatis ſpeciem faciunt. Lege de his Doctiſſimi Viri Andreæ Libavii ſententiam, in tractatu ſuo de Succino, & Gagate.


Thracias lapis.

Cap. CLXVIII.

De Gloſſopetra, eiuſque loco natali, natura, & facultatibus.

Gloſſopetra, quia linguæ figuram habet, à multis non ſolum Lingua ſerpentis appellatur, ſed eſſe putatur. Lingua tamen ſerpentis nunquam fuit, ſed lapis ſui generis.

Gloſſopetræ figura.



In arenis prope Daventriam, vicinaque loca, ac prope Luneburgum in aluminoſis fodinis ſæpe invenitur, linguamque ſerpentis ſatis eleganter refert, ut non mirum ſit, vulgo pro ea haberi. Rectius tamen pici linguam refert. Craſſior pars lapidis lapidea eſt, quia lapidibus ſæpe innaſcitur, vel adnaſcitur. Mucronata vero pars cornea videtur, atroque colore ſplendet ut ſturni unguis. Aliqui cum Cerauniis hunc lapidem confundunt, & fulminis iaculum exiſtimant, propterea Germanice à nonnullis *donderkeil* vocatur. Cardanus Gloſſopetram Glottidem appellat, aliqui lamiarum dentem putant, & nominant, quia interdum dentatis marginibus invenitur, à nonnullis Germanice *Naterzunglein* dicitur. Colore variat. nam ſubalbida ex roſeo colore conſpicitur. Multi hunc lapidem magni faciunt ad venena, & faſcinationes prohibendas.

Ceraunia.

Ad venena & faſcina.

das. Aiunt, præſenti veneno, veneficium ſudore & madore prodere: ſed ea facultas à me nunquam deprehenſa eſt. Vilis ſatis eſt hic lapis, ac parvo emitur.

Cap. CLXIX.

De Alectorio lapide.

Alectoria, vel Alectorius lapis, Latine lapis Gallinaceus, aut Caponis appellatur. *a* Plinio teſte, in ventriculo galli aut Caponis decrepiti reperitur. Num autem ibi generetur, (ut alii lapides complures in diverſis corporis partibus, ex variis humoribus, terreſtrique ſubſtantia generantur,) aut pabuli vice ab ipſo inventus deglutiatur, incertum eſt. Nonnulli putant ex iecore galli antiqui etiam extrahi. id ſi verum ſit, ex animalis corpore orginem trahit, non aliunde. Colore variat. interdũ enim Chalcedonio, & Cryſtallo obſcuro ſimilis eſt, interdum fuſcum, vel cinereum colorem habet. Interdum ſanguineis venis diſtinguitur. Germani *Capaunenſtein* vocant. Raro, Plinio teſte, fabæ magnitudinem excedit. Idemque auctor refert, Milonem Crotoniaten, qui Priſci Tarquinii tempore vixit, in certaminibus invictum lapidis beneficio fuiſſe. Geſtatus enim, aut ore detentus, victoriam efficere, Venerem excitare, mulieribus virorum gratiam conciliare, gratiam, conſtantiam, ac eloquentiam geſtatori tribuere, creditur. Certo etiam neotericorum experimento ori incluſus, ſitim, ac cordis æſtum ſedat. Quod mirum videri non debet, ſi verum eſt quod ſcribitur, caponem dum lapidem in corpore geſtat, nunquam bibere. Aiunt præterea, eum, qui hunc lapidem geſtat, contra quævis pericula tutum eſſe. Alectorius quia raro reperi-

a Lib. 37. cap. 10.

Varietas.

Vires.

Ad pericula.

reperitur, tanti quanti velit emptor æſtimari poteſt. Ille lapis cæteris præfertur, qui in corpore ſuo, velut ſtagnantem iniecti cibi micam modicam, nec uſque adeo obſcuram, oſtentat.

CAP. CLXX.

De Chelidonio.

CHelidonius, vel Chelidonia, German. *Schvvalmenſtein*, lapillus eſt opacus, aſpectu ingratus, figura hemiſphærica. ſemper intrinſecus cavus eſt, quamobrem tenuis eſt. In convexa ſuperficie plerumque colorem pullum dilutiorem, quem Galli *tané* vocant, in cava purpureum, nigris iniectis maculis, habet. In ventre iuvenum hirundinum reperitur. Auctore *a* Plinio, matres excluſis pullis hunc lapidem devorandum dant. Cum autem pulli lapillos hos habent, ita inſident nido, ut roſtra coniungant. Dum eximuntur, viribus carent, ſecundum nonnullorum opinionem, niſi matre abſente, & antequam primogenius pullus terram contingat, eximantur. Bifariam diſcriminantur: aut enim ruſſi, aut nigri ſunt. Qui nigricant, ſæpe purpurei aliquid admixtum habent. Probatiſſimi ſubſtantia puriſſima ſunt, aureiſque guttis ornantur. Splendent omnes, ac raro ſemine lini, cui ſimiles ſunt, maiores inveniuntur. Dum in uno pullo duo inveniuntur, alter rufeſcit, alter rubeſcit. Dum unus tantum reperitur, is duorum vires habet. Ante aliquot dies à Gallo Chelidonii lapidis nomine tres lapillos rotundos & tenues piſi magnitudine emi, qui cum ſupra deſcriptis parum conveniebant, ac potius Bufonii lapides minores videbantur. In con-

a *Lib.* 37. *cap.* 10.

vexa ſuperficie pallidum & ſubflavum habeban colorem. Aiebat ſe eos ex hirundinibus excepiſſe Hirundinum pullos aliquot aperui, ſed nunquam lapides hos invenire potui.

Cap. CLXXI.

Vires, & facultates Chelidonii.

Trallianus, Marſilius Ficinus, Dioſcorides, Georgius Agricola, aliique complures, maximum remedium ad comitialem morbum hunc lapidem aſſerunt. albiorem nempe capiti aut auribus impoſitum extemplo collapſum excitare, nigriorem idem efficere ſi cuti alligetur. Manu detentos, aut capiti linc alligatos, veterrimos & antiquos capitis dolores demulcere (modo tamen terræ attactu facultatem non amiſerint) perhibetur, linteo etiam, vel croceo panno incluſos, colloque appenſos, quartanas delere, dextro brachio alligatos hepaticos perfecte ſanare, traditur. Rufi coloris lapis linteolo exceptus, ac ſub ſiniſtra axilla geſtatus, maniam, epilepſiam, & inſanos curare, geſtantemque omnibus gratum acceptumque facere, ac facundiam augere ſcribitur. Nigri coloris lapis ſimiliter à multis putatur gratiam principum conciliare, & efficere, ut incepta negotia quævis quis pro animi ſententia abſolvere poſſit. Aureo globulo incluſus lapis Chelidonius, colloque appenſus, omnem oculorum dolorem perpetuo avertere perhibetur: in quem uſum etiam tritus collyriis adhibetur, aut ex aqua decoquitur, oculiſque inſtillatur, quos recreare mirum in modum creditur. Id comprobatum experientia, quod oculis impoſitus lapillus, quæ-

Ad comitialem.

Ad capitis dolores.

Ad quartanas.

Ad maniam.

Ad oculorum dolores.

quęcunque in oculum inciderint, facile abſque dolore ſecum educat. Verum id omnes lapides læves, & qui angulis carent, ſi oculis imponantur, & hinc inde volvantur, præſtant.

CAP. CLXXII.

De Dracontia, ſeu Draconitide.

DE Draconitide ita ſcribit *a* Plinius lib. 37. cap. 10. Draconites, ſive Dracontia è cerebro fit Draconum, ſed viventibus abſciſſa nunquam gemmeſcit, invidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur morientibus amputant. Sotacus qui viſam eam gemmã ſibi apud Regem ſcripſerit, bigis vehi quærentes tradit, & viſo Dracone ſpargere ſomnifica medicamenta, atque ita præcidere. Eſſe autẽ candore perlucido, nec poſtea poliri, aut artem admittere. Hactenus Plinius, qui aniles fabulas potius, quam veram hiſtoriam referre videtur. Albertus Magnus, vanitate pleniſſimus, maximum Draconem hunc lapidem habere putat. Marſilius Ficinus ſe hunc lapidem Florentiæ ex India allatum vidiſſe aſſerit, lupini magnitudine, ſtellis quam plurimis naturaliter inſignitum, qui aceto impoſitus in rectum & obliquum ferebatur, donec aceti vapor exhalaret. Sed deceptus fuit Ficinus, Stellarem lapidem Dracontiam eſſe putans, qui fortaſſe ſuo tempore adhuc ignotus fuit. Etſi autem Dracones lapides habere poſſint, mihi tamen nondum viſus eſt. Draconites fertur omnia venena, præſertim ſerpentum fugare.

Error Ficini.

Stellaris lapis.

a *Littera ff. Philoſtratus ſcribit in India Dracones eſſe, alios paluſtres, alios montanos, grandiores, acriores, criſtatos, in horum capite reperiri gemmam, ſpecie,*

aſpectu floridam, & iucundam, potentia mirabilem. Solinus vero ſcribit, quod Dracontias Lapis non ſit, niſi detrahatur viventibus: nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul durities ſolita evaneſcit. Quem locum Solini V. Cl. Claudius Salmaſius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 388. egregie explicat. Alium modum, quam Sotacus, quo acquiri hic lapis poſſit, edocet Philoſtratus lib. 3. Cuius hæc ſunt verba. Pallium Coccineum, litteris aureis ſuperintextum, ante cubiculum extendunt: ſcripta autem incantatoria verba ſomnum dicuntur inducere. His Draconum oculi, quam duriſſimi, ſuperantur. Ipſi quoque plura verba ex arcana ſapientia ſuperincantantes, eo Draconem perducunt, ut litteris pallio intextis ſuperdormitet. Dormientis inſtantes Indi Cervicem ſecuri feriunt, ſciſſoque capite, lapillos intus exſtantes auferunt. Andreas vero Cæſalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 41. teſtatur hunc lapidem apud ſe eſſe, eiuſque deſcriptionem tradit, ut ibi videre eſt. ſed fides ſit penes Auctorem.

Cap. CLXXIII.

De Anguium lapide, apud Bohemos celebrato, quem vocant Duchanek.

ANguium lapis apud Bohemos celebratur. forma eſt rotũda, craſſitudine minimi digiti pueri ſexennalis, in medio foramen habens tam amplũ, ut prędictus digitus immitti poſſit; quod altera parte latius eſt. Lapis colore eſt croceo obſcuro, oculos exacte formatos in externa ſuperficie, variis coloribus ornatos, vivi oculi inſtar, habens; is tamen color qui iridem referre debet, cæruleus plerumq; eſt. Bohemi conflari à multis anguibus concurrentibus putant, ac ſingulos oculũ formare. Propterea

ab

ab iis *Duchanek* vocatur, quaſi dicas ſpiritalem, aut ex ſpiritu, vel flatu confectum lapidem. Exiſtimant, geſtantẽ ab omni veneno, aëre peſtilenti, faſcinationibus, ac incantationibus immunem reddere. Verum falluntur vehementer, cum lapis iſte ab illis in tanta auctoritate habitus, non lapis, ſed vitrum ſit hac forma conflatum, ac mulierum verticillus, qui fuſis dum fila trahunt adhibetur, ut pondere facilius vertantur, ac motus diutius perſeveret. Memini me ante triginta ſex annos, cum puer in Belgio viverem, innumeros huiuſmodi verticillos apud mulieres vidiſſe. Caveant itaque ab impoſtoribus, qui falſa pro veris obtrudunt in poſterum Bohemi, nec ſibi tam facile imponi ſinant.

Cap. CLXXIV.

De lapide Ovum Anguinum appellato.

OVum Anguinum, ſuperius, inter Bufonii lapidis genera, recenſui, quod à multis ita vocetur. Nonnulli à ſerpentibus conflari exiſtimant, forte quia à baſi, quæ plana & lævis eſt, quinæ veluti caudæ ſerpentum aut lacertorum verſus ſuperiorem partem elatæ, ac paulatim attenuatæ apparent.



Colorem hi lapides habent è fuſco albicantem. intus ſunt candidi, foris mire duri; ambiuntur enim cruſta

cruſta ſilicea, ſub qua molliores ſunt. formã habent hemiſphæricam, vel lenticularẽ. Videntur iſti lapides cum Brontiis, vel Ombriis cognationem habere. Plinius Ovum Anguinum, quod ab hoc lapide differre non videtur, adiectis nugis quamplurimis, lib. 29. cap. 3. his verbis deſcribit. Eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, emiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium, corporumquė ſpumis, artifici complexu glomerantur. Anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interventu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atque ut eſt Magorum ſolertia occultatis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tanquam, congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id Ovum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium & Regum aditus mire laudatur: tantæ vanitatis, ut habentẽ id in lite in ſinu equitem Romanum è Vocontiis, à Divo Claudio Principe interemptum non ob aliud ſciam. Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentum, circumdata effigie anguium, fecerint: neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt. Hactenus Plinius. Hunc lapidem aliqui Ovum teſtudinis terreſtris in lapidem induratum exiſtimant. Neque adeo abſurde, cum rudimenta teſtudinis, in convexa ſuperficie, ſatis apte referat. Verum neſcio cur lapis ſui generis eſſe non poſſit, cum vari[illegible] ludat in mixtis natura. Vulgo hic lapis geſtatus, pu-

Brontia. *Ombria.*

tatu

tatur geſtantem ſecurum reddere, ne ab aëre peſtilenti, aut à veneno inficiatur, aiuntque præſente veneno id ſudore prodere. Sed duriores omnes lapides, & gemmæ politæ, dum aëri committuntur, facile madent, ſi aër calidior ſit, quam ipſarum ſuperficies. Corpus enim frigidius aërem proximum in humorem ſolvit; non ſecus ac gladii, qui in hypocauſta tranſlati, facile humidi aëris particulas ad ſe trahunt, & in aquam ſolvunt. Vulgus rerum cauſas ignorans, effectuum cauſas ſæpe alias opinatur quam ſint. *Ad venena.*

Cap. CLXXV.

De lapide Carpionum.

Circa initium ſpinæ dorſalis triangularis lapillus, aut oſſeum quid potius, in ciprinis reperitur, quod vulgo lapidis nomen habet. Huius auxilio caput ſpinæ annectitur, colore eſt ſubflavo. Apud Belgas mos eſt ut narium hæmorrhagias, lapide naſo appoſito, ſiſtant. Calculoſis pulvis potui datus, prodeſſe dicitur. Ebullitionem etiam flavæ bilis ore detentus, prohibere perhibetur. Solet id malum poſt crapulam, imbecilli ventriculo, contingere. Belgæ huiuſmodi malo affectum *verzevet* vocant: Germani ſe *den ſohdt* habere aiunt. *Ad orexin.*

Cap. CLXXVI.

De Oculis Cancri.

Cancrorum Oculi in cancris, qui exuvias deponere volunt, forma hemiſphærica, circa oculos reperiuntur. Albi ſunt, ſatiſque duri. Inprimis

ad ſanguinis coagulati diſſolutionem & expulſionem celebrantur. Tenuium enim partium, ac diureticæ ſunt facultatis. ob quam cauſam vulnerati potionibus magna utilitate adhibentur. Calculos etiam rumpunt, ac per urinam expellunt, triti, in pulverem redacti, & cum vino diuretico propinati. A Chymicis in eſſentiam aut liquorem ſolvuntur ita enim efficacius multorum experientia id præſtant. Ratio in eſſentiam redigendi hæc eſt. Triti Oculi ſolvantur in aceto aliquoties diſtillato, & acetum indies effundatur, aliudque reponatur, quoad tenuiſſima ſubſtantia ſit exhauſta. quæ aceto communicatur. Dum uſque ad fęces veneris, ceſſa. Collecto aceto iniice parum caphuræ, ut defęcetur. Poſtea diſtilla per alembicum, & quinta eſſentia un[a] exit. Si non tota exierit, repete diſtillationem, refuſo aceto, capite mortuo trito, cum quo ſine in digeſtione parumper. Si exiit tota, acetum lentiſſim[o] balneo ſegrega: reliquiis affunde vini ſpiritum, digere, & abſtrahe aliquoties, tandem edulcora ean[dem] aqua ſtillatitia, & habebis eſſentiam, quam in quo[]vis liquore ſolves. Potes eam etiam retorta exiger[e] forma olei. Aliter hoc modo.

Ad vulnera. *Ad calculum.* *Eſſentia Oculorũ Cancri.*

Aliter. Oculos Cancri minutiſſime triti, lævigatiq;, impone vitreo vaſi, & diſtilla. Reliquias calcina ad albedinem, ut fundus vitri excandeſcat. Exime, & immitte in acetum diſtillatum potens. Digere pe[r] octiduum, indies bis movendo. poſtea effunde. repone aliud, iterum digere. idque fac donec ſubtiliſſimam partem extraxeris. Acetum per vices abſtractum per partes in alembico diſtilla lento igne uſque ad liquorem craſſum. (alii exigunt per alembicum etiam eſſentiam, ſeu cum aceto, ſeu per ſ[e] forma olei.) Hunc effunde in terreum vas vitreatum, aut concham, & modice divapora ad ſiccitatem

tem, quemadmodum coagulantur ſales. Siccum pulverem ablue ſæpe cum aqua calida, ut aceti acrimonia decedat. Exiccatum denuo per aliquot ſeptimanas in cineribus calidis detine, vel reverbera, & vertitur in pulverem albiſſimum, qui defluit ut alkali. hunc ſi ſolvas cum quinta eſſentia, circula, ut propior ſit quintæ naturæ. Poteſt etiam ſublimari in florem, & flos circulari. Dantur huius eſſentiæ grana tria, aut ſi in liquorem redacta ſit, tot guttæ, aut paulo plures, ad calculum. Alius modus, non vulgaris, mihi ſummopere commendatus, hic eſt. Oculis Cancri in tenuiſſimũ pulverem redactis, ac violæ inditis, ſuprafunde acetũ terebinthinæ. obtura vitrum, ac per noctem ſupra calidos cineres digere. Sequenti die ſolutum effunde, aliudque affunde, idque toties, donec ſolutos videas. Acetum collectum filtra, in balneo evapora. remanebit in fundo ſal Oculorum Cancri. Id contere, Marmori inſperge, ac in cellario relinque, donec in liquorem ſolvatur. cuius guttæ 8. vel 10. dari poſſunt cum aqua Raphani, ad calculũ, ad venena, & ad ſymptomata, quæ vulneratis ſuperveniunt, impedienda, & ſananda. Fit & aliud arcanum ex Oculis Cancrorum pro ulceroſis & vulneratis mirabile, renovans, purgans, & mundificans omne id, quod cõtra naturam eſt, quod per vulnus miro modo expellit, ac foras trudit. Fit hac ratione. Reſolvuntur Oculi Cancri cũ vini eſſentia, & ſpiritu, ſpatio menſis, in Balneo Marię. Poſtea in libero igne ſedecim vicibus diſtillantur, ſemper fæcibus exſtillatum reaffundendo. Poſtremo in Bal. Mariæ vini eſſentia ſexies ab oleo extrahitur, cohobando. tum habetur arcanum. cuius ſcrupulus cũ Theriacæ drach. una, & aquæ fumariæ unciis aliquot, mane & veſperi oblatus, prędicta omnia & maiora præſtat.

Aliter.

Ad vulnera arcanum.

Cap. CLXXVII.

De Vmbilico Marino.

UMbilicus Marinus, umbilici humani ſimilitudinem & magnitudinem habet, unde nome obtinuit à nonnullis Umbilicus Veneris, & Germanice *ein Meerbonen*, ac ſi dicas faba marina, vocatur. Videtur diligenter intuenti conchæ eſſe rudimentum, aut concha compreſſa; ſpiras enim habe in gyrum actas. colore rubello & albo hinc inde diſtinguitur. inferior pars plana eſt, ac nigrior paul ſuperiori, ac ſi rubedini umbræ color admixtus eſſet, aliquando purpuraſcit, vel albicat.



Reperitur in limacis orificio, dum ſe hyeme occludit, ac oſtioli vel operculi loco eſt, ut in vulgaribus limacibus cruſta quædam alba. Exterior pars e eſt, quæ extuberat. Limax vulgaris hoc minor eſt ac Umbilicum Marinum ferentibus ſimilis, ni quod concha Umbilici Marini craſſa & duriſſim ſit, ac exteriorem partem habeat quaſi creta obductam, interioremque Margaritarum inſtar ſplendentem, ut quis Margaritiferam coniiciat. Cretenſes hunc lapidem non Umbilicum, ſed Oculun Marinum vocant, ac oculis geſtatum prodeſſe autumant.

Oculus Marinus.

mant. A Venere nomen habet, quod puellis gratiam conciliare, illas amabiles, pulchras, viriſque optatas reddere, illarumque morbos abigere creditur. Inſuper geſtatus amuleti loco præcavere ab eryſipelate traditur. Narrat *a* Baccius, ſanguinem undequaque fluentem mirifice ſiſtere, & præſentaneum afferre auxilium, ſi ex parte eius plana, & averſa, cum ſaliva hominis fronti applicetur. Id quod ſemel atque iterum Patavii ſe obſervaſſe tradit in vetula, quæ per ſcalas in caput decidit, & plurimum ſanguinis per os, & nares, præſertim vero ex vulnere capiti inflicto, profudit, qui cum variis adhibitis remediis ſiſti non poſſet, adhibito lapide, mox fuiſſe cohibitum, non ſine admiratione. Ob id ait idem auctor, à Gallis ſecreti loco mulieribus, nimio menſium fluore laborantibus, in pulverem tenuiſſimum redactum, cum aqua appropriata, vel conſerva aliqua utiliſſime exhiberi. Illos quoque qui ſanguinem per intervalla reiiciunt, & expuunt, manifeſtum ab eo percipere auxilium, ſi pulverem eius cum pari portione cornu cervi uſti, vel Corallorum rubeorum præparatorum in ovo ſorbili ſumpſerint.

Veneris oculus.
Ad amorem.
Ad eryſipelas.
Ad ſanguinis fluxum.
Ad nimiũ menſtruorum fluxum.
Ad ſanguinis ſputa.

a *Libro de gemmarum & lapidum pretioſorum natura cap.* 40.

CAP. CLXXVIII.

De lapide Caymanum.

HUnc lapidem Nicolaus Monardes deſcribit, ac ex civitate Nominis Dei & Carthagine aliis continentis oris adferri, calculis fluviatilibus ſimile, aſſerit, ac inveniri in ventriculo lacertorum aut crocodilorum prægrandi ſpecie, quos Caymanes

vocant. Hoſque lapides colligi ab Indis & Hiſpanis ad quartanam tollendam: binos ſiquidem temporibus alligari, ac ſic paroxyſmum tolli, caloremque febrilem mitigari.

Ad quartanam.

Cap. CLXXIX.

De lapide Palumbellarum.

ROmæ aviculæ nonnullæ reperiuntur, quas Romani vulgari lingua Palumbellas vocant, & Lombardi Saſſaroli, alii Soloni. Hæ lapillos quoſdam ferunt in ventriculo exiguos, aliiſque ſimiles, qui calculos renum mirabili & occulta proprietate comminuunt, foraſque pellunt, paucis diebus tam feliciter, ut nullum aliud medicamentum illis comparari queat. Habentur hæ aviculæ Romæ in magna copia, neque unquam his lapillis deſtituuntur, niſi captivæ detineantur. Nam libertate privatæ, paucis diebus lapis in eorum ventriculo generatur; à quo brevi ſuffocantur. Dum libertate fruuntur, lapillos iſtos quærunt, & devorant, eorumque beneficio vitam prorogant, & ſanitatem tuentur. Porro lapilli iſti piſtandi, & terendi ſunt, quia duriſſimi. Deinde ſemidrachma cũ flor. ſambuci & cinnamomi ana ſcrupulo uno danda per octiduum cum brodio. Ita enim æger à malo cito liberatur.

Ad calculum mirabile.

Cap. CLXXX.

De lapide Porcino.

IN regione Pan, prope Malaccam, reperitur lapis in felle porci, maiorumque eſt virium, quam Bezoar. Colorem habet rubeum, dilutum, ac ſaporem amarum, tactuque refert ſaponem gallicum. Ad venena valet. ad quæ profliganda maceratur i

Ad venena opt.

pocu

poculo aquæ ſatis diu, poſtea eximitur, ac aqua quæ redditur amara propinatur, expellit ſiquidẽ omne venenum, ut ſæpius probatum eſt. Indi vocant maſtica de ſoho, i. eſt, lapis Porcinus.

Cap. CLXXXI.

De lapide Cenar.

HIc lapis iuventutem conſervare traditur, ac impedire ne rugæ in corpore oriantur. ex eo fiunt pocula in China.

Cap. CLXXXII.

De lapide Malacenſi.

LApidem Malacenſem deſcribit *a* Garſias ab Horto hoc modo: Lapis Bezoar alium lapidem mihi in memoriam revocavit, quem unice venenis reſiſtentem in Malacca inveniri tradunt: ſaltem in Pan regni Malacenſis provincia. *b* Invenitur autem iſtic in felle Hyſtricis: ſed tanta eſt in æſtimatione apud Indos indigenas ob raritatem, ut è duobus, qui ſimul reperti meo tempore fuerunt, alter pro ingenti munere miſſus ſit ei, qui pro rege Luſitaniẹ Indiã gubernat. Et licet iſtic frequens lapis Bezoar nvenitur, hunc tamen longe præferunt incolæ. Unum duntaxat vidiſſe memini, cuius color diluidioris videbatur purpuræ, guſtu amarus, tangenti ævis & lubricus, quemadmodum Gallicus ſapo. Hactenus eius facultates experiri mihi non licuit. ed clariſſimus vir & inſignis Medicus Dimas Boſue Valentinus eius facultates experimento comrobaſſe in duobus viris, qui venenum hauſerant, ihi affirmavit. Vulgari autem aqua (cum cordias eſſet in mora) hunc lapidem aliquamdiu mace-

 ravit:

ravit: eam deinde aquam ægris propinavit, qui illam guſtu amaram invenerunt. Attamen eorum ſtomachus corroboratus eſt,& venenum nihil obfuit. Multum certe huic viro debent omnes medici Indici, quod huius lapidis facultates nobis aperuerit. Nam neceſſaria admodum ſunt hac in regione medicamenta quæ venenis reſiſtunt. Alexipharmaca Græci vocant. Hactenus Garſias ab Horto. Aliqui putant hunc lapidem Porcinum eſſe.

a *Libro* 1. *Aromatum, & ſimplicium hiſtoria cap.* 46.

b *Interſerere hoc loco placet ea, quæ Ampliſſimus, Clariſſimus, Doctiſſimuſque vir Gulielmus Bontius Reip. Leydenſis Prætor digniſſimus mihi communicavit, ex autographis fratris, is Iacobus Bontius erat, Novæ Bataviæ Medicus Ordinarius, multiiuga ſcientia & eruditione præditus, poſtea autem Fiſci Generalis præfectus, & ibidē defunctus: exemplar autem litterarum tale eſt. Lapis iſte Malacenſis, cuius autor (nempe Garcias ab Horto) hic tranſitorie meminit, in memoriam mihi revocat lapidem quendam genitum in felle porcorum, aut etiā ventriculis Hyſtricum, oblongis pinnis præditarum, quem Luſitani propterea* Piedra de puerco *vocant. mollis, ac pinguis eſt, ac ſi ſaponem Hiſpanicum tractes. ego duos domi habeo, unum parvulum ex Hyſtrice, alterū ex apro exciſum. Infunditur hic lapis in vino adverſus cholerā, quā* Mordexi *hic Inſulani vocant, ac hic tantopere timetur, ac peſtis in Hollandia, ut pote quæ hominē aliquando ſoleat occidere pauciſſimis horis. Prægnantibus tamen hic lapis nō bene datur; nam abortum provocare adeo certum eſt, ut fœminæ Malaicæ mihi retulerint, ſi quando menſtrua earum purgatio non bene procedat, ſe tantum hunc lapidem manu geſtare, ac iuvamentum inde ſentire.*

CAP. CLXXXIII.

De lapide Bulgolda.

NOn minore facultate præditus eſt lapis Bulgolda, quam Malacenſis, & Bezoar. Nam mirifice omnibus venenis reſiſtit. Eſt vero is magnitudine avellanæ, rarus admodum, ut qui è capite animalis, quod Indi Bulgoldalf appellant, eximitur. Ferdinand. Lopez lib. 1. Hiſtoriæ Indicæ.

CAP. CLXXXIV.

De lapide Sanguinali.

LApis Sanguinalis ex nova Hiſpania delatus, Iaſpidis genus eſt, ſed obſcurioris, maculis ſeu punctis diſtinctus ſanguineis. Ex hoc lapide Indi quaſdam cordium formas magnas ac parvas conficiunt. Valet ad fluxum ſanguinis, narium, menſium, hæmorrhoidum, vulnerum, ac oris. lapidem aqua frigida intinctum æger dextra comprimit, & ſubinde id facit. ſic eo Indi, & noſtri utuntur. Perſuaſum habent Indi, imo firmiſſime credunt, ſi hoc lapide pars ſanguine manans contingatur, ſanguinem ſiſti, idque verum eſſe experientia probatum eſt. Utilis etiam eſt ſuſpenſus, aut alligatus eidem parti, unde ſanguis effluit, modo carnem contingat. Vidimus nonnullos hæmorrhoidum fluxu afflictos remedium ſenſiſſe, annulos ex hoc lapide confectos in digito continuo geſtando, nec non & menſtruum fluxum ſiſti. Nicolaus Monardes.

Cap. CLXXXV.

De lapide Manuali.

LApis Manualis dicitur in India eſſe qui rimas manuum & pedum à ſalſa pituita provenientes curet. Nicol. Monard.

Cap. CLXXXVI.

De lapide Hyſterico.

ADfertur lapis è nova Hiſpania, quem uteri morbis adprime utilem eſſe ferunt. Niger eſt, admodum politus, ponderoſus, maiore ex parte teres, & rotundus. Mirum porro eſt, quod de hoc lapide prædicant. Nam mihi affirmavit nobilis quędam & magnæ auctoritatis Matrona, quæ eo uſa eſt, & in umbilico geſtavit adeo firmiter inhærentem, quaſi iſtic agglutinatus fuiſſet, ex quo præſens & certiſſimum ſenſit commodum: idem aliæ aſſerunt, quæ ſimili modo iſto lapide ſunt uſæ. Cum uteri ſuffocationem imminentem præſentiunt, adhibito lapide ſubito levantur, & ſi eum perpetuo geſtent, nunquam ſimili morbo corripiuntur. Exempla huiuſmodi faciunt ut his rebus fidem adhibeam. Nicol. Monard.

Cap. CLXXXVII.

De lapide Manati.

COnſalvus Ferdinandus Oviedus cap. 7. & 10 lib. 13. primæ partis Hiſtoriæ Gent. & Natur Indiæ Occidentalis, in capite piſcis Manati binos lapides inveniri refert, parvæ pilæ luſoriæ magnitudine, interdum etiam grandiores, pro piſcium cor

pori

poris magnitudine, non tamen orbiculares illos, ſed eius oſſis pene forma, quod in baliſta tenſum nervum retinet. Horum oſſium crematorum, tenuiterque tritorum, & per incerniculum tranſmiſſorum pollinē, ab iis qui Nephritide laborant, mane continuis aliquot diebus, ex generoſo vino albo utiliter bibi, ex eorum, qui periculum fecerant, & commodum ſenſerant, ſermone accepiſſe refert: Dolores enim tolli, calculum comminui, & cum lotio arenulas eiici. Hic lapis cum tuberonum lapide confunditur, ita ut idem videatur, Carolo Cluſio auctore.

Cap. CLXXXVIII.

De lapide Percæ piſcis.

IN perca piſce parvo, quem corvum vocant, duo lapides inveniuntur, albi, oblongi, plani, altera parte quaſi dentati. Hi cum vino tenui exhibiti calculos minuunt, & pellunt. Dum ureteribus inhæret calculus, loco dolenti ſuppoſiti illum trahere, donec in veſicam incidat, credunt Germani, & Bohemi, qui in hunc finem ſæpe iiſdem utuntur.

Cap. CLXXXIX.

De lapide Limacis.

Limaces qui cochlea carent, ac in ſylvis, ac locis ſubterraneis fuſci coloris inveniri ſolent, in capite lapillum habent qui geſtatus quartanam ſolvere dicitur.

Cap. CXC.

De lapide Tuberonum.

Lapis Tuberonum in capite piſcis Tuberon reperitur. albus eſt, magnus & ponderoſus, ut interdum duas libras pendeat. nullius ſaporis, neque tam durus ut radi non poſſit. In capite Tuberonis plerumque tres vel quatuor inveniuntur. Huius lapidis pulvis utiliſſimus fertur ad nephritidem, & urinæ difficultatem, renumque & veſicæ calculos deturbandos. Piſces Tuberonis in mari Indico ferreis hamis capiuntur maximi, validiſſimi, pugnaciſſimi, & truci aſpectu, cum lupis marinis aſſidue præliantes, A. Theveto lib. ſing. cap. 71. *a* Manati vocantur, utri ſimiles, duos tantū pedes rotundos, quibus natant, ad humeros habentes, & in ſingulis quatuor ungues elephantinis ſimiles: ab umbilico ad caudam uſque gracileſcunt, teterrimo aſpectu, capite bubalino, ſed macilentiore ore, mento vero craſſiore, oculis admodum exiguis pro corporis mole, quæ interdum viginti pedum longitudine, decem craſſitie eſt; corio denſo, pilis quibuſdam cinerei coloris obſito. Fœminæ pariunt vaccarum modo, duoque ubera habent, quibus catulos ſuos lactant. Eorum caro quadrupedis potius, quam piſcis videtur; etenim recens vitulinam ſapit, ſale macerata Thynni carnem, ſed ſapidior eſt, diutiuſque ſervari poteſt. Eorum pinguedo optima, nec facile ranceſcit. Dubitare videtur Cluſius an hic piſcis à Theveto deſcriptus, ac in capite lapides ad calculum habens ſit Tuberon. Penes Lectorem ſit iudicium.

Ad nephritin.

a *Idem Thevetus, loco citato, quid admirabile de Manat*

nato piſce refert. quod quoniam notatu dignum, hic addere placuit. Teſtatur enim, Regulum Caramatexi parvum cepiſſe Manatum piſcem, quem 26. annis in lacu quodam dicto Guaynato educavit, adeoque domitum evaſiſſe, & ferociam depoſuiſſe, ut de manu cibum caperet, & inclamato nomine Mato, quod magnificum ſonat, lacum ſuum egreſſum fuiſſe, & in ædes perreptaſſe cibi ſumendi gratia, deinde ad lacum remeaſſe, interdumque homines & pueros ex una parte lacus in aliam tranſvexiſſe, nec illos merſiſſe, ita ut Indis ſummam voluptatem adferret.

Cap. CXCI.

De lapide Bezoar.

BEzoar lapis à *a* vocabulo Pazar Perſico, vel Pazan, quod hircum notat, nomen habet, vel à Beluzaar Hebraico, & Chaldaico vocabulo quod dominum veneni ſignificat. Bel enim dominum Chaldæis ſigificat, & zaar venenum. quod iſte lapis ita domat, & ſuperat, ut propterea ab hoc lapide præſtantiſſima quævis ad venena medicamenta Bezoardica per antonomaſian vocentur. Lapides iſti forma ſunt varia, oblonga, orbiculari, modo compreſſa aliquantulum, vel inęquali, modo renis, aut caſtanei forma, eaque ſemper obtuſa, non in cuſpidem deſinente. Color eis nunc niger, nunc ſubcineritius, interdum flaveſcens, & ſubviridis, ſed plerumque pullus, ſpadiceus, ravus, aut ex viridi nigricans. Conſtat lapis ex tunicis, ſive cruſtulis modo craſſioribus, modo levioribus, aliis alias complectentibus, ut in cæpis videre contingit, politis interdum, & ſplendentibus ſemper magis iis quæ ſubeunt, nonnunquam aliquantulum ſcabris, ex-

tima præſertim parte, & reliquas complectente, ut in veſicæ & renum calculis videre licet, ſæpe laminę ſeu cruſtæ fractæ apparent, ut in meditullio herba, aut feſtucæ fragmentum, quæ lapidis generationi baſin præbet, appareat, & conſpectui ſe præbeat.



Habuit Imp. inviciſſ. Rudolphus II. Dominus meus clementiſſimus, ovi anſerini magnitudine, aut paulo maiorem lapidem Bezoar, è quo poculum dum confici iuſſiſſet, in ipſius meditullio herbæ eximie redolentes (circa quas cruſtæ & laminæ ſuperinductæ à natura fuerant) repertæ fuerunt. Aiunt interdum meditullium concavum eſſe, vel in eo pulverem reperiri, eumque legitimi lapidis notam eſſe aſſerunt. Lævis eſt hic lapis, & blandus, ut Alabaſtri modo abradi poſſit, & in aqua hærens, aut etiam ad linguam, facile liqueſcat.

a *Idem Iacobus Bontius (cap. 182. huius libri) citatus, aliud etymon huius vocis Bezoar adfert. cuius hæc ſunt verba. Sed quoniam nullus, quod ſciam, ante me verum etymon huius lapidis edidit, nec quomodo, aut ex quo generetur; paucis auſcultate rem. Perſæ igitur hunc lapidem vocant Pa-Zahar, compoſito vocabulo ex Pa, & Zahar. quorum prius ſigni-*

gnificat contra; ac ſeundum, venenum nominatur. ac ſi Græco vocabulo antidotum dixeris. Hinc perſpicitur, quam fallax ſit iſtorū etymologia, qui à Pazar, vel à Bazahar, lapidem hunc dictum volunt, cum nullus unquam hunc lapidem venalem in foro viderit. Naſcitur hoc porro modo lapis Bezoar in Perſia, ut ab Armenis & Perſis Mercatoribus fide dignis certo accepi. Eſt locus in Perſia Stabc[illegible]on dictus, trium dierum itinere ſupra Laram civitatem, celebre in Perſia emporium, in cuius campis naſcitur herba quædam, Croco ac hermodactylis admodum ſimilis, in cuius campis caprorum copia paſcitur, in quorum ventriculis ex eſu huius herbulæ, hi lapides in ventriculis caprarum concreſcunt. qui apud Reges Perſiæ in tanto pretio ſunt ſupra reliquos, qui in aliis locis gignuntur, ut Magnus Xaa-Bas Imperatorum Perſarū ultimo mortuus Anno M.DC.XXVIII. inibi vigiles locaverit, ut omnes iſtos lapides Ba-Zahar, qui certum pondus excederent, ſibi vindicarent. Itaque quod cauſa materialis huius lapidis ſit cauſa ſupradicta, non ſolum Armeni ac Perſæ mercatores mihi retulere; ſed idem ferme affirmat P. Texeira Luſitanus in tractatu ſuo eleganti, quem Hiſpanica ſua lingua conſcripſit de rebus geſtis Regum Perſiæ. qui inquit, Inſulam quandam eſſe inter Ceylan, ac terram Continentem Chormandel, quæ à Luſitanis Iſla de Vacas vocata (quod inſulam vaccarum ſonat) noſtris naucleris etiam optime nota, in qua etiam naſcitur copia prædictorum lapidum, quam ob cauſam etiam ibi multæ capræ paſcuntur. atque idem auctor ait, quod Anno M. D. LXXXV, cum hanc Inſulam maxima ac horribilis inundatio invaſiſſet, ac etiam totam Continentem terram Chormandel, ita ut hæc Inſula tota ſubmerſa fuerit, quæquæ ſervari inde capræ poterant,

alio

alio tranſlatæ deſierunt gignere iſtos lapides, quod prædicta herba ibi non creſceret: ſed elapſis paucis annis, cum Inſula ſalſugine maris liberata, rurſus hanc herbam produceret, Capræ eiuſmodi iterum eo tranſlatæ, lapides hos, ut antea, produxere. Hæc mihi vobis communicare viſum eſt, quoniam idem & mercatores noſtri, ac Angli certo confirmant.

Cap. CXCII.

Genera lapidis Bezoar, ubi inveniantur, & quomodo generentur.

Genera huius lapidis duo ſtatuuntur. Alterum Orientale, quod ex Ægypto, Perſia, India, China, Cathaio, aut viciniſ regionibus adfertur. Alterum Occidentale, quod ex America, & Peruvia adfertur. Uterque lapis, omnium auctorum teſtimonio, in animalis corpore gignitur: verum diverſa auctores ſtatuunt animalia. Nam Arabes medici, in capricervo reperiri hunc lapidẽ, ante quingentos annos Rhaſis teſtimonio ſcripſerunt. Neoterici nonnulli in Perſarum Pazan, id eſt, hirco, unde nomen Bazar accepit, generari aſſerunt. Alii in ſylveſtri capra inveniri produnt. Alii, ſed ridicule, cervi lachrymã induratam putarunt. Chriſtophorus à Coſta qui Indica ſimplicia deſcripſit, lapidem Bezoar in ventriculo animalis hirco ſimilis, arietis prægandis magnitudine, colore rufo, uti cervi propemodum, agilis, & acutiſſimi auditus, à Perſis Paſan appellati, quodque variis Indiæ provinciis, uti in promontorio Comorin, & nonnullis Malaccæ locis, tum etiam in Perſia, & Coraſone, inſuliſque quæ à vacca cognomen adeptæ ſunt, invenitur, generari ſcribit. Carolus Cluſius animal, ex cuius ventriculo Bezoar lapis eximitur, cervi fere magnitudine,

tudine, & agilitate, ſed cornibus in dorſum reflexis, & corporis forma capreis fere ſimili, quam ob cauſam capra montana vocatur, tametſi Cluſii iudicio cervicapra potius dici debeat, eſſe notavit, ac inſuper ſcribit, hoc animal in India ſupra Gangẽ, montibus Chinarũ regioni finitimis, pilo brevi, & colore ut plurimum cinereo, & rufo, reperiri. Ex quibus omnibus auctoribus colligi poteſt, animal hoc quod lapidem Bezoar Orientalem fert, capræ ſylveſtris cornutæ quandam eſſe ſpeciem, quæ non procul à figura cervi diſcedat; ut propterea non incommode à nonnullis cervicapra appelletur. Cornua habere dicitur duo ex fuſco colore nigra, & fere recta, læviaq;, non abſque gyris & nodis caprearum, quas Germani *Gemſen* vocant, cornibus ſatis ſimiles. Quod vero Occidentalem lapidẽ profert, aliud prorſus (etiamſi fortaſſis non diſſimilẽ priori habeat formam) animal eſſe conſtat, propterea quod cornua nulla, ut cervi capra, habeat. De hoc nobilis quidam ad Nicolaum Monardem (ut ipſe in ſuo libello de ſimp. Medicam. teſtatur) his verbis ſcribit. Formam animalis ex quo lapis Bezoar extrahitur in tuo libro deſcribis. Ea diligentius perpenſa, animalium genus quoddam in iſtis montibus frequens invenimus, valde ſimile iis hircis (niſi quod cornubus orbum eſt) quos in Orientali India reperiri tradis. Rufi ſunt coloris magna ex parte, & herbas ſalutiferas depaſcuntur, (quarum magna eſt copia in montibus, ubi iſta animalia degunt) ita fugacia, ut ſolo tormentorum æneorum ictu aſſequi poſſimus. Ex collatione iſtorum auctorum videtur forma animalis eadem, niſi quod Orientale cornua, Occidentale non habeat. Ante aliquot annos incertum fuit, in qua parte corporis, unde, & quomodo generentur hi lapides.

Verum

In qua parte animalis naſcatur Bezoar.

Verum nunc atteſtantibus iis, qui multoties hæc animalia ſecuerunt, ac ex iis lapides exemerunt, gignuntur in receptaculo quodam, ſeu marſupio faſciæ modo confecto, & villoſa carne conſtante, duorum palmorum longitudine, & trium fere unciarum latitudine, ipſi ventriculo parte interiore adhærente. In hoc marſupio depaſtæ herbæ recipiuntur, donec ruminatæ in ventriculum traiiciantur. Ac in eodem generati lapides, eo ordine & modo diſpoſiti deprehenduntur, quo nodi, qui anteriorem tunicæ partem occludere debent, ita tamen ut ſemper alius alio maior ſit. Materia unde lapis generatur, herbarum eſt ſuccus viſcoſus, & terreſtris, aut ſi mavis dicere, terreſtris herbarum ſuccus in humorem reſolutus: quæ ſi aromaticæ & ſalubres fuerint, lapidis augent vires, ſi inſipidæ ut gramen, lapidem nullius facultatis proferunt. Quod Indis optime notum eſt. Nã animalium in planis locis degentium lapides floccifaciunt, tanquam ad rem medicam inutiles. In montanis vero degentium ad venena, alioſque morbos difficillimos ſanandos in maximo habent pretio. In montibus enim herbis odoriferis, ac quæ ad varios morbos utiles ſunt, victitant. Generatur autem lapis in marſupio prædicti animalis ſucco herbaceo ac terreſtri à tenuioribus partibus ſecreto. Cui dum portio ſucci terreſtris ipſius animalis accedit, paulatim humido expreſſo concreſcit in lapidem terreſtrior pars. Quæ ſi ſimilis ſuccus non ſtatim ſit præ manibus, lævore obducitur, lapilli formam induit, & quandam in extima ſui parte ſpolituram recipit. Huic accedens poſtea circumquaque (abſolutis naturæ coctionibus) nova materia, nova cruſta inducitur, craſſa, vel tenuis, pro affluentis materiæ quantitate; quæ iterum exiccata, & indurata, alia cruſta obtegitur

Electio Bezoar.

idqu

idque toties à natura fit, donec ad iuſtam quantitatem venerit lapis, aut materia augendo lapidi idonea non amplius à natura ſuppeditatur. Nam aliquando excreſcit hic lapis ad ovi anſerini quantitatem; qui primo exiguam habuit quantitatem dum creſcit, ut dixi. Cruſtis accedentibus uti cæparum radices, Uniones & teſtes concharum Margaritiferarum, paulatim augetur in dicto marſupio, *a* donec intereat animal.

a *Eiuſdem Iacobi Bontii (cap. 182. huius libri citati) verba hic allegare lubet, quæ hæc ſunt. Lapides hi miſeris hircis ac capris tam moleſti ſunt, quam hominibus lapides veſicæ, ac renum. Capræ iſtæ non abſimiles valde ſunt capris Europæis, niſi quod habeant erecta ac longiora cornua: ac quædam ex iis verſicolore ſunt pelle ut tygrides, pulchro aſpectu, quales duas hic in arce Batavia noſtra quotidie videmus: itaque hæ capræ, prout magnum lapidem aut parvum gerunt, unumque, aut plures, eo moleſtius, vel citius incedunt; quod aſtutiſſimis Armenis ac Perſis perbene notum eſt. Porro vidi & lapides Pa Zahar natos in ventriculis ſimiorum, qui teretes ſunt, ac longitudinē digiti aliquando excedunt, qui hic præſtantiſſimi omnium cenſentur.*

CAP. CXCIII.

De natura, facultatibus, & virtutibus lapidis Bezoar.

MAnifeſta facultas in hoc lapide nulla, præter exiccandi ac ſudorem movendi, deprehenditur. Occultæ profecto quampiurimæ. Nam nullum hoc tempore ad venena, alioſque difficiles morbos, prædicatur præſtantius medicamentum,

lapide

lapide Bezoar, ſive extrinſecus, ſive intrinſecus adhibeatur. Ad omnium animalium venenatorum ictus & morſus valet, ſi vulneri imponatur. Nec minus vulneribus, toxico aut veneno à ſagitta aliove inſtrumento infectis, pulvis inſperſus medetur. Foris ſi alligetur ſiniſtri lateris brachio, ut nudam cutem attingat perhibetur venenis reſiſtere, & cor tueri, ne à veneno, aëreve peſtilente aut contagioſo lædatur. Apertis etiam carbunculis peſtilentibus, ſi inſpergatur, venenum omne exugere creditur. Intrinſecus ſi pulvis à granis quatuor ad decem cum liquore aliquo convenienti propinetur cordis omnibus affectibus mire auxiliatur. Ad ſyncopē in ipſo paroxyſmo, aut paulo ante, ex aqua roſacea ſi adſit febris, ſi abſit ex aqua cardui benedicti, meliſſæ, ſcorzoneræ, aut florū caryophyllorum datur pondere granorum quatuor. Ad cordis palpitationem, cum aqua meliſſæ quotidie mane ieiuno ſtomacho duo grana oblata, multum prodeſſ poſſunt. Ad melancholicos humores domandos ſive univerſum corpus, ſive eius duntaxat partem nempe caput, occupent, miros effectus præbet Nam Arabum lepram, ſeu Græcorum elephantiaſin, malam ſcabiem, prurigines, impetigines, eryſipelata, & reliqua cutis vitia, tanquam præſens remedium, ſanat. Quartanam etiam febrim, etſi no ſanet, tamen eius aufert ſymptomata. Nam anim mœrores, anxietates, cordiſque affectus quæ in iſt febribus vulgaria ſunt, lenit, & aufert. Ad epile pſiam, morbumque ſacrum, ſive adultos, ſive in fantes oppugnet, non parum iuvat. Infantibus l ctentibus datur cum lacte, adultioribus & vir cum aqua lilii convallii, Pæoniæ, aut Tiliæ. Puer pondere granorum duorum, viris triplum, au quadruplum, aut etiam plus, pro morbi & corpor

conſt

Ad venena quævis.

Ad cordis palpitationem.

Ad melāncholiam.

Ad quartanam.

Ad epilepſiam.

conſtitutione, offertur. Ad vermes etiam, & tineas felici ſucceſſu hic lapis ſolus propinatur cum aqua graminis, aut cardui benedicti. Laudat Monardes hunc pulverem, quo ſe mira præſtitiſſe, ac tam pueros, quam adultos innumeros à lumbricis liberaſſe narrat. Recipe herb. lumbricorum (quam tanacetū puto) drachm. duas, ſem. ſantonici drach. unā. Cornu cervi uſti, ſem. portul. & carlinæ ſing. ana drach. ſemiſ. lapidis Bezoar Peruani drachm. ſemiſ. fiat pulvis, cuius doſis pro ratione corporis augeatur, & exhibeatur. Verum non ſolum ad prædictos morbos, ſed etiam ad venenatos, & contagioſos, lapis Bezoar ſummopere celebratur. Nam peſtem, febriumque peſtilentium virus, etiam earum, quæ exanthemata, petechias, herpetes, & papulas malignas producunt, cito, ad miraculi inſtar compeſcit, ac extinguit, ad quos effectus Indi quotidie cum aqua roſarum pulverem duorum granorum pondere propinant. Mihi exigua doſis videtur ubi febres iam in ſtatu, aut prope ſtatum ſunt. Soleo tum ſex, aut octo grana magna utilitate cum aquæ acetoſæ uncia una quotidie, donec vel ſudore, vel urinæ profluvio melius habeat æger, propinare, eumque ab omni potu alio per horam arcere, ne alterius potus acceſſu, actio ipſius lapidis hebetetur, aut impediatur. Meo enim iudicio errant vehementer, qui vel ante, vel poſt eius ſumptionē aliquid ægro offerunt, etiamſi id æquale viribus lapidi putetur. Nam rerum ſæpe occultus diſſenſus eſt, nec homini notus, & talis qui effectum optatum impediat, & prohibeat, quem utraque res ſeorſim uſurpata produxiſſet. Qui id non capit, ſpiritus vitrioli, & ſpiritus tartari antipathiam perpendat. Uterque enim iſtorum acidiſſimus, & acutiſſimus eſt. Si miſceas, utriuſque acrimonia perit, & liquor

Ad vermes.

Pulvis.

Ad morbos venenatos, cōtagioſos, peſtilētes.

Rerum antipathia.

redditur inſipidus. Suadeo itaque, ut nobile iſtud medicamentum perpetuo ſolum, ſi eius certum commodum deſideretur, exhibeatur.

Ad venena. Ad venena quævis, quæ alicui offerri poſſunt, nihil lapide Bezoar præſtantius haberi poteſt. Nam non ſolū corpus præſervat à veneno, ſed infectum, aut oppreſſum liberat. Ad præſervationem ſufficiūnt duo grana mane cum uncia vini, aut aqua cordiali, ut meliſſæ, vel cardui benedicti propinata. Ad curam vero, ſi quis venenum hauſerit, octo, vel decem grana cum vino exhibenda ſunt. Qui ab aquæ potu, in qua virulenta animalia verſantur, ilico intumuerunt, ſumpto bis aut ter iſto lapide, quemadmodum & illi, qui venenum hauſerunt, ſanantur. Adverſus napelli & arſenici virus quod truculenter in corpus humanum ſævit, vix aliquid præſtantius reperiri poteſt. Ut exempla, à *a* Matthiolo in commentariis ad Dioſcoridem, aliiſque viris doctis publicata, teſtantur. Breviter lapis Bezoar ad omnes diuturnos & importunos morbos, etiam qui à flatu originem ducunt, Panaceæ inſtar eſt; ſi prævia purgatione, per aliquot dies mane exhibeatur. Indi ad iuventutem ſervandam, omnia membra corroboranda, corpuſque à morbis præſervandum, bis in anno, præmiſſa purgatione, per quinque dies continuos decem grana huius lapidis cum aq. Roſarum propinant, magna utilitate. Quin etiam medicamentis purgantib⁹ vehementioribus aliquot grana lapidis addunt, ne maligna illorum qualitas corpori obſit. Hac enim ratione abſque dolore & noxa operatur medicamentum. Quæ certe cautio uti non niſi prodeſſe poteſt, ita medicis obſervatu digna eſt.

Ad omnes morbos diuturnos.

Adverſus medicamenta maligna.

a *Libro v. de re medica cap. 73.*

CAP

CAP. CXCIV.

De dignitate, electione, pretio & adulterio lapidis Bezoar.

PRopter admirandas, quibus pollet adverſus venena lapis Bezoar, facultates, magni fit à Principibus, ac in ſumma non ſolum eſt auctoritate, ſed pretio. Solet enim hoc anno 1600 (nam olim in India ipſa longe pluris vendebatur) ad pondus in inferiori Germania drach. unam pendens Orientalis duabus ducatis vendi, in Germania ſuperiori quatuor. Occidentalis vero dimidiato pretio. Dum magni ſunt, quia rari, & à Principibus, ad oſtentationem deſiderantur, intenditur ad libitum venditoris, pretium. *Pretium.* Eligendi ſunt, qui ex capricervis paſcua in montanis habentibus extracti ſunt. *Electio.* Nam qui ab iis, qui in planis locis degunt, eximuntur, viribus prorſus carent, quod herbis ſalutiferis non paſcantur, ut illi, qui victum in montanis quæritant, & aromaticarum herbarum copia ſaturantur. Proinde Malacenſes vilipenduntur: capricervos enim in paſcuis ad lanienam alunt. Perſici vero in pretio ſunt, quod in montanis degant. Præter hæc lapidis ſubſtantia, color, & forma diligenter examinanda eſt. Nam ii laudantur maxime, qui è nigro ſeu ravo colore virides videntur, & quorum pulvis ſubviridis eſt. (*a* Matthiolus tamē flaveſcentes laudat.) Deinde qui ablata cruſta ſuperiori inferiorem ſplendentem habent, ac in meditullio concavi ſunt, aut arenam lapidi ſubſtantia ſimilem, ſed ad venena efficaciorem continent, quique pręterea ad linguam aut in aqua liqueſcunt, nihilque arenoſum habēt. Qui has notas habent, ſinceri, & Orientales iudicantur. Nam Occidentales ſubcinereum

habent colorem, neque ita ut præfati ſplendent cruſtas etiam habent craſſiores,& gypſeas. Since ros Indi flatu dicuntur probare,ac lapidem man compreſſum continere, per quem ſi flare poſſin eum adulterinum iudicant. Alii eum factitium iu dicant,in cuius meditullio vel palea vel herba repe ritur. *b* Verum id ſignum à multis tanquam (cu potius probi lapidis indicium ſit) reiicitur. Semen aut granum in meditullio, ſupra quod Indi lapide formant,adulterium arguit. Cruſtarum vero ſpler dor non ab omnib⁹ pro indubitato legitimi lapid ſigno habetur. Si calce viva aqua admiſta ungatu lapis, ac illa paulo poſt flaveſcat; legitimum lap dem multi iudicant. alii chartam creta fricant, de inde ſupra cretam lapidem fricant, ſi fricationis l nea viridis appareat, legitimum lapidem arbitrar tur. Nullum tamen certius probitatis indiciun quam ſi venenum homini,aut cani detur,& oblat pulvere evadat. Quis enim montanum à paluſtr aut adulterinum à legitimo (quē Indi imitari po ſe exacte dicuntur) diſtinguere melius quam eff ctu,qui à tota lapidis eſſentia manat, poteſt? Qui quis enim præcipuas notas habet,& venenis omn bus adverſatur, is profecto legitimus, & ſinceru cenſeri debet. Quibus autem modis imitari qu hunc lapidem poſſit,hic docere nolo,ne fraudis o caſio impoſtoribus *c* detur.

Proba lapidis legitimi.

a *In Dioſcorid. de re medica lib.* v. *cap.* 73.

b *Quod idem ſcribit Iacobus Bontius (cap.* 182. *hui libri citatus.) cuius hæc ſunt verba. Auctor (nem Garcias ab Horto) ait,lapides Bezoar paleam, v quid tale intus habere. quod nunquam fallit, niſi Adulterinis. & ſi ſuperficiali tunica abraſa, non ſu cedat alter orbis cæparum modo, donec ad palea*

iſta

iſtam deventum ſit, fictitius eſt lapis proculdubio. Sed ſequẽti modo eius adulterium melius percipitur, ſi lapidem frices pauca calce, & ſi in loco fricato puniceus color appareat, conſtat verum eſſe, ac genuinum. 2. ſi ponderatum accurate lapidem coniicias in pelvim aqua repletam, & poſt duas aut tres horas eundem eximas, ac rurſus ponderes, ac nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit, verus eſt lapis Bezoar: verum ſi calce fricatus rimã ducat, aut ſi aqua exemptus de pondere amiſerit, vel eo auctus fuerit, falſum, ac adulterinum audacter dicito.

c *De lapide Bezoar plura ſcribunt Andreas Baccius de gemmis & lapidibus, & VVolfangus Gabelchoverus in annotationibus ſuis in eundẽ cap. 34. Etiam inter Neotericos de lapide Bezoar totum libellum edidit V. Cl. Caſparus Bauhinus in 8.*

Cap. CXCV.

De lapide fellis.

N cyſti fellis animalium lapis invenitur ochrę colore, ſeu obſcure flavo, qui ex craſſiore, & terreſtri lis portione, prorſus eodem modo, qua lapis Be-ıar, cruſtis ſe invicem complectentibus coaleſcit. alet ad venena, præſertim ille, qui ex boum cyſti :emptus eſt, ut mihi amicus, qui ſe multoties id :pertum dicebat, ſancte affirmavit. Exiſtimarem l alvum deturbandam aptiorem, quod bilis ex qua ıaluit huic ſcopo à natura deſtinata ſit. Ad venena ım, qui ex cervis, capris, aut aliis animalibus, quæ montibus ſalutiferis herbis paſcuntur, eruitur, iis præferrem. Lapis in cyſti fellis boum, Alcheın *a* à nonnullis vocatur; qui contuſus, ac naribus ditus, viſum acuit, ac fluxus, ne in oculos fluant,

Ad venena.

Alcheron lapis.


prohibet. Lentis magnitudine cum ſucco betæ na ribus inditus, epilepticos paroxyſmos prohibere i poſterum traditur.

a *Arabes hunc lapidem* Haraczi *nominant, eumqu valde commendant in morbo regio, teſte* Petro *Be lonio lib. 3. obſ. cap. 46, cuius hæc ſunt verba. Lan Turcici aliarum nationum lanios in concinnand carnibus agilitate longe ſuperant. Et ubicunqu ſunt, iugulato bove, exinque exemptis, fel obſerva re ſolent, an lapidem contineat, quoniam plerun que innaſcitur lapis, quem Arabes* Haraczi *nomi nant, cuiuſque facultates ab Avicenna ſigillati ſunt deſcriptæ. Iudæi longe pluris æſtimant huiuſc modi lapides, quam Turcæ, qui Iudæis cum ſint ſa niores, illo magnopere non indigent. Iudæi magn ex parte malo colore ſunt præditi, & regio morb laborant, naturaque taciturni ſunt, & melancholi ci, non modo in* Turcico *dominio, ſed & in Ger mania,* Italia, Gallia, *&* Bohemia. *Qui apud Tur cas vivunt, nullum præſentius remedium adverſi eum morbum norunt* Haraczi *lapide. Quod anno tatum voluimus, ut quem hæc legere continget, la nios ſuæ regionis admoneat de perquirendo eo lapid in bubulo felle. Non invenitur quidem in omn felle: ſed in decimo quoque forſitan invenientur bi ni aut tres eiuſmodi lapides.*

Cap

CAP. CXCVI.

De Aëtite.




AEtites lapis à Græco vocabulo ἀετὸς, quod aquilã ſignificat, nomẽ habet, Germanice *Aderſtein* vocatur. Nomini cauſam dedit aquilæ induſtria, quæ ut partum promoveat fertur Aëtitem in idum ferre, alias abſque eo parere non poſſe.



olore eſt albo, cinereo, pullo, vel fuſco. In ſe ontinet alium lapidem Callimum dictum, interum argillam, vel terram, ſed alii eum, qui argillam, el terram fert, pro Aëtite haberi nolunt.

Cap. CXCVII.

Genera, & ubi naſcatur Aetites.




a Lib.36. cap.21.

PLinius in quatuor genera *a* diſtinguit. In Afric naſcens puſillus, ac mollis, intra ſe , & ve ut in alvo habens argillam ſuavem, candidam friabilem, quem fœminei ſexus putant. Mas au tem, qui in Arabia naſcitur, durus, gallæ ſimili aut ſubrutilus , in alvo habens durum lapidem Tertius in Cypro invenitur, colore illis in Afric naſcentibus ſimilis, amplior tamen, atque dilata tus, cæteris enim globoſa facies. Habet in alvo are nam iucundam, & lapillos, ipſe tam mollis, ut etian digitis fricetur. Quarti generis Taphiuſius appella tur, naſcens iuxta Leucadem. invenitur in flumini bus candidus, & rotundus. Huic eſt in alvo lapis qui vocatur Callimus. Ego tantum tria genera de- prehendi. Primum genus exterius ſcabrum, non læve eſt, colore vario, plerumque tamen pullo ni- gricante. Hoc lapidem Callimum dictum, dumque pulſatur, ſonantem, in ſe continet. Secundum cine- rei

Taphiuſius lapis.

Tria genera Aetitis.

rei coloris eſt, ac in ſe argillam, vel margam continet, quæ alba, flava, rubra, cæruleave interdum eſt. Cortex eius exterior ſcabra ex arena craſſiore, ſilicumque particulis facta, vel conſtructa videtur. Tertium priori ſimile terram in ſe, coloribus variantem, concludit. Has duas poſtremas ſpecies Germani *Klapperſtein*, vel *Erdſtein* vocant, ac ab aliis Geodis nomine appellantur. Secundũ genus, quia agitatum & commotum argillæ ſonum prodit, ad Aetitis genera aptius cum Plinio, quam ad Geodis refertur.



Primi generis Aetites raro pruni vel armeniaci mali magnitudinem ſuperat. Poſteriora duo genera pugni ſæpe magnitudinem æquant. Primum genus Orientale eſt, quanquam etiam in Apulia reperiatur: reliqua duo etiam in Germania inveniuntur prope Hildeshemium in Miſnia, prope Dreſdam, ac non procul Chemnicio, deinde in Bohemia duobus à Pilſna miliaribus. Hi plerumque in torrentibus, decedente aqua, reperiuntur. Habet enim Sileſia ad pagum *Smotſteifen* territorii Leobergenſis, item ad Goldbergam in Lygiis hos lapides.

Cap. CXCVIII.

Natura, uſus, & facultas Aëtitis.

Ad partũ retinendum, vel pellendũ. AEtites partum promovet, & fœtum retinet. Ut fœtum retineat, brachio, ut vero partum promoveat, femori alligatur. Trahere enim ad ſe partum, experientia, & teſtimonio multorum medicorum, clarum notumque eſt. Proinde ſi partus exciderit, ſtatim amovendus lapis, ne matrix etiam excidat, ut, Valeriola teſte, Valentiæ coniugi Ponſoni Ionberti contigit, quæ oblivioni tradens lapidem femori alligatum, elapſa matrice, extincta eſt. *Ad epilepſiam.* Tritus lapis, ceratoque exceptus, epilepticos paroxyſmos lenit. *Ad peſtẽ.* Argilla, vel marga lapidi incluſa, terræ ſigillatæ facultatem obtinet. Lota enim, peſti, febribuſque peſtilentibus correptis, cum aqua acetoſæ propinata, auxilio eſt. Sudore enim malum omne expellit, ac cor recreat: quinetiam obſervavi in nonnullis alvum movere. *Ad venena.* Ad venena danda cum vino. dyſenterias malignas, alioſque alvi malignos fluxus compeſcit. *Ad Carbunculos.* Carbunculos peſtilentes, pota cum vino oligophoro, ac ſpiritu vitrioli, diſcutit, ac cor ab omni labe tuetur. Serpentes etiam arcere creditur, obque hanc cauſam etiam ab aquila experi, ut nempe pullos tueatur. Geſtatus amorem & divitias augere, præterea invictum, omnibuſque gratum geſtantem efficere, ac comitiales paroxyſmos prohibere, traditur. *Furis proditor.* Ad furem deprehendendum, *a* Dioſcoride teſte, olim panis Aëtitis pulvere commixtus ſuſpecto porrectus fuit. Qui ſi criminis conſcius erat, eum deglutire non poterat, Bellonio teſte, *b* libro 20. Obſervationum,

num, capite decimo tertio. Adhuc hodie in eum uſum lapide hoc Græci utuntur, ſed variis adhibitis ſuperſtitionibus. Dum enim deprehendere furem volunt, omnes ſuſpectos advocant, atque maſſam pinſunt ſine fermento, variaque verba admurmurant, deinde ex maſſa panes ovi magnitudine conficiunt, ſinguliſque qui convenerunt ternos devorandos nullo potu addito præbent. Tum fur tertium devorare non poteſt, ac parum abeſt, ſi conetur, quin ſtranguletur. Monachi Græci id pro ſecreto habēt. Sed huiuſmodi quid ſi contingat tantum furi, ſpiritu maligno cooperante fieri non dubito; proinde ab homine Chriſtiano ſcrutinia ſimilia reiicienda, tanquam ſuperſtitioſa, ſunt. Creditur etiam, ſi patinis venenū continentibus ſupponatur Aëtites, ferculum in quo eſt, devorari non poſſe.

a *Libro v. de re medica cap. 118. Præter has facultates tam à Dioſcoride, quā ab Auctore citatas, articulari morbo laborantes, ac reſolutos, mirifice iuvari hoc lapide, teſtis eſt Aëtius lib. 2. tetrabibl. cap. 32, qui id habuit ex Demoſthenis libro de lapidibus de Aëtite.*

b *Hic locus in Petri Bellonii obſervat. lib. 20. cap. 13, non exſtat, ſed lib. 2. cap. 23. Nam tantum tres libros obſervationum conſcripſit.*

CAP. CXCIX.

Dignitas, valor & pretium Aëtitis.

ORientalis, quem primi generis ſtatui, ac in aquilæ nido invenitur, à generoſis & nobilioribus fœminis magni fit, ob ſingularem ad partum promovendum facultatē, ita ut aliquando decem, etiam

etiam viginti thaleris, ſi grandiuſculus, & armeniaci mali magnitudinem habeat, vendatur. Germanici viliores ſunt: plerumque tamen, ſi pulli & ferruginei coloris ſint, ac non adeo ſcabri, ſinguli thalero uno aut duobus veneunt, etiam pluris ſi magni fuerint.

Cap. CC.


De Callimo lapillo, qui Aetiti includitur.

CAllimus in Aetite reperitur, variatque colore, & duritie, aliquando etiam ex parte transparens eſt Cryſtalli inſtar. Ad Albim invenitur Aetites prægnans candido Silice duriſſimo, in cuius ſuperficie cellulæ ſunt, quales habent apum favi. Callimus eaſdem à nonnullis putatur habere vires, quas Aetites.

Cap. CCI.

De Geode.

GEodes lapis eſt rotundus, terram aut arenam continens. hunc ad tertiam ſpeciem Aetitis redegi. Dum terram continet, vel arenam non ſonantem, Geodes proprie, nec inepte, vocari poteſt.



Quicunque non terram, ſed arenam etiam indura-

duratam, ſonantemque in ſe habet, Aetitis nomen non meretur, ſed Geodis. Reperitur in Miſnia, & prope Pilſnam Bohemiæ. colore eſt rubiginis, ac pugni ſæpe magnitudine. nullius, quod ſciam, uſus: niſi quis, dum exacte rotundi ſunt, iis maioribus bombardis explodendis uti velit. Reperitur aliud Geodis genus prope Aretium, candidum, figura oblonga, utrinque acuminata, ſpecie ſtercoris canini: videtur ex argilla parum condenſata conſtare. Si frangatur, ex cruſtis eiuſdem ſubſtantiæ aggregatæ ac friabilis coaluiſſe inſtar lapidis Bezoar deprehenditur. Fortaſſis Bezoar eſt Ægypti foſſile vel Aetites fœmina *a* Plinii, & ſpecies Oſteocollæ, vel Oſſifragi lapidis.

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 21. littera a.*

CAP. CCII.

De Enhydros.

A Geode non differt Enhydros, niſi contento. ut enim ſuperior arenam, vel terram, ita hic aquam continet. abſolutæ, *a* Plinio teſte, eſt rotunditatis, in candore lævis, ſed ad motum fluctuat intus in eo veluti in ovis liquor.


a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. 21. littera b.*

CAP. CCIII.

De Enorchi.

ROtundus eſt hic lapis ut Geodes, cuius ſpecies ut Enhydros ſtatui poteſt. Ovi columbini plerumque eſt magnitudine. Germanice *hodenſtein* vocatur, quia lapis in illo incluſus *a* teſtium vide-

videtur habere formam, à qua Græcum nomen ill
datum eſt.



Interior lapis ita adhæret exteriori concavo, u
vitellum ovi cocti abſque ſpatio intermedio albu
mini. Inveni hunc lapidem prope Pragam Bohe
miæ. Exterior eius pars terræ cinereæ habet colo
rem. Interior nec fulget, nec nitet, variiſque &
obſcuris coloribus ſordeſcit.

a *Huius meminit Plinius libro 37. Naturalis hiſtori cap.* x. *littera ff.*

CAP. CCIV.

De Amianto lapide.

AMiantus lapis, aliis Asbeſtinus, alumini ſchi
ſto tam ſimilis eſt, ut eo adulteretur. Ignis in
iuriam auri inſtar perfert, atq; non ſolum uri no
poteſt, ſed purior redditur, unde Asbeſtini nome
illi datum eſt. Olim in fila aptabatur, mappæque e
eo tanquam ex lino fiebant. Linum ex Amiant
Mappæ Asbeſtinæ. à *a* Plinio vivum appellatur. Mappæ Amyanthin
ſordibus conſpurcatæ, puriores igne exuſtę quam
aqua laventur fiunt, ac magis ſplendent. Regũ in
de olim tunicæ funebres fiebant, ut cremata cada
Locus. vera à reliquo cinere ſepararentur. Naſcitur, Dio
ſcoride teſte, in Cypro, ſed fuſcus. Item in deſerti
Indiæ

Indiæ,ubi non cadunt imbres,ac in Aſiæ provincia quadam. Reperitur etiam in Italia,ſed adeo breve, ac fragile,ut neri non poſſit. Hinc fit ut pro alumine ſciſſili vel plumę vendatur,& pro ellychniis perpetuis tantum inſerviat. Attritione ſolvitur facile in tenuia filamenta, inſtar plumæ caneſcentia.



Ligni modo fibroſus eſt, molliſque, & candidus, vel ſubviridis. Id quod dum teritur,lapis effloreſcit in plumas.flos petræ vocatur. Cuti applicatus flos urit urticæ inſtar, ob aſperitatem aculeorum tenuium,qui carnis poros penetrant, & continuum ſolvunt. Id ſciunt paſſim gnathones qui florem impalpabilem inſpergunt internis camiſiarum partibus, ut ſocii iis induti incredibili pruritu ac dolore afficiantur. Olim Amiantus pretia Margaritarum æquabat, Plinio teſte. A *b* Paulo Veneto vocatur hic lapis Salamandra, quod Salamandræ inſtar in igne vivat, aut eius iniurias abſque noxa perferat. *Salamādra.* Sed meo iudicio ridiculum eſt credere, aliquod animal in rerum natura eſſe, quod humore, ſpiritu, & aqua vix aliquo connexu iunctis conſtans, poſſit in

igne

igne degere, ut partes illæ non ſeparentur, exurantur, & ita animal intereat. Fila huius lapidis lineis non ſunt diſſimilia. Sole ſiccata teruntur in mortario æneo, poſtea lavantur, ac à terra purgantur, nenturque, ac deinde texuntur. Modus texendi hac ætate periit. *c* Baptiſta à Porta in libro magiæ naturalis videtur ſciviſſe modum, eumque palam facere: ſed verba tam ſunt obſcura, ut à nemine, quam qui modũ ſcit, intelligi, (ſi ab ipſo modus explicatur) poſſint. Ita enim inquit: Pectitur, & netur ab omni muliercula modo non ignorato, ut Venetiis vidimus. Cypria mulier, & Valentina, mihi vidend copiam fecit in arcis hoſpitio, vel medici mali, ſecretum optimum, perpulchrum, perutile, licet à re centioribus ignoratum. Iam gratis dedimus, etſ magno pretio comparari poſſit. Hactenus à Porta Iactat ſe gratis dediſſe: ſecretum hic nullum appa ret; videtur enim tantum locum monſtraſſe, ub modus haberi poſſit. Hoccine eſt magnum ſecre tum dare? nullum profecto, ſi extincta ſit mulier vel alio deceſſerit. Si arcis hoſpitio, vel medico ma lo, aliquid aliud intelligi velit, tam obſcurus eſt, u ne centũ Oedipi aperiendo ſecreto ſufficiant. Du bitavi ſępe num ſuccus mali medici hac in re neceſ ſarius ſit. Sed obſcuritas ænigmatis me in experien do negligentem fecit.

Modus texendi.

Ex Amianto linimentum ad tineam puerorum & ad ulcera tibiarũ miraculoſum fit ſequenti mo do. Accipiuntur Amianti unc. quatuor, plumb unciæ 12, tutiæ unciæ duæ, ac calcinantur, deind pulveriſata in vitro macerantur cum aceto, ac quo tidie per menſem materia agitatur ſemel; poſt men ſem ebullienda eſt unius horæ quadrante, ac quie ſcere ſinitur, donec inclareſcat: deinde illius acet clari quantitas, cum pari quantitate olei roſacei miſce

Miraculoſum Amianti lapidis linimentũ.

miſcetur, donec bona fiat unio linimenti forma: eo inungitur caput pueri totum ut cito ſanetur: ad ſcabiem, & ulcera tibiarum veſperi partes unguntur, donec ſanentur. Si lapis hic cum aqua vitæ, & ſaccharo ſolvatur, ac exigua portio mane quotidie mulieri albo menſtruo laboranti detur, mox ſanatur.

Ad ulcera.

Ad alba mẽſtrua.

a *A Plinio linum vivum appellatur lib. 19. Naturalis hiſtoriæ cap. 1. littera t. Per linum vivum Amiantum lapidem debere intelligi Auctor eſt Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. lib. v. cap. 113. Verum V. Cl. Claudius Salmaſius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 178. ſcribit, male & imperite facere eos, qui Plinium oo nomine reprehendunt, quum Plinius de lino revera loquatur, quod* ἀπηθελικῶς *vivum, & Asbeſtinon dicebatur, & in India proveniebat. Multo imperitius agere, inter quos eſt Mercurialis. qui Plinium ſic defendit, ut non neget quidem linum ab eo lapidem Caryſtium appellatum fuiſſe, ſed Græcorum id auctorum exemplo feciſſe contendat, quandoquidem & Pauſanias ante ipſum Carpaſium linum nominarit, & Strabo Caryſtium. De Strabone falſum eſt, ut ſupra oſtendimus. Pauſanias quidem vocat* καρπάσιον λίνον, *ſed improprie, ſiquidẽ intelligit de Cyprio lapide: profecto videtur confudiſſe linum Asbeſton cum Cyprio lapide, ea re inductus quod ſimili poteſtate contra ignes utraque eſſet prædita. Cæterum quod à Plinio deſcribitur Indicum linum, toto genere ac cœlo diverſum à Caryſtio, ſive Cyprio lapide. Præterea niſi Plinius per linum vivum quid aliud intelligeret, quam Amiantum lapidem, non diverſis locis (ne in tautologiam incideret) de iis tractaſſet. Nam Amianti lapidis meminit Plinius lib. 36. cap. 19. littera d. Huius etiam Amianti lapidis mentionem faciunt Georgius Agri-*

cola lib.v.de Natura Foſſilium cap.9. Andreas Cæſalpinus lib. 2. de metallicis cap.49. Antonius Muſa Braſſavolus Ferrarienſis tradit, impoſtores lapidem Amiantum ſimplicibus mulierculis oſtendere, vendereque ſæpenumero pro ligno Crucis Servatoris noſtri. Id quod facile credunt, cum igne non comburatur, quodque ligni modo plurimis conſtet lineis intercurſantibus. Amiantus lapis etiam fuit in aurea illa lucerna quam Athenis Callimachus fecit, oleo non niſi poſt annum diſſipato, licet ſemper arderet.


b *In Itinerario ſuo.*

c *Libro 4. cap. 25.*

Cap. CCV.

De Hæmatite.

HÆmatites à ſanguine nomen habet, *a* vel quod aqua commixtus ſanguineum colorem referat, vel quod ſanguinem ſiſtat. Germanice *Bluetſtein*



vocatur. Color illi ſanguine eſt obſcurior, non ſecus, ac ſi quis ferri ſcobem minio nativo, id eſt cin-

cinnabari commiſceret. Quanquam interdum niger, interdum flavus, interdum ferri colorem habeat. Strias antimonii inſtar habet. Dum uritur, minii colorem imitatur. *Pulcher color ex Hæmatite.*

a *Theophraſtus lib. περὶ λίθων Hæmatiten dici vult, non quod tritus ſanguineum ſuccum reddat, non quod ſanguinem ſiſtat, ſed quod ſimilis ſit αἵματι ξηρῷ πεπηγότι, arido ſanguini, & concreto.*

CAP. CCVI.

Genera, & loci natales.

PLinius de Hæmatitis generibus ita ſcribit libro 36. cap. 20. Soracus è vetuſtiſſimis auctoribus quinque genera Hęmatitum tradit, præter Magnetem. Principatum dat ex iis Aethiopico, oculorum medicamentis utiliſſimo, & iis quæ panchreſta appellant, item ambuſtis. Alterum Androdamanta dicit vocari, colore nigro, pondere, ac duritie inſignem, & inde nomen traxiſſe, præcipueque in Aphrica repertum. Trahere autem in ſe argentum, æs ferrum. Experimentum eius eſſe in cote ex lapide Baſanite. Reddere enim ſuccum ſanguineum, & eſſe ad iecinoris vitia præcipui remedii. Tertium genus Arabici facit, ſimili duritie, vix reddentis ſuccum ad cotem aquariam aliquando croco ſimilem. Quarti generis Elatiten vocari, quamdiu crudus ſit; coctum vero Miltiten, utilem ambuſtis, ad omnia viliorem rubrica. Quinti generis Schiſton, hæmorrhoidas reprimentem.

Hodie unum tantum genus ſupra deſcriptum pro Hæmatite habetur, idque videtur quartum eſſe Elatitẽ dictum. Rubricæ enim quamproximum eſt. Ad ſecundum genus Plinii videtur ille lapis referri

poſſe, cui minium nativum adnaſcitur. Nigricat enim, ponderoſus eſt, & argentum, æs, ferrum, ac aurũ in ſe trahit. nã propter argentum vivũ, quod in ſe continet, eam naturam habet, ut metalla appetat, iiſque uniatur. Si quis coloribus Hæmatitum genera diſtinguere velit, varia habebit, cum aliqui flaveſcant, rubeſcant, nigricent, & ferri colorem habeant. Lapis qui hodie pro Hæmatite habetur, in variis Germaniæ locis reperitur. Sæpe inter rubricas, & ferri fodinas, quales prope Ioachimicam vallem Bohemiæ, item circa Breſſam ſunt invenitur. Aliquando ex Oſtracite naſcitur, ut prope Hildeshemium contingit. Copioſe etiam invenitur in Ilva, ubi ferri metalla ſunt. Sed meliore fert Compoſtella Hiſpanię, qui conſtant figura angulosa, quemadmodum Pyrites, qui ferri nigricantis ſplendorem habet. Excoquitur in ferrum hi lapis, ac in cavernulis rubricam continet. Interdum, ſed obſcure ferrum trahere animadvertitu[r] Fit etiam Hæmatites ex Magnete uſto.

Locus.

CAP. CCVII.

Natura, facultates, qualitates, dignitas, & valor.

ALiis omnibus præfert *a* Dioſcorides friabil[em] & ſaturato colore, nigroq; qui per ſe duru[s] & æqualis eſt, nulla ſorde admiſta, aut ſepto inte[r]medio, habetque cinnabari ſimilem colorem, ſ[ed] ſaturatiorem. Uſtus, vinoque aſperſus, minii co[lo]lorem nanciſcitur. Frigidæ, ſiccæ, glutinantis, a[t]tenuantis, & aſtringentis eſt facultatis; quamobre[m] *b* oculis cruore ſuffuſis, & lachrymantibus, mi[re] convenit cum lacte muliebri inſtillatus, ac muli[e]rum profluvia, dyſenterias, hæmorrhagias, hepat[i]cos, alioſque ſanguinis fluxus compeſcit. Ex vino a[...]
ſerpe[...]

Minii color ex Hæmatite.

Ad ſanguinis fluxus.

ſerpentum ictus propinatur. Ad pulmonis ulcera ſanguiniſque eiectiones à *c* Tralliano celebratur. qui pollinem tenuiſſimum cum vino ſępius à ſcrup. uno ad ſcrup. quatuor non ſine magna utilitate exhibet. Vilis eſt admodum hic lapis. *Ad ſputa ſanguinea.*

a *Libro* V. *de re medica cap.* 101.

b *Raphaël Volateranus in Comm. Vrbanis lib.* 27. *de lapidibus tradit, eundẽ lapidem tritum cum melle, ophthalmiis, morbiſque oculorum omnibus impoſitum mederi: ex aqua vero epotum, ad omnia venena prophylacticum eſſe: præterea digito geſtatum victoriam contra lites omnes, gratiamque conciliare.*

c *Libro* VII. *cap.* 1. *circa finem miris laudibus Hæmatiten lapidem extollit, vide etiam ad hanc rem inſignem, notatuque dignum, de hoc lapide, locum Aëtii lib.* 2. *tetrabibl. cap.* 13.

CAP. CCVIII.

Adulterium Hæmatitis.

ADulterari ſolet gleba rotunda & denſa lapidis Schiſti (qualis eſt quæ eius radix vocatur) torrefacta in fictili inter cineres, donec ad cotem colorem Hæmatitis reddat. Sed fraus deprehenditur, primum quidem interſectionibus. Schiſtus in laminas rectas frangitur. Hæmatites autem non eo modo. Deinde colore, Schiſtus enim floridum reddit, Hæmatites autem ſaturatiorem cinnabari ſimilem.

Cap. CCIX.

De Hæmatite ſpurio triplici.

NAſcitur in Sileſia nō procul ab arce Lehnen ci ad Boberum flumen lapis ſimilis Hæmatiti ab incolis *Bluetſtain, Braunſtain*, aut *Braunfarbe* vocatus. Is durus non eſt, eoque figuli tingunt fictilia Hirsbergi. Uſtus crocum martis colore & effectu refert. nam ad ſanguinis eruptiones compeſcenda utiliſſimus eſt. Alterum genus reperitur in ferri metallis, globoſum, colore partim rubricæ, partim ferri nigricantis, friabile ob inæqualitatem, durum tamen. Hoc à Dioſcoride deſcribi videtur. Nam cæteri ſolidiores adulterari nequeunt, neque colore ſanguineo, ſed ferri perpoliti ſpectantur. In hoc genere quidam colore ſaturiore reperiuntur, croceum pulviſculum fundentes, quales Plinio in Aethiopia naſcuntur. Tertium genus ferrugineum & grave eſt rubrica obductum, & ſupra rubricam creta pallida. Deinde tectum cruſta ſimili Aetiti, tenuiore tamen, & fragiliore, quæ ſepti modo pervadit ad intima. Lapis hic ad cotem croceum & ſanguineum ſuccū profert Reperitur Aretii, ubi fons eſt acidulæ, congener Oſtraciti. Vim habet aſtringentem, & aliquantulum excalfactoriam. & extenuantem, ut Dioſcorides tradit, ideo exterit oculorum cicatrices, & ſcabritias cum melle, facit etiam ad lippitudines, oculos contuſos, ac cruore ſuffuſos, cum lacte muliebri. Bibitur ad difficultatem urinæ, fluxuſque muliebres, ac iis prodeſt, qui ſanguinem reiecerunt.

Ad ſanguinis fluxus.

CAP. CCX.

De Smiri lapide.

SMiris Germanice *Smergel,* Italice *Smeriglio,* Gallice *Emeri,* ad Hæmatitis tertiam Plinii ſpeciem referri poſſe videtur. Nam eam duriſſimam ſtatuit, ac vix ad cotem aquariam ſuccum reddere, eumque aliquando croco ſimilem aſſerit. Lapis eſt ferrugineo, ad nigredinem tendente, colore, adeo durus, ut gemmarii eo ad gemmas ſcalpendas, & arma expolienda utantur. Contunditur enim in pulverem tenuem papaverini ſeminis inſtar, aut paulo minorem, deinde addito oleo vel aqua operi adhibetur. Tantam habet duritiem, ut eo vitra non ſecus, ac ſi Adamas verus eſſet, ſcindantur. Ad loricas annulatas emundandas, & à rubigine liberandas, vaſi rotundo cum loricis imponitur, quo frequenti rotatione commoto, ac hinc inde iactata lorica, Smiriſque pulvere per annulos ſæpius decidente, parteſque illius affricante, ita lorica abſtergetur ut nova videatur. Enſes etiam hoc lapide, aliaque arma expoliuntur. *a* Ad gingivas humentes, & dentifricia Smiris pulvis etiã adhibetur. Abſtergentem enim habet facultatem.

Hæmatitis.

Ad loricas mundandas.

a *Smiridis facultates demonſtrant Dioſcorides, & Petrus Andreas Matthiolus lib.* v. *cap.* 123. *de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Oribaſius lib.* XV. *Collect. Medic. de lapidibus. Ætius lib.* 2. *tetrabibl. cap.* 26. *V. Cl. Claudius Salmaſius, Smiris per ſimplex* i, *non Smyris, ſcribendum tradit, libro (cap.* 62. *huius libri) citato, fol.* 1101. *Cuius hæc ſunt verba: Smyris etiam veteribus notus lapis, quo gemmas atterebant, ac poliebant, Dioſcoridi* ζμύρις

dicitur. ſed legendum ζμίρις, ex Heſychio. ζμίρις λίθος ἐστὶν, ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι· quo gemmas atterunt gemmarum ſcalptores. Heſychius: ζμίρις, ἄμμου εἶδος, ᾗ σμήχονται σκληρὰ τῶν λίθων. Smiris quoque hodie id nomen habet, & eundem uſum exhibet &c.

Cap. CCXI.

De Schiſto.

Schiſtus, ſeu ſciſſilis lapis, friabilis, & ſciſſilis eſt; unde nomen habet. componitur, & cohæret inſtar ſalis ammoniaci. Glebas habet duas, & rotundas quæ Schiſti radices vocantur, quibus uſtis olim Hæmatites adulterabatur. Fraus deprehendebatur quod in rectas laminas frangebantur, quod Hæmatiti non contingebat. Crocei eſt hic lapis coloris ſi optimus fuerit; alias nigricat, laminas habens tenues invicem hærentes ut lapis Specularis ſplendentes, & perſpicuas, per quas ſi Sol inſpicia-tur videtur croceus. *a* Plinius ex Sotaco Schiſtum Anthraciten vocari, naſcique in Aphrica nigrum, attritumque aquariis cotibus, reddere ab ea parte quæ fuerit à radice, nigrum, ab altera croci colorem, utilemque eſſe oculorum medicamentis aſſerit. Reperitur in Bohemia, Romæ in Vaticano, ac in Montacuto prope Anglarium; cuius montis cacumen ex hoc lapide conſtat. Videtur Talci quędam ſpecies; ſed hac ratione à Talco differt, quod in rectas laminas ſcindatur. Talci vero laminæ flexiles ſunt, ac vario modo complicatæ.

a *Lib.* 36. *cap.* 20.

Cap.

Cap. CCXII.

De Oſtracite.

OStracites à teſta, *a* quæ Græce ὄςρακον dicitur, nomen habet; teſtæ enim ſimilis eſt, cruſtoſus, & ſciſſilis. Teſta ſuperiori ablata, alius continetur lapis in plures ſciſſilis, intercedente ſemper cruſta, nō lamina, ita ut plures lapides Aëtitæ uno lapide contineri videantur. Ab hoc differt Oſtracites Germanorum, vulgo *Topfſtain*, ſeu olla foſſilis. Nam argilla potius videtur, quam lapis. Has ollas Æthnici olim cineribus mortuorum impoſitis telluri committebant. Molles ſunt in terra, exemptæ in aëre lapideſcunt. Oſtracite à nobis ante deſcripto utuntur mulieres pumicis loco ad pilos auferendos. Potus in vino drachm. pondere menſes fluentes ſiſtit. Ad nomas, & mammarum inflammationes imponitur utiliter. A purgatione ſumptus conceptionem prohibet. Tertia ſpecies ad gemmas à Plinio refertur, quam etiam Oſtraciam appellat his verbis lib. 37. cap. 10. Oſtracias, ſive Oſtracitis eſt teſtacea durior, altera Achatæ ſimilis, niſi quod Achates politura pingueſcit: duriori tanta ineſt vis, ut aliæ gemmæ fragmentis eius ſcalpantur. Oſtraciti oſtrea nomen & ſimilitudinem dedere. Hæmatitis etiam ſpecies quædam Oſtraciti ſimilis eſt. Reperiuntur hæ ſpecies omnes in variis Germaniæ locis. in Italia prope Levanen qua tenditur Aretium, in collibus ſabuloſis, & argilloſis, ubi Geodes invenitur, ibi & Oſtracitis.

Ollares lapides.

Ad menſium fluorem.

Ad impediendam conceptionem.

Locus.

a *Iuniores Græci (teſte Georgio Agricola lib. v. de Natura Foſſilium cap. 19.)* λιθόςρεον *nominarunt, ut ab Oſtracorum teſtis diſtinguerent. Plura de hac re*

 vide

vide in Conrado Geſnero de Foſſilibus, impreſſ. Tiguri (ut monuimus poſt caput 52. huius libri) fol. 85.

Cap. CCXIII.

De lapide Samio.

SOlet hic lapis in terra Samia, quæ linguæ adhæret, & alba eſt, reperiri: eo utuntur aurifabri ad nitorem auro comparandum. *a* Facultatem habet aſtringendi, & refrigerandi. candidior & durior cæteris præfertur. partus accelerat, & conceptus cuſtodit ut Aëtites. Interdum hic lapis nigricat. tum à nonnullis exhebenus aut ebur foſſile vocatur.

a *Samii lapidis facultates, & multa plura, tractant Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. cap. 130. lib. v. de re medica. & Andreas Cæſalpinus lib. 1. De Metallicis cap. xi. ad quæ loca lectorem relegamus.*

Cap. CCXIV.

De Talco.

Stella terræ. TAlcum Germanice *Talck*, à nonnullis Stella terræ appellatur, quod ſtellarum inſtar, argenteoque nitore ſplendeat. Putant nonnulli veterum *Argyrodamas.* fuiſſe Argyrodamantem, quia ignis iniuriis reſiſtit. Lapidi Speculari ſimile eſt Talcum: item Schiſto, à quo diſtat non ſolum colore, ſed & quia non in rectas laminas ſcinditur, flexiles enim ſunt, & vario modo complicatæ. Ex tenuiſſimis laminis argenti æmulis conſtat. igni reſiſtit, in eoque perenne eſt. Nam neque funditur, neque comburitur, neque colorẽ amittit: propterea ellychnia ex eo complicata

cata fiunt, ut ex Amianto lapide. Talcum plerunque candidum & argentoſum habet colorem. Ex eo chymici eliciunt oleum ad æs dealbandum, ac figuli fictilibus eius opera argenteum dant nitorem. Talco utuntur etiam mulieres ad faciem eximie dealbandam, in liquorem prius ſolvendo. Contunditur in pollinem tenuiſſimum piſtillo ferreo, poſtea forti ollæ committitur, operculo addito: ferreis deinde filis ligatur, figulari creta illinitur, in Sole triduo ſiccatur, ac tandem furno vitriariorum, ubi maximæ flammæ ſunt, imponitur. Poſt triduum aut quatriduum eximitur, vas frangitur, & ſi in calcem redactum ſit, ſervatur, ſin minus, repetitur labor, donec perfecte calx dealbuerit. Poſtea ſuper Marmor Porphyreticum accommodatur, humidiſſimoque loco relinquitur, donec in liquorem ſolvatur, ad prædicta utilem, *a* Ioanne à Porta teſte. Alii ad prædictum uſum Talci pollinem cum cochleis ollæ immittunt, ut Talcum devorent. ubi devorarint, cum teſtis tuſas vitro imponunt, ac ab iis aquam extillant pro mulierum magonio, ut dixi. *Talci liquor.* *Alius liquor ad fucum.*

Avicenna auctore, Talci lapis periculoſus eſt ſi devoretur, propterea ut ſolvatur eget magna induſtria. Frigidum eſt Talcum in primo, ſiccum in ſecundo gradu. aſtringit, retinet ſanguinem. prohibet abſceſſus mammillarũ & teſticulorum, & qui poſt aures fiunt. Infunditur dyſentericis, ad ſputum ſanguinis, fluxum menſtruorum & hæmorrhoidarum. datur cum aqua plantaginis. Talci genera variis coloribus diſtingui poſſunt. Reperitur genus quoddam cruſtoſum & fragile in colle petræ ſanctæ, quod ignis non abſumit, ac aliqui Galaicon *b* Plinii putant. *Galaicō.*

a *Libro* x. *Magiæ Naturalis cap.* 19.

b *Libro* 37. *Naturalis hiſtoriæ capite* x. *littera kk.*

Cap. CCXV.

De Selenitide, ac lapide Speculari.

Selenites à Luna nomen obtinet, quod decreſcente, vel accreſcente Luna augeatur, vel minuatur. à Romanis olim Lunaris gemma vocabatur. Nam Selenites inter gemmas ponebatur. *a* Plinius ex candido tranſlucere melleo fulgore, imaginem Lunæ continere, eamque reddere in dies ſingulos creſcentis minuentiſque numero, naſcique in Arabia ſcribit. Alii lacteo colore eſſe, noctuque non ſolum lucere, ſed loca proxima illuſtrare affirmant. A *b* Galeno hæc gemma Aphroſelenitis, quaſi Lunæ ſpumam dicas, vocatur. *c* Dioſcorides Selenitem vocari ſcribit, quia noctu invenitur plenus Luna creſcente. Elbertus tradit naſci in quodam genere teſtaceorum in India, Perſide & Arabia. Ego neque Seleniten, neque alium lapidem noctu lucentem unquam vidi, nec neotericorum aliquem deprehendi, qui vere oſtendere potuerit, quænam fuerit veteribus Selenitis gemma. Nonnulli exiſtimant Margaritas eſſe, quod *d* Garſiæ ab Horto medici proregis Indiæ teſtimonio plenę reperiantur creſcente Luna, ac poſt plenilunium ſi capiantur, cum tempore minuantur & decreſcant, ut è contra ſi ante capiantur, in eodem ſtatu permaneant. Deinde quod candidæ, & læves ſint, ac in iis corniculatæ Lunæ imago (poſtulante id propter corporis umbram, & ſubiecti corporis reflexionem, ſphærica figura) appareat. cui accedit, quod ad comitiales propinentur, & à mulierib⁹ ad pericula evitanda geſtentur; ut olim Selenites. Verum

a Lib. 37 cap. 10.

Margarita an ſint lapides Selenitæ.

rum quia à nullo veterum, neque à Plinio Margaritas hoc nomine appellatas deprehendo, aliã gemmam Selenitidis nomine notatã fuiſſe non dubito. Recentiores lapidem Specularem, quem Germani *vnſer lieben Fravven eys* appellant, Selenitem ſtatuunt. Quod facile Lunæ imaginem in ſe recipiat, variiſque modis viſui offerat. Lapis hic Cryſtalli inſtar pellucidus eſt, ac in bracteas tenuiſſimas ſcinditur, omni papyro vulgári tenuiores, nec propterea diaphanitatem amittit. Aliqui alumen Scaiolæ vocant, cum tamen alumen non ſit, neque eius ſaporem habeat. In igne in pulverem candidiſſimum facile vertitur, quo mulieres ad faciem dealbandam, & rugas depellendas utuntur. Ad quæ commodior eſt hic lapis, ſi in liquorem ſolvatur, ut in capite de Talco explicavi. Tener eſt hic lapis, flexilis, ac in gypſum facile excoquitur. Laternis, & feneſtris cõficiendis inſervit vitri inſtar. Maxima eius quantitas in Moſcovia invenitur, item in Hiſpania, Cypro, Cappadocia, Sicilia, Africa, in agro Bononienſi, in Thuringia, Saxonia, Marchia, in Miſnia ad Salam, aliiſque locis Germaniæ. Reperiuntur Speculares lapides variis coloribus, mellei, nigri, & fuſci, ſæpeque Saxo Marmoreo implicantur, aliquando laterculis diſtinguuntur, aliquando ſexangula figura excreſcunt, ut Cryſtalli videantur. Ex omni lapide Speculari, ſi uratur, Gypſum fieri poteſt. Plinius de lapide Speculari ſequentia ſcribit. Specularis vero (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quaſlibet tenues cruſtas. Hiſpania hunc olim citerior tantum dabat: nec tota, ſed intra centum millia paſſuum, circa Segobricã urbem: iam & Cyprus, & Cappadocia, & Sicilia. nuper inventus in Africa: poſtferendi tamen omnes Hiſpaniæ & Cappadociæ molliſſimis,

Speculare lapidẽ recentiores ſtatuunt Selenitẽ.

Alumen Scaiolæ.

Locus.

Colorum diverſitas.

a *Lib. 36. cap. 22.*

ſimis, & ampliſſimæ magnitudinis, ſed obſcuris. Sunt & in Bononienſi Italiæ parte maculoſi, complexu Silicis alligati, quorum tamen appareat natura, ſimilis eis, qui in Hiſpania puteis effodiuntur profunda altitudine. Nec non & ſaxo incluſus, ſub terra invenitur, extrahiturque aut exciditur. Sed maiori parte foſſili natura, abſolutus ſegmenti modo, nunquam adhuc quinque pedum longitudine amplior. Humorem hunc terræ quidam autumant Cryſtalli modo glaciari; & in lapidem concreſcere manifeſte apparet: quod, cum feræ decidere in puteũ, tales, & medullæ ex oſſibus earum, in eandem lapidis naturam, poſt unam hyemem, figurantur. Invenitur & niger aliquando. Sed candido natura mira; cum ſit mollitia nota, perpetiens ſolis, rigoriſque. nec ſeneſcit, ſi modo iniuria abſit, cum hoc etiam in cementis multorum generum accidat. Invenere & alium uſum, ramentis quoque circum maximum ludis Circenſibus ſternendi, ut ſit in commendatione candor. Hactenus Plinius lib. 36. Natur. Hiſt.

b *Libro 9. de ſimplicium Medicamentorum Facultatibus.*

c *Libro 1 Aromatum & ſimplicium hiſtoria cap. 57.*

Cap. CCXVI.

De Gypſo lapide.

GYpſum *a* proprie dicitur calx ex lapidibus quibuſdam uſtis, ſed exigua, & brevi uſtione. Lapides autẽ illi unde Gypſum fit Alabaſtro non ſunt diſſimiles. à Gallis Gypſum *du plaſtre ou du gyps* vocatur, à Germanis *ſpat*, vel *gyps*, ab Italis *geſſo*, ab Hiſpanis

ſpanis *yeſſo*. Reperiuntur huiuſmodi Gypſi lapides variis coloribus,qui tamen uſti albi redduntur. Vulgares illi lapides qui Alabaſtri nomē habent, & unde vaſcula fiunt, facillime in Gypſum uſtione vertuntur. Huiuſmodi in Myſnia, comitatu Burgundiæ, ac in agro Volaterano inveniuntur. ſplendent, & lævorem ſuſcipiunt, tantumque deeſt durities, ut inter nobilia Marmora ſint. Gypſum adſtringit, emplaſticum eſt,& obſtruit. Ad ſanguinis eruptiones impoſitum convenit, citiſſime enim poſtquam madefactum eſt lapideſcit, ideoque etiam potum ſtrangulat. Quod uſtionem non eſt expertum, ex oxycrato impoſitum repercutit. Maximi uſus eſt ad ſtatuas ingentes, & leviſſimas faciendas: Nam ex lana, vel ſtupa linea, aut cannabina, vel fœno, ſemiformatæ ſtatuæ Gypſo humido & molli obducuntur, ut tenuem cruſtam nanciſcantur, deinde formantur. Formatæ ingenti mola, muroque exigua portiuncula annexæ, ſpectatorem in admirationem trahunt. Cum polline lapidum duriorum, plumbi pulvere, & lacte, in veros lapides tranſit, ac, ſi colores adiiciantur, Marmor pondere, nitore, & colore imitatur quam proxime. Pictoribus etiam Gypſum inſervit, eo enim colores commiſcent, ac ex maſſa penicilla duriora conficiunt, quibus abſq; alio humido quævis pingunt; hoc vocant ſiccis coloribus pingere.

Gypſum ſtrangulat.

Ad ſtatuas.

Coloribus ſiccis pingere quid ſit.

a *Gypſi deſcriptionem, & plura ad Gypſum pertinentia, tradidi in comm. à me editis, in praxin Auream Ioannis Stockeri, excuſ. typis Ioannis Maire typographi celeberrimi Lugd-Bat. Anno* 1634. *in* 12. *fol.* 123. *ad quæ lectorem relegamus.*

Cap.

Cap. CCXVII.

De Pumice.

PUmex Virgilio lapis bibulus,item ſpongia, ut & Vitruvio,quod ſpongię inſtar fiſtuloſus ſit, dicitur. Lapis eſt eroſus,ſpongioſuſque,exiguis cavernulis ſeu foraminibus plen⁹. Græce *κίσσηρις.* quod veluti à vermiculis, qui *κίες* dicuntur, ſit exeſus. Ἀλκυόνιον à Theophraſto vocari putãt,quod è marina ſpuma coact⁹ ſit.Germanice *bymsſtein,pins-,kratz-ſtein* , quia inBalneis eo ad cutem fricandã utuntur dicitur. Gallice *pierre ponce,* Italice *pumice,* Hiſpanice *piedra eſpongia.* Pumicis nomine etiam appellantur eroſa ſaxa , in ædificiis quæ muſæa vocant dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam. talia inveniuntur prope *Rotvvilam* ad Neccarum.

Cap. CCXVIII.

Pumicis genera, loci natales, & facultates eiuſque uſus.

DIfferunt inter ſe Pumices colore. ſunt enim aut nigri, ut Siculi,aut cinerei,aut candidi, alii molles ſunt, manibuſq; teri in arenam poſſunt, alii duri.omnes rari ſunt,& leves,ac ob fiſtulas,aërem que iis contentum,aquæ innatant quamvis magni

Locus. Inveniuntur inMelo,Sciro,Æoliisinſulis,in Niſyro inſula, Sicilia , in Campania ad montem Modernum,& Veſuvium,in Ænaria , & ad confluentiam Germaniæ,item in littoribus maris undis detruſis & in tractu maris Tyrrheni. Veteres è ſpuma maris coaleſcere in inſulaCyclade,& Niſyro teſtantur *a* Sæpe ab exuſtione, aut coctione lapidum fit, ut circa Ætnam, & in collibus Myſiæ.

Electio. Probantur

cando

candore, minimoque pondere, & ut quam maxime ſpongioſi, aridique ſint, ac teri faciles, nec arenoſi in fricando, quique ex capillis caneſcentibus coagmentati videntur, ut alumen ſciſſile. Hi ad corpora fœminarum læviganda ſoli utiles ſunt. Uſus etiã Pumicum eſt ad lævigandas telas pro pictoribus, item ad corpora fæminarum vel virorum fricanda in balneis. Vis eorum in medicina eſt, *b* Plinio teſte, extenuare, ſiccare, trina uſtione, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino reſtinguantur albo. Lavantur deinde ut Cadmia, & ſiccati conduntur quam minime uliginoſo loco. Vſus farinæ eius oculorum medicamentis adhibetur, quia ulcera purgat leviter, expletque cicatrices, & emendat. Quidam tertia uſtione refrigeratos potius quã reſtinctos terere malunt ex vino. Adduntur etiam ad malagmata, capitum, verendorumque ulceribus utiliſſima. Fiunt ex his dentifricia. Theophraſtus auctor eſt potatores in certamine bibendi præſumere farinam eius, ſed niſi immenſo potu impleantur periclitari, tantamque refrigerandi naturam eſſe ut muſta fervere deſinant Pumice addito.

Pro pictoribus.

a *Pumicem, ambuſtum eſſe lapidem in montium concavitatibus, omnes fere fatentur naturæ operũ exploratores. ob id enim ſæpius eructat mons Aetna in Sicilia, & in Campania Veſuvius, qui hoc tempore, ingentibus flammis exarſit cum magno Puteolorum & adiacentium locorum detrimento, igne in terræ viſceribus genito, è ſulphureis vaporibus, & bitumine, quo quam plurimi referti ſunt montes, eoque præſertim, quod piſſaſphaltum dicunt.*

b *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ capite 21. littera d.*

Cap. CCXIX.

De Poro, Topho, aliiſque lapidibus Pumici cognatis.

POrus, vel Tophus, Græce πῶρ☉ dicitur, Germanice *Topffſtein*, vel *Tugſtein*. Aſper eſt, facileque in arenam reſolvitur, ſcaber natura. fortaſſis lapis Sabuloſus Thomæ Eraſti eſt, qui prope Heidelbergam invenitur, & ad Podagram ab ipſo prædicatur. Porum Plinius lib. 36. cap. 17. Cherniten vocat, ſed Sarcophagi ſpecies eſt. Ad Pumicis & Tophi ſpeciem proxime accedit ſalis ſpuma, quæ dum patinæ aqua ſalſa plenæ ebulliunt illa effluxa coire inTophũ ſolet. Tales tophi in ſalinis Burgundiæ, & ad Oeni vallem colliguntur. Fiſtuloſi, ac ſpõgioſi, qui Halę in valle Oeni *Saltzzepſtein* vocantur albiſſimi ſunt. Burgundici duriores, graviores, ſolidioreſque lapidis fere inſtar, colore minus albo & interdum ſubrubente, ab incolis Salegre appellantur. Hi Tophi aviculis, quę in caveis aluntur, exhibentur: quia eius uſu recreantur, cum alio ſale pereant. Quod ſane mirum, nullo manifeſto diſcrimine inter hoc ſal & reliquum apparente. Ad Tophi vel Punicis genera referri poteſt Acopis Plinii nitro ſimilis, pumicoſa, aureis guttis ſtellata, quæ fortaſſis lapis ille eſt qui in Ilva, & alibi, ubi alumen foſſile & chalcanthum effoditur, reperitur. Sed hunc lapidem quidã Aſſium putant, qui etiam Pumici ſimilis eſt. In Tmolo monte gignitur lapis Pumici ſimilis rarus inventu, qui quater in di[e] colorem mutat, Plutarcho teſte, ubi Pactoli fluvii mentionem facit. A Pumice non multum diſtant, ſpuma maris Haloſachne, Alcionium petræum, *a* Adarces, & Paretonium. ſed quia a[d] terræ genera paullo indurata commodius referuntur

Lapis Sabuloſus. *Chernites.* *Salegre.* *Acopis.* *Haloſachne.* *Alcioniũ.* *Adarces.* *Paretonium.*

tur

tur, illorum deſcriptionem in alium locum reſervo.

a *Adarcis deſcriptionẽ tradit Plinius lib. 16. Naturalis hiſtoriæ cap. 36. littera e e. Eamque lib. 32. cap. x. littera t. Calamochnum vocat. De Adarce conſule V. Cl. Claudium Salmaſium libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 301. Sunt quidam qui exiſtimant Adarcem Plinii eſſe Pallam Marinam, ſed male: ſiquidem Palla Marina in mari tantum naſcitur, non in paludibus aquæ dulcis, & ibi non arundinibus, neque herbis inhærens viſitur, ſed in ſicco reperitur littore, undis ſimul cum alga proiecta, pilæ omnino ſimilis, quæ in lactantium hædorum ventriculis, ex exuctis una cum lacte pilis, plerumque reperitur: adde quod Palla Marina guſtata nec acris, nec cauſtica (ut Plinius inquit) eſt. Huius etiam Pallæ Marinæ meminit Galenus lib. 1. de Compoſit. Medic. ſecund. loc. quam σφαῖραν θαλασσίαν vocat. quem locum Interpres Cornarius vir alioquin Doctiſſimus perperam ſpongiam interpretatur. Qui vero Pleniorem Pallæ Marinæ cupiat habere deſcriptionẽ conſulat Conradum Geſnerum lib. de Aquatilibus cap. de Palla Marina.*

CAP. CCXX.

De Sarcophago, & Aſio, ſeu Aſſio lapide.

SArcophagi vulgo hi lapides vocantur quibus mortuorum ſepulchra teguntur. Verum hoc loco veterum Sarcophagum deſcribo, ſeu Aſſium lapidem qui in Aſſo Troiadis carnem exedens reperitur, de quo ſequentia Plinius lib. 36. cap. XVII. In Aſſo Troiadis Sarcophagus fiſſili vena ſcinditur. a Corpora defunctorum condita in eo abſumi con-

ſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus. Eius generis & in Lycia ſaxa ſunt, & in Oriente, quę viventibus quoq; adalligata erodunt corpora. Mitior eſt autē ſervandis corporibꝰ, nec abſumendis, *Chernites.* Chernites ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt: Parioque ſimilis candore, & duritie, *Porus lapis.* minus tamen ponderoſus, qui Porus vocatur. Aſſius guſtu ſalſus, *Ad podagram.* podagras lenit, pedibus in vaſe ex eo cavato inditis. Præterea omnium crurum vitia in iis lapidicinis ſanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur. Eiuſdem lapidis flos appellatur in farinam, quæ mollis ac perinde efficax. (pro appellatur, legerem præparatur.) Eſt autem ſimilis *Ad mammas & ſtrumas panoſque.* Pumici rufo. Admiſtus æri Cyprio mammarum vitia emendat; pici autem reſinæve, ſtrumas & panos diſcutit. Prodeſt & phthiſicis linctu. *Phthiſin.* cū melle vetera ulcera ad cicatricem perducit, excreſcentias erodit, & ad beſtiarum morſus utilis. Repugnantia curationi ſuppurata ſiccat. fit & cataplaſma ex eo podagris, miſto fabæ lomento. Hactenus Plinius. *b* Galenus Aſſium lapidem ait eſſe non durum, ſed laxum, friabilem, conſiſtentia & colore quaſi Tophi. Innutriri ei quiddam farinæ tenuiſſimæ adſimile, qualis in piſtrinorum parietibus adhærere viſitur, quod petræ Aſiæ florem vocant. Eſſe vero ſubtilium partium, ut ſine morſu carnes nimis molles & fluidas eliquet. Petram vero in qua naſcitur ſimilem, ſed infirmiorem vim habere: ſalſedinem *Electio.* quandam in guſtu florem participare. *c* Dioſcorides Aſſium inquit ſeligendum colore Pumicis, levem, fungoſum, friabilem, habentem venas luteas ad imum actas. Eius flos ſalſugo ſubflava eſt, ſummo lapidi inſidens, tenuis, nunc alba, nunc inſtar pumicis ad luteum vergens, linguam aliquantulum mordens. Auctorum præcedentium

teſti-

teſtimonio Aſſius lapis detergentem, exiccantem, leviter exedentem, & diſcutientem habet facultatem, proculdubio propter nitri, & ſalis, aluminiſque mixturam qua conſtat.

Hodie vix dignoſcitur Aſſius lapis. Matthiolus circa Tridentum in Vitrioli minis prope montem Liveginem reperiri exiſtimat: propterea quod notæ conveniant. Reperitur enim ibidem lapis levis Pumicis inſtar ſpongioſus, frangibilis, veniſque luteis. Alii Germanorum Tophum, aut illi admodum ſimilem, eum qui reperitur in Ilva, & ubi alumen foſſile, & chalcanthi vena foditur, colore candido inſtar ſacchari, venis vel maculis luteis, guſtu ſubaſtringente, & linguam modice mordente, iterum eum qui ibidem ſine maculis luteis, Pumici ſimilis, fungoſus, cum ſuperficie ſali ſimili, ſed lapidoſa & inſipida, invenitur, eſſe exiſtimant. Vel etiam eum, qui durior eſt, venis ſe interſecantibus in profundum, quique exterius in tenuem farinam candidam ſolvitur, modice mordentem, qui eius flos eſt. Non emanat autem flos luteus, niſi ex habente maculas luteas, cuius ſapor etiam eſt efficacior. Hi profecto lapides omnes, qui alumen, nitrum, & ſal in ſe continent, ac leves, & ſpongioſi, non inepte pro Aſio lapide haberi poſſunt, præſertim quod propter prædicta mineralia iis contenta, eaſdem facultates, quæ Aſſio ab auctoribus tribuuntur, habeant.

Vbi repe-riatur.

a *Hoc lapide, quod carnes abſumat, utebatur antiquitas, ad defunctorum ſepulchra, ut abſumptis ab eo carnibus, corpora non computreſcerent, ob idque Græci appellavere ſarcophagum. Quod manifeſte declarat Dioſcorides, cum inquit,* ἐ σοροὶ σαρκοφάγοι γίνονται, *id eſt, loculi defunctorum carnes abſumen-*

tes ex eo ſiunt; omnes interpretes male σοροὶ pulverē interpretati ſunt, excepto Plinio, loco ab Auctore iam tradito, qui mentem Dioſcoridis probe aſſecutus videtur. Quod idem nobiſcum ſentit V. Cl. Claudius Salmaſius libro (cap. 62. huius libri) citato fol. 1204. littera c, cuius hæc ſunt verba. Græci σορὸς vocant arcas mortuales. Eæ ex ſarcophago lapide etiam fiebant, quas appellat σορὸς σαρκοφάγους Dioſcorides. Sic tamen vulgo hæc vertunt: Fit ex eodem etiam farinæ modo pulvis minuendis carnibus utilis. *Quæ nihili ſunt, modumque quo hæc legenda ac diſtinguenda ſint, ibidem tradit, multaque de Aſſio.*

b *Libro IX. de ſimplicium medicamentorum facultatibus.*

c *Libro V. de re medica cap. 99.*

CAP. CCXXI.

De Phrygio lapide.

PHrygius lapis, *a* Plinio teſte, gentis nomen habet, eſtque gleba pumicoſa: uritur ante vino perfuſus, flaturque follibus, donec rufeſcat, ac rurſus dulci vino extinguitur, & hoc trinis vicibus, tingendis veſtibus tantum utilis. *b* Dioſcorides in Cappadocia inveniri tradit, eumque, qui palleſcit pondere mediocris, abſque ſolida compage, ac lineis albis Cadmiæ inſtar diſtinctus eſt, cæteris præfert. Vim habere ait aſtringendi, expurgandi, & cruſtas inducendi, lavarique ut Cadmiā, uſumque eius eſſe ſive crudus ſive combuſtus ſit. *c* Galenus oculis utilem facit. item ad ulcera & ſcabritias. Hodie ignotus eſt hic lapis, quia tamen tingendi veſtibus utilis fuit olim, aliqui chalcanthi glebam quę ad tingendum utilis eſt, Phrygium eſſe lapidem

opi

opinantur. huiuſmodi glebæ pallent, candicant, vi-
reſcunt, aut cinereæ ſunt. palleſcentem habeo quæ
aſtringit & mordicat ut chalcanthum, ac propterea
iiſdem viribus prædita eſt.

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 19. littera k.*
b *Libro v. de re medica cap. 89. Huius etiam meminerunt Galenus lib. 9. de ſimplic. medic. facultat. Paulus Ægineta lib. VIII. littera λ. Aëtius lib. 2. Tetrabibl. cap. 21. Inter Neotericos Andreas Cæſalpinus lib. 2. de Metallicis cap. 52.*
c *Galenus lib. 9. de ſimpl. medicam. facultat.*

CAP. CCXXII.

De Agerato.

PHrygio lapidi non diſſimilis videtur Ageratus, quo a Galenus coriarios uſos fuiſſe teſtatur, umque digerentis & aſtringentis facultatis eſſe ſſerit, quamvis guſtu evidentem aſtrictionem, aut crimoniam habere non videatur. Ad columellæ iflammationes utiliſſimus eſt. ut hinc colligi poſt, non tam acrem eſſe, quam Phrygium lapidem, rædicatur etiam hic lapis ad nitorem calceis conciliandum.

a *Libro IX. de ſimplicium medicamentorum facultatibus.*

CAP. CCXXIII.

Lapis Spongiæ.

SPongię, lapides in ſe continent candidos, friabiles, qui in ſuccum lacteum ſolvuntur. facultate *Ad calculum.*
xtenuandi abſque inſigni caliditate, ad calculos

 renum

renum & veſicæ frangendos utiles, quique ob il-
Cyſteolithus. lam facultatem Cyſteolithi vocantur. propinantu
autem ex vino.

Cap. CCXXIV.

De lapide Renali.

AD Oſtracitis, aut Geodis ſpecies lapis hic referri poſſe videtur: tegitur enim cruſta ferrea ſati dura, ſub qua latitat lapis rotundus Renis figura Invenitur prope Pragam, colore eſt terreo ſubrubro, cortex terreo tantum: nullas hactenus ipſiu facultates expertus ſum.

Cap. CCXXV.

De Hyſterapetra.

AGricola *a* narrat, in Diœceſi Trevirenſi, cum fundamenta arcis Erebreitſteinenſis eruerentur, inventos fuiſſe lapides nigricantes, & duros qui muliebre pudendum exprimerent. hos *b* Cardanus ob ſimilitudinem Hyſterapetras vocat. rectius Hyſterolithi dicerentur. Addit Agricol etiam Mariæburgi inveniri. Nullius ſunt uſu quod ſciam.

Hyſterolithus.


a *Libro* v. *de Natura Foſſilium cap.* 14.
b *Libro* VII. *de ſubtilitate.*

Cap. CCXXVI.

De lapide Iudaico.

IUdaicus lapis olivæ ſpecie ſubrotundus, tener & friabilis eſt, ſtriis ſecundum longitudinem diſcur-

diſcurrentibus, & æquidiſtantibus, ac ſi arte factæ eſſent.



Colore eſt albo, aut ſubcinereo. Ab *a* Aëtio lapis Syriacus, ab aliis Phœnicites, Pyrene, vel Eurrheus, à Plinio *b* Tecolithos vocatur, quaſi lapidem frangens aut liquefaciens. Tritus enim aut aqua calida exhibitus difficultati urinæ medetur, ac calculos veſicæ & renum rumpit. Aliqui ſexum diſtinguunt, & minores fœminas, ad veſicæ lapidem fundendum utiles, maiores maſculos, inter quos aliqui ſunt longiores minimi digiti quantitate, ad renum lapidem expellendũ commodos arbitrantur. *c* Reperitur in Iudæa, & Sileſia.

Phœnicites, Pyrene, Eurrhous, Tecolithus. Ad calculum.

a *Libro 2. Tetrabibl. cap. 19.*

b *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap.* x. *littera ccc.*

c *Plura qui de lapide Iudaico ſcire deſideret conſulat Dioſcorid. & Petrum Andream Matthiolum lib.*v. *cap.*v. *Item Andreæ Cæſalpini lib.* 2. *de Metallicis cap.*45. *Aëtius lib.*2.*tetrabibl. cap.*19. *Iudaici lapidis meminit. Cuius hæc ſunt verba : eſt & alius facultate inſignis è Syria Paleſtinæ delatus, forma conſpicuus, lineis tanquam tornatilibus interſectus, Iudaicus, vel Tecolythus appellatus, ad calculum renum efficax tritus, & è calida potus: nec ſegnior*

eſt ad veſicæ calculos. Tradit Nechepſon, Tecolithum cum aqua ſubactum ad glutinis conſiſtentiam, & abraſis pilis ſumini ac pubi applicatum veſicæ calculos frangere, ut merito canatur:

Salve Arabum mare, Tecolythum mortalibus ægris
Largitum ad morbos nobile præſidium.


Ex oleo etiam myrtino illitum podagricis confert.

Cap. CCXXVII.

De Trochite, & Entrochio.

Cum Iudaico lapide cognationem habet Trochites, Germanice *Spangeſtein*, aut *Rederſtein*, quia rotæ, aut tympani refert figuram, appellatus. Pars eius rotunda lævis eſt, utraque vero plana habet modiolum, à quo, ut in rotis fieri ſolet, radii eminentes ad extimam orbis partem ita procedunt, ut inter illos ſtriæ fiant. Fractus lapis Iudaici inſtar nitet, & lævis eſt. Frangitur autem, ut ille, in obliquum, longum, & latum. Ex Trochitis nondum ſeparatis conſtat Entrochos, ita ut plurimorum Trochitarum ſit coniunctio. Coniunguntur autem invicem ſuprapoſiti tam eleganter, ut arte videatur coniunctio facta. Nam radii unius alterius ſtriis inſeruntur, quemadmodum in commiſſuris cranii humani videre licet. Interdum viginti hoc modo committuntur. Dũ æqualiter teres eſt Entrochos, radios eminentes habet, & cingulum; dum inæqualiter, mediaque pars tumet, & extrema ſtrictiora ſunt, ſimiles habet radios, vel nullos, & tum cingulo plerumque caret. Differt colore Trochites unus ab alio. Nam reperiuntur albi, cinerei, ac lutei. Differunt etiam magnitudine. Maximus latus eſt digitum tranſverſum, craſſus tertiam eius partem,

tem,aut amplius. Reperitur in Saxonia ad Hildeshemium ultra montem Mauricii in commiſſuris Marmoris,in cinereo candidi,& in terra glutinoſa, item in Italia,& prope arcẽ Spangenberg in monte eiuſdem nominis, à quo credibile eſt lapidi nomen Germanicum datum eſſe.



Cap. CCXXVIII.

De Morochtho lapide.

MOllis eſt hic lapis,alias Leucophragis , Galaxias,aut Graphida,quia uſum calami ſcriptorii præſtat , appellatur. *a* Georgio Agricola teſte naſcitur in Saxonia , & prope Hildeshemium,ubi *Milchſtein* vocatur. Dioſcorides in Ægypto reperiri aſſerit, itaque ad lineas veſtes dealbandas, quia tener eſt, facileque in liquorem ſolvitur,utilem eſſe ſcribit. Ac præterea poros corporis reſerare, ac inprimis conferre ſanguinem expuentibus,cœliacis, iiſque quibus veſica dolet, ſi ex aqua propinetur. *Ad ſanguinis ſputa.* Ad fluxus matricis cum lana peſſi forma imponitur. *Ad fluxus matricis.* Commiſcetur etiam collyriis ad cavitates oculi explendas, lachrymaſque ſiſtendas. Cerato admixtus cicatricem promovet. exiccantem enim,ſed vix adſtringentem habet ſine morſu facultatem. Reperiuntur in Saxonia Morochthi duri,& in foſſa arenaria Hildeshemiana qui nigri ſunt, & lacteũ ſuccum emittunt. *Vbi reperiantur.* Hi Germanice *ein ſchvvartzer milchſtein* vocantur. Variat enim colore hic lapis. nam aliqui

Differentia à Galactite & Melitite. aliqui ſubvirides, nigri, & mellei ſunt coloris. S differentia ſtatuenda ſit inter Morochthum, Galactiten, & Melititen, Morochthus lacteum ſuccum edit abſque mellis dulcedine, deinde neque albus, neque cinereus eſt. Galactites vel albus, vel cinereus, lacteum ſuccum abſque mellis ſapore emittit. Melitites vario colore lacteum ſuccum, ſed melleo ſapore promit. Reperiuntur etiam Morochth in Apennino, Lunenſi regione, & Etruria, ub pictores, & mathematici ad lineas ducendas ec utuntur. Nitet dum durior eſt, ſaponis aut gemmæ inſtar, lineaſque notat ſiccus, non madefactus

a *Libro* v. *de Natura Foſſilium cap.* vi.
b *Libro* v. *de re medica cap.* 109 *Plura Petrus Andrea Matthiolus in idem caput, Aëtius lib.* 2. *Tetrabibl cap.* 16, *& Andreas Cæſalpinus lib.* 2. *de Metallici cap.* 60. *tradunt.*

Cap. CCXXIX.

De Galactite.

Galactites lapis à Morochtho parum differt, ol quam cauſam itidem Leucas, Leucogea, Leucophragis, & Synephites vocatur. Germanice *Milch ſtein*, lacteum enim ſuccum, licet cinereus ſit, emittit, & dulcis eſt. *a* Dioſcoride teſte, laudatur ad oculorum fluxiones, & ulcera. *Ad oculorum vitia.* Cuſtoditur aqua tritu in plumbea pyxide ob vim glutinis, quę in eo continetur. Temperatas habet primas qualitates ob dulcedinem, *b* Galeno auctore. *Ad lactis ubertatem.* Nam lactis ſuccum, & ſaporem omnino refert. Nutricum lac auget, infantiumque alligatus collo ſalivã facere dicitur, ac in ore liqueſcere, memoriæ tamen plurimum nocere. Invenitur in Saxonia, Apennino monte, Lunenſi

enſi regione, ac Etruria, & prope Hildeshe-
ıium.

Ad Galactiten videtur lapis ille poſſe referri, ıem ita deſcribit c Geſnerus. Eſt & quod lac Lu- ıre à noſtris appellatur, quod in altiſſimorum uorundam montium Helveticorum ſpeluncis re- eritur, ut Stockhornii in ditione Bernenſium, & cacti, ſive Palatini Lucernenſium. De quo repe- m hic ea fere verba quæ in Fractimontis deſcri- tione noſtra, ante annos ſedecim poſui, mutatis onnullis, & additis. In ſpelunca quadam per ſum- um montẽ fornici adhærens naſcitur ſubſtantia ıædam fungoſa, friabilis, alba, leviſſima: quam ıngum petręum dixeris, vel agaricum ſaxatile: tam milis huius eſt facies. Incolæ Germanice *Moon- ılch* appellant, id eſt, lac Lunæ, à ſubſtantia alba, : ſpumoſa, ex qua concretus videtur hic lapis, ſi la- idis nomen meretur. Aquæ mixtus, albo lactis olore eam inficit. Inſipidus eſt, ſiccat ſine mor- i. Nulla in ea aſperitas: & totus cum ſaliva man- entis liqueſcit, præſertim qui melior fuerit. ſam & craſſior, aſperiorque reperitur, immatu- or nimirum & crudior: qui odore etiam caret. oncoctus autem, & perfectus ut aſperitatem mittit, ita albior colore, & pondere levior, & ſua- iter odoratus redditur. Videtur autem naturam Ioloſteis dictis lapidibus, qui in terra arenoſa in alatinatu effodiuntur, proximam habere, & lapidi uem ego ab odore Cydoniten nomino. Superſti- ioſe quidam adverſus quemcunque morbum æ- roti cuiuſvis, propter quem expreſſo ipſius nomi- e è ſpelunca petatur, ſalutarem eſſe putant. Lucer- ıæ in pharmacopolio venire ſolet. Pollinem eius Chirurgi ulceribus deſiccandis inſpergunt. Sunt ui nutricibus ad augendam lactis copiam, pollinis

Lac Lunæ.

Holoſteis.

Cydonites.

Ad lactis ubertatẽ.

huius

huius drachmam exhibeant,è iure, ni fallor: pote
autem commodius ex lacte amygdalarum, cui im-
mixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato pr-
pinari,cum pauco ſaccharo,& aqua fæniculi. Aiu
autem mammillas evidenter hoc auxilio turgere,
repleri lacte. Præterea à docto quodam viro, n-
per proditum invenio,lac Lunæ in profluvio ſa-
guinis utiliter dari tanquam ſomniferum,idque
bi experimento conſtare. Quod ad nomen p-
ſcum, ego aut ipſum Morochthum veterum e
aliquando putavi,aut eaſdem certe illi facultates
ſe. Sed amicus quidam rerum foſſilium omniu
cognitione clarus *d* margæ friabilis genus eſſe vu
Hactenus Geſnerus. Meo iudicio, quia agarici c-
lorem habet,ut narrat Geſnerus,eaſque omnes f-
cultates quę Galactiti tribuuntur,potius Galactit
veterum dum lapideam habet duritiem videtu
Nam ſi mollior ſit,recte ad margæ ſpecies referi
Non puto enim,Morochthum,Galactiten,& M-
lititen lapidem , aliud eſſe quam margam indu-
tam,ac lapidis ſpeciem prę ſe ferentem.Verum al
hac de re, ſi ſit aliud iudicium, non repugno.

Narcoticum.

Marga.

a *Libro* v. *de re medica cap.* 107.

b *Libro* ix. *de ſimplicium medicam. facultat.*

c *Conradus Geſnerus libro de Foſſilibus &c.* (*ut cap.* 5
huius libri monuimus) *fol.* 49. *verſo.*

d *Georgius Agricola lib.* 2 *de Natura Foſſilium cap.*
*de marga hæc ſcribit. Marga nihil aliud eſt, qua
terra pinguis, & ſpiſſa. Parvi vero refert, utru
fuerit dura, an mediocris, an mollis. Quin ea, ſi
exiccata vertitur in arenam, vel Tophum, vel lap-
dem duriorem: ſive humore madefacta mutatur
quendam quaſi ſuccum, idem obtinet nomen. Pa-
lo poſt tradit margæ verbo ſignificari medulla*

qua

quam interdum ita fluidam & albam eſſe ſcribit, inſtar medullæ oſſium animantis, &c. Qui plura ad margam pertinentia ſcire deſideret, conſulat eundem Agricolam capite iam citato.

CAP. CCXXX.

De Thyite.

THyites, *a* Dioſcoride teſte, in Æthiopia gignitur, colore ſubviridi, ſimilitudine Iaſpidis, ac dilutum ſuccum lacteum reddit, qui vehementer mordet, ob quam rem tenebras pupillis obverſantes expurgat. *b* Galenus inquit, quia acrem habet facultatem tantum adhiberi ad purgandum, & abſtergendum quæ pupillam offuſcant abſque phlegmone. Ex quibus ſunt cicatrices recentes, quas attenuare poteſt, ſed & oculorum ungues, pterygia, utique ſi non admodum duri fuerint. Hermolaus Thyiten à θύα quod mortarium ſignificat deduci putat; & ab Hyppocrate Acone, quia cotes ex eo fiebant, dictum aliqui opinantur. Dubitant etiam aliqui num hic ſit lapis quem Itali *verdello* vocant, & quo aurum affrictu examinant. Inveniuntur in fluminibus quibuſdam lapides virides ſuccum lacteũ remittentes, quos quis verum Dioſcoridis Thyiten vocare poſſet.

a *Libro* v. *de re medica cap.* cxi. *& plura Petrus Andreas Matthiolus in eundem de eadem materia tractat.*

b *Libro* ix. *de ſimplic. medicam. facultat.*

Cap. CCXXXI.

De Melitite.

Melitites à Galactite tantum colore, & dulc- dine differt. habet enim mellis dulcedinei unde etiam nomen, virtutes, & facultates etia eaſdem quas Galactites, habet. Abſtergere pau magis, ac paulo calidior *a* Galeno Galactite vid tur. Tuſus, ceræque mixtus eruptionibus pitu tæ, maculiſque corporis medetur, vulvarumqu dolores velleri impoſitus compeſcit. Varium hab colorem. Proprium illi ut melleum habeat ſap rem. Germanice *Honigſtein* appellari poteſt.

a *Libro* IX *de ſimplicium medicament. facultat.*

Cap. CCXXXII.

De Steatite.

Prioribus tribus ſimilis eſt Steatites, cuius mo lior ſubſtantia, quia ſęvo ſimilis inde nome habet. Duriuſculus hic lapis, fuſci in rubro colo ris, ligno tamen ſi affricetur, in eo albas relinquit l neas. Ad hoc lapidis genus referri poteſt terra S ponis, Germanice *Fulbeerde*, vel *ſeifeerde* ſi durior ſi & lapidi ſimilis.

Cap. CCXXXIII.

De Oſſifrago lapide.

Lapis Oſſifragus albo, vel cinereo colore oſſi figuram refert. Concavus enim eſt, ac medul lam habet friabilem linguæ adhærentem, ac facil in liquorem ſolubilem. Oſteites, Ammoſteus

Oſte-

Oſteocolla, Oſteolithus, Holoſteus ac Stelechites appellatur. Germani *Beinbruch, Bruchſtein, Beinvvel, VVallſtein, Sandſtein*, vel *Steinbein* vocant.

Cap. CCXXXIV.


Differentiæ Oſſifragi, loci natales, & facultates admirandæ.

TRes huius lapidis obſervatæ ſunt differentiæ. Prima littera B notata continetur is qui oſſi uſto ſimilis, parviſque foraminibus in ſuperficie plenus eſt, ac intus oſſium ſpongioſam compagem habere videtur, non ſecus ac ſi os in lapidem verſum eſſet; quod fortaſſis verum eſt. Hic attritus, vel uſtus, lotii veteris, aut oſſis uſti inſtar olet, nec eas facultates habere creditur quas ſequẽs ſpecies. Secunda differentia notata littera A is continetur, qui truncorum formã cum rudimentis ramorum, videtur arboris truncus in lapidem oſſi ſimilem & concavũ commutatus. hic proprie Stelechitis nomen meretur à forma. Naſcitur in Palatinatu locis arenoſis non procul à Spira. Item prope Heidelbergam, ac Ienam Saxoniæ, item in Sileſia in fonte limpidiſſimo pagi Schonwaldę, & circa Darmſtadium in *der Bergſtras*, ut Germani locum illum appellant. De hoc lapide Thomas Eraſtus Heidelbergenſis profeſſor, & quondam præceptor meus, commentarium edidit doctiſſimum. eum lapidem Sabuloſum nuncupat. Creſcit per arenam forma Coralli, interdum brachii craſſitie, ac dum primum ęrumpit è terra friabilis eſt, tandemque paulatim magis indureſcit. Huic lapidi ſimilem mihi dono dedit Generoſus & Nobilis Vir Chriſtophorus Udalricus à Burchſdorp, Sacr. Cæſa. Maieſtatis Rudolphi II. Imp. & Domini mei clementiſſimi dapi-

Locus ubi naſcatur.

Lapis Sabuloſus.

ſer, quem in patria ſua Marchionatu Brandeburgenſi plantæ inſtar excreſcere mirabili modo aiebat, ac à conſolidandis oſſibus *bainbruch* vocari. Primum aiebat initio veris pullulare è terra quaſi exiguam braſſicam capitatam, foliis cinereis, & ſubnigris, deinde expanſis quaſi foliolis ad terram (nam vix caput hoc è terra prorumpit) reperiri in meditullio medullam, ſeu pulverem quendam facile in liquorem ſolubilem. Tum effodi plantam, eiuſque ramos reperiri oſſeos pulvere iſto ad oſſa paucis diebus glutinanda fœcundos. Inveniuntur etiam odorati Oſſifragi in ditione Comitis à Solms non procul à Iena in monte Arenoſo, femoris quandoque figura & magnitudine. Tertia porro differentia notata littera C ſubſtantia à prioribus differt. nam neque arenoſus lapis, neque terreus, aut friabilis eſt, ſed tenax, oſſique ſimilis, & ſolidus odorem ac ſaporem Cornu Monocerotis vulgo dicti guſtu ſubaſtringente referens. Hanc ſpeciem Oſſifragi quis Enoſteum vocare optime poſſet, ſed alium eo nomine deſcribam.



Cap.

CAP. CCXXXV.

Oſſifragi lapidis facultates.

SEcundi generis, & tertii inprimis, ad oſſa glutinanda celebrantur, quæ multorum teſtimonio cito ferruminant. Cum enim natura 40. dies requirat antequam callum oſſeũ ex alimento gignere poſſit, Lapis iſte in liquorem ſolutus,& potentia proxima os, facultati alteratrici laborem nullum parit, ac aſſimilatrici materiam idoneam citiſſime ſuppeditat. *a* Matthiolo enim teſte trium & quatuor dierum ſpatio multorum oſſa huius lapidis potu rite conglutinata fuerunt. Hoc tamen neceſſario requiritur ut oſſa fracta diligentiſſime primum componantur & ligentur aſſulis,aut alia ratione,ne loco moveantur. Deinde ut æger ſe quietum & diætam ſervet, ac locus affectus unguento Geranii ungatur. Fit autem unguentum hac ratione. Radices Geranei cæruleum florem gerentis in pulverem rediguntur; deinde cum axungia ſuis lactantis in mortario fit unguentum. Id ſupra linteum cera odorata imbutum extenditur, ac fracto loco adalligatur. Interea medullæ lapidis ſeſquidrachma ex rubro vino meraco mane & veſperi propinatur per quatriduum. De huius lapidis admiranda facultate ſcribit Ioſephus *b* Quercetanus doctiſſimus noſtri temporis medicus ſequentia. Memini me Reyſtadii non procul à Rheno didiciſſe loci eius incolas uti lapide quodam, qui in illa vicinia naſcitur, & ab effectis *Beinburch* appellatur. unã enim illius drachmam in vino rubro exhibent, in quo prius vinca pervinca madefacta fuerit per noctem, idq; mane per dies quatuor, aut quinque, atque hac ratione dolores eximunt, graviaque ſymptomata fractu-

Ad oſſa fracta.

Ioſephus Quercetanus.

raſque intra quatuor aut quinque dies ſanant, magna cum omnium admiratione; cuius rei ocularis ipſe ſum teſtis, eiuſque rei Matthiolus in commentariis ſuis mentionem facit. Eodemque lapide uti præterea ſolent in formam cataplaſmatis redacto, cum Geranio contuſo, & oleo olivarum, vel roſato, tam felici ſucceſſu, ut ſine ullo dolore ac inflammatione partis oſſa coagmententur. Quod incredibile videri poſſet, niſi præter me innumerabiles alii oculati & idonei teſtes extarent. Quamobrem conjecturam facio, genus illud medicamenti ad ſclopetaria vulnera fracturis oſſium complicata eſſe accommodatiſſimum. Magna enim iam operis pars effecta eſt, cum oſſa confracta tam facile & tam brevi tempore ſanantur ſine ullo ſymptomate quodam; præſertim cum id non prohibeat nos vulnus tanquam contuſum & quemadmodum decet tractare. Quinetiam viam nobis compendiariam ad brevem curationem patefacit, & ad sauciatum ſublevandum accommodatiſſimũ eſt. Hactenus Quercetanus. Utuntur etiam hodie Oſſifragi pulvere ad dentes dealbandos plures. Proculdubio ille qui odoratus eſt, & margam in ſe continet, ad venena utiliſſimus eſt, ſi propinetur ad ſudores movendos, nec minus ad peſtem, febreſque malignas. Suaviſſimus enim ille odor, qui Cydonii mali & lactis ſacharique halitum præ ſe fert, cordi & ſpiritibus noſtris amicus eſt, & cum illis ὁσίᾳ quadam conſpirans, illos roborat, firmat, ac à contagio, non minus quam putatum vulgo Monocerotis cornu, tuetur. Ad hunc ſcopum in paſtillos prius ablutus pulvis, ut arenoſa ſubſideant, redigi poteſt, ac terræ ſigillatæ inſtar ſervari.

Ad venena.

a *In Comment. lib. v. Dioſcorid. cap.* 109.

b *Oſſi-*

b *Oſſifragi lapidis etiam mentionem facit Guilhelmus Fabricius Hildanus obſervat. Chirurg. centuria 3. obſervat.90. in qua circa finem hæc ſcribit. Ego, etſi, ipſum in fracturis oſſium præſtantiſſimum eſſe, in controverſiam vocare minime contendam, attamen, intra tam paucos dies, ut ſcribunt Matthiolus, & Quercetanus, oſſa fracta ſanare poſſe, non facile mihi perſuadere poſſum.*

CAP. CCXXXVI.

De Eneoſti.

ENeoſtis à tertio genere Oſſifragorum tantum odore differre videtur. Germanice ab *a* Agricola *Knochenſtein* vocatur. Hic neque ſuavem odorem neque tetrum habet, ſed qualem arena. Invenitur nigri, candidi, mixtique coloris.

a *In Libello, annexo libro de Foſſilibus, cui titulus, de rerum metallicarum interpretatione.*

CAP. CCXXXVII.

De aliis lapidibus, qui ad Oſſifragi genera referuntur, & primum de Stalactite, ſeu Stillatitio lapide.

EX aquis lapidificam vim habentibus, aut ſi mavis in ſe reſolutos lapides continentibus, aut potius materiam terreſtrem ſubtiliſſimam ex cuius coalitu lapides fiunt, concreſcit ſtillatitius lapis, Germanice *VVallſtein*, ſeu *Tropfſtein* appellatus. Cum enim aqua per terræ canales effluit, & ex alto decidit, extremitati canalis pyramidis forma paulatim coaleſcit & augetur terreſtris aquæ portio, ac induratur prorſus eodem modo, eademque forma,

qua à canalibus defluens aqua, in glaciẽ, ex ore canalis dependens, hyeme à frigore mutatur. Et ut glacies inæqualis eſt propter fluentis aquæ motum, ſic & hic bullas, ſeu eminentias habere videtur. Ex fluente aqua, in canalibus cruſtaceam formam adipiſcitur, ſicut in balneorum vaſis, & Thermarum canalibus fit, in quibus aqua calida coquitur, aut ſervatur. Ad parietes antri ſi decidat aqua, aliã formam lapidibus præbet, & variam. Omnes albi, graves, duri, intus ſplendentes. Talci inſtar inveniuntur in variis Germaniæ locis, in Moravia prope Brinam in ditione Abbatis Oſtriwicenſis. Ad ſanctum Iuanum in Bohemia, ad thermas Carolinas, & in antro *Baumansholtz*, laudatur à chirurgis ad oſſa fracta ferruminanda, unde Oſteocollæ nomen obtinuit, ac inter ſpecies Oſſifragi referri poteſt, quia oſſa glutinat. Si pulvis bibatur, drach. unius pondere ſudores potenter movet.

Ad oſſa fracta.

Cap. CCXXXVIII.

De Stalagmite.


STalagmites è guttis rotundis in lapidem gypſeæ ſubſtantiæ converſis, totus coagmentatur in terra arenoſa, qui pro terræ & aquæ fluentis qualitate, modo fuſcus, candidus, aut griſeus, fabarum, piſorum, vel coriandri refert magnitudinem. Reperiuntur in una maſſa plurimi quaſi favis incluſi. Copioſe iſti in Thermis Carolinis. Nam aqua ibidem tantam in ſe lapideſcendi facultatem habet, ut lignum per noctem impoſitum lapidea cruſta tegatur, quæ calcis naturam colore & ſubſtantia præ ſe fert.

CAP. CCXXXIX.

De Ammite, ſeu Ammonite.

AMmites, vel Ammonites, ex arenis ita componitur, ut ovis piſcium ſimilis videatur. nucis iuglandis eſt magnitudine, aliquando maior. Germanice *Rogenſtein* vocatur. invenitur prope Alfeldam, & Hildeshemium. Huius generis repe-riuntur qui ex lapillis, piſi aut orobi magnitudine conſtant, quos Ammites maiores, aut Piſolithos recte vocare poſſis. Item qui ex arenulis milii, aut ſeminis papaveris magnitudine coaluerunt. Illos Cenchritis, iſtos Meconitis nomine non male appellaveris. *Piſolithus.* *Cenchritis.*

Piſi magnitudine Ammites, notatur littera A. *Meconitis.* *Figuræ Ammitis.*



hunc vere quis poſſet Bezoar minerale appellare. ſquammis enim, ſeu cuticulis conſtat ut Bezoar, deinde ſubiacens cutis ſplendet, color etiam ſimilis, aut paulo plus rufeſcit.

Orobi magnitudine littera B notatur.

Cenchrites littera C.

Meconites littera D.

Reperiuntur in Iura monte, & prope Bernam Helvetiæ. Facile iſti lapides in arenulas, ex quibus conſtant, reſolvuntur. Quæ tamen duræ, inſipidæ, & inodoræ ſunt. Diſtat à Stalagmite Ammites, quod Stalagmites è guttis rotundis in lapidem gypſeę ſubſtantię converſis totus coagmentetur. Ammites tantum ex arenis. Stillatitius lapis à nonnullis Ammites vocatur, ſed aptius, ut ſupra, præcedentes à ſe invicem diſtinguuntur. Subſtantia Stalagmites à Stillaticio non differt. Nã ut Stalagmites è guttis ſuam formã ſervantibus coit; ita Stillatitius lapis è guttis fluentibus, & ſtrias efficientibus, ac inæqualiter protuberantibus, ſtrumarum inſtar coaleſcit.

Differentia Stalagmitæ ab Ammite.

Cap. CCXL.

De Ammochryſo.

Lapis hic minii nativi fere colorẽ habet, paulo tamẽ obſcuriorem, ac flaveſcentem interdum. Arenoſus eſt, aureoque pulvere videtur conſperſus. Aurum quod in eo apparet Germanice *Katzengold* appellatur. Nonnunquam ſatis durus eſt, nonnunquam manibus in arenã facile reſolvitur. Uſui eſt ſcribis ad exiccandas extemplo ſcripturas. Prope oppidum Horaſdiovitium Bohemiæ copioſe reperitur.

Cap.

CAP. CCXLI.

De Cornu Foſſili, quod vulgo Monocerotis Cornu appellant, & an verus Monoceros inveniatur.

ETiãſi vix ad lapides referri poſſe Cornu Foſſile videatur, tamẽ quia ab Oſteocollis non longe recedit, ac lapideſcit, operæpretiũ exiſtimavi, huius hiſtoriam non præterire, præſertim quod magni pretii, auctoritatis, & dignitatis ſit, dum multi Principes id pro vero Cornu Monocerotis emant. Cornu Foſſile lapis Ceratites dici poteſt. *Ceratites.* colore, & lævore Cornu refert, forma etiam interdum: nam ſæpius tam craſſum, ac magnum reperitur ut à nullo unquam animali produci potuerit. Subſtantia lapidea ſemper, & vel dura, vel mollis illi eſt. Exterius ut plurimum dura, intrinſecus plerumq; mollis, alba, lęvis, friabilis, compacta, abſque poris, adſtringens, exiccans, linguæ firmiter adhærens, odoreque gratiſſimo, non ſecus, ac ſi quis lac cum amygdalis miſcuiſſet. Cortex exterior interdum flaveſcit, cinereus, albus, vel ſubniger eſt.

CAP. CCXLII.

Vbi inveniantur, quomodo generentur, ac eorum ſpecies.

INveniuntur hæc Cornua in variis locis Germaniæ, nempe in ſpecu ſubterraneo, quem *Baumanſholtz* vulgo vocant, prope Elbingerodã ſylvæ Hercynię, ſive Cheruſcę, ſub ditione comitum Stolbergenſium. Item prope Heidelbergam, Hildeshemium, item in Moravia, Sileſia, Saxonia, multiſque aliis locis. Materiam proximam generationis

horum cornuum *a* margam, vel margæ ſpecie̅ eſſe exiſtimo. quæ dum lapideſcente, & ſubterranea aqua fluente irrigatur , vel ſolvitur, lactis inſtar fluit per terræ cavitates: in quibus ſi à terra adſtante aquæ ſeroſior pars abſorbetur, aut imbibitur, vel præterfluit, tum craſſior pars cavitates implendo ſiſtitur, & abſumpto humore omni coaleſcit, lapidiſque formam & cornuum præ ſe fert, aut margæ tantum, ſi aqua exiguam vim lapidificandi habuerit. Hæc cauſa eſt quod interdum huiuſmodi fruſta craſſa, interdum exigua, & tenuia conſpiciantur. Verum ſi lacteus hic humor non in cavitatem, ſed in lignum aliquodiam vetuſtate arefactum incidat, illiuſque corpus iam leve, & poroſum ſubeat, tandemque vel exhalata aquæ tenuioris portione craſſior remaneat, tandem coagulata lignum tranſmutat, eiuſque partes ſibi aſſimilat, ita tamen ut ſpecies ligni noſci, & interdum odor deprehendi poſſit. Quod ligno contingit, id etiam cornibus cervinis, dentique elephantis, aliiſque quadrupedu̅ partibus, ſi in huiuſmodi loca decidant, contingere poteſt. Hinc fit cornua iſta foſſilia inter ſe multum interdum differre, & pauca eandem faciem oſtendere, imo aliqua dentes, tibias, maxillas, aliaſve corporis partes referre. Habeo ego domi plures quam viginti differentias, cum tamen omnes mihi pro Cornu Monocerotis datæ fuerint. Una manifeſte exteriori cortice fraxini lignum oſtendit. Alia differentia prope Brinam Moraviæ urbem inventa ita exacte figuram trunci iuglandis intrinſecus & extrinſecus refert, ut nemo niſi cœcus animadvertere non poſſit, truncum illius arboris fuiſſe, ac in terra tranſmutationem accepiſſe. Odor etiam exacte nucis arboris odorem reddit. Donatum mihi fuit etiam fruſtum illius trunci Monocerotis

Lignum quomodo in lapide̅ mutetur.

roti:

rotis titulo. Eodem in loco trunci & caudicis maioris portio pro capite animalis diſtracta fuit. Silices adiacentes truncis ſuis cavitatibus eandem materiam, ſed longe molliorem, magiſque friabilem, neque nucis odore præditam, continebant, ita ut nemo de generatione horum cornuum dubitare debeat.

a *Quid marga ſit, vide poſt caput 229. huius libri.*

CAP. CCXLIII.

Facultates Cornuum Foſſilium, quæ vulgo pro Monocerotis Cornu diſtrahuntur.

Cornua iſta Foſſilia non omnia habent eandem facultatem, aut æque validam. ut enim forma, origine, & ſubſtantia inter ſe differunt, ita etiam qualitatibus, & facultate. Quæcunque lapidum inſtar dura ſunt, inodora, neque medullā habent, vix alia, quam exſiccante pollent vi. Quæ vero facile in pulverem rediguntur, linguę adhærent, molliaque ſunt, maximas habent vires. Inprimis enim exſiccant, adſtringunt, ulcera ad cicatrices perducunt abſque morſu. alvi profluvia, gonorrhœæ, alborumque menſtruorum effluvium, ſanguinem è naribus, hæmorrhoidibus, vulneribus aut è thorace erumpentem ſiſtunt. Oculorum etiam lachrymas effluere non ſinunt, ſi cum lacte in pollinem tenuiſſimum redacta oculis inſtillentur. Quod ſi præterea his medullis odor gratus accedat, cordi inprimis grata ſunt, idque roborant, & confirmant, boli armenę, aut terræ lemniæ inſtar, ut non facile ab infecto aëre, aut à veneno aſſumpto opprimi poſſit. Quinetiam ſi ſubſtantia medullæ ante tranſmutationem fuerit à cervo, elephante, fraxino, nuce arbore,

Exiccāt, aſtringunt.
Fluxus ſiſtunt.
Oculorū lachrymis.
Ad cordis robur.
Ad venena.

bore, aut ab alia re quæ venenis adverſatur, maximam ad expellenda & ſuperanda venena habebit energiam, eoque maiorem, ſi odor ipſius arboris, vel prioris ſubſtantiæ, adhuc deprehendi poſſit. Tum enim certũ eſt qualitates adhuc in tranſmutato corpore aliquas remanſiſſe, ac vires quæ in ſubtiliori materia hærent, nondum periiſſe: ſed accedente nova, & ſubterranea materia auctas eſſe.

Ad peſtẽ, & febres peſtilẽtes. Ad venena itaque omnia, febreſque peſtilentes, & peſtem ipſam abigendam huiuſmodi Cornu præſtantiſſima eſt antidotus, ſi cum aqua aliqua appropriata, aut vino oligophoro abſente vehemente febri, ægro propinetur drachma una, aut ſcrupula quatuor, iſque ſumpto pharmaco ſeſe ad ſudandum componat. Sudoribus enim venenũ omne, etiamſi ad venas, habitumque corporis deductum ſit, facile expelletur, & cor, ne eius noxam ſuſcipiat, munietur. Quod certe plurimis exemplis expertus ipſe ſum, & ab aliis, quibus particulam Foſſilis Cornu (quod prius fraxini lignum fuiſſe notavi) dono dedi, expertum audivi.

Puer quidam deglutita plumbea pila, quæ multos ante annos ſub aranearum telis latuerat, extemplo ventre ita intumuerat, ut crepaturæ periculum adſtantibus videretur adeſſe. Hic ebibito ſcrupulo medullæ omnibus admirantibus ſtatim convaluit. Alia mulier intoxicata, ventreque utri modo inflato ut morti proxima videretur, ſubito hauſto pulvere præter omnium expectationem convaluit. Facit ad epilepſiam, ſyncopen, cardiacam paſſionem, cordis tremorem, alioſque cordis affectus, ſi cum aqua appropriata ſcrupuli pondere ægro offeratur. Sudores egregie movet, ob id febribus malignis, & peſtilentibus conducit, ac venenum omne foras ad cutem pellit.

Ad cordis affectus, & epilepſiam.

Cap.

Cap. CCXLIV.

De vero Cornu Menocerotis, & an id reperiatur.

A Multis annis in tanta dignitate & exiſtimatione apud Gemmarios & Principes Monocerotis Cornu, tanquam nihil præſtantius ad cognoſcenda, præcavenda, & ſuperanda omnia veneni genera ſit, habetur: ut auri pretium longe ſuperet. Quia vero à multis dubitatur num animal id, cuius Cornu tam admirandas facultates habere debet, in rerum natura ſit, nec ne, aliis id affirmantibus, & deſcribentibus, aliis negantibus, operæpretium puto, quandoquidem plura animalia ſunt, quæ unum cornu in fronte gerunt, & proinde generaliter illis Monocerotis nomen convenit, illa omnia obiter, illorumque cornuum formam deſcribere, ac deinde examinare quodnam illud ſit, quod tantæ facultatis cornu geſtet. Nam negare, tale animal, quale à Plinio, Æliano & Vartomanno pro Monocerote deſcribitur, in rerum natura eſſe, mihi prorſus ineptum videtur. Etſi enim hoc tempore complures orbis partes navigantium induſtria detectæ ſint, quis tamen omnes Aſiæ, Chynę, Cathaię, Tartariæ, Africæ, Americæ angulos perluſtravit, & inveſtigavit num tale animal præ manibus ſit? Affirmantibus itaque, ſeſe & animal vidiſſe, ac cornu facultates experientia didiciſſe, tamdiu credi poteſt, donec exploratis omnibus mundi angulis conſtet, ab illis deſcriptum animal nullibi reperiri. Verum, ut dixi, plura ſunt, quæ unum cornu gerunt, ac forſaſſis uni ex illis, etiamſi aliud nomen habeat, (ut tempore rerum nomina ſæpe mutantur) contingit ut verum & decantatum illud cornu geſtet, alteri vero,

vero, etſi nomen Monocerotis ſervet,& cornu ha beat, tamen viribus illis careat. Plinius libro VIII cap. XXI. ſcribit in India boves ſolidis ungulis, & unicornes reperiri. Deinde paulo poſt. Aſperri mam feram Monocerotem eſſe, reliquo corpor equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro medi fronte cubitorum duum eminente. *a* Garſias a Horto proregis Indię medicus Rhinocerotem, qu unum cornu geſtat in fronte breve, nigrum, brach ad conum craſſitie, colore pellis aſinini, & fibro ſum, ab Indis pro Monocerote haberi ſcribit, eiu que cornu ab iis ad venena uſurpari. verum ipſe pe culiare hoc animal quod proprie ab auctoribu Monoceros appellatur, Rhinocerotem eſſe nequa quam arbitratur, verumque Monocerotem ab au ctoribus, à quibus deſcribitur, non viſum exiſtima quæque de eo audierit, hoc modo enarrat. Refe ram quæ à viris fide dignis accepi. Inter promon torium Bonæ ſpei & aliud promontorium decur rentes nuncupatum vidiſſe ſe affirmabant terreſtr quoddam animalis genus, licet mari etiam delecta retur, quod caput & iubam equi haberet, (minim tamen equum eſſe) cornu præditum duos palmo oblongo, mobili, quodque nunc in dextram, nun in ſiniſtram obverteret, modo illud attolleret, mo do demitteret. Id animal cum Elephante ferocite præliari, eiuſque cornu adverſus venena laudar Eius experimentum factum propinato duobus ca nibus veneno: alterum enim canem cui dupl quantitate propinatum eſſet venenum, ſumpto hu ius cornu pulvere ex aqua convaluiſſe: alium ver cui exigua quantitate venenum eſſet datum, nec ex hibitum hoc cornu, ſtatim mortuum corruiſſe. Ha ctenus Garſias. Aliud præterea animal eſt quo unur

Boves unicornes. *Monoceros.* *Rhinoceros.* *De Monocerote.*

unum tantum cornu geſtat in fronte, quod Plinius Aſinum Indicum vocat libro XI.cap.XXXVII. nat. Hiſtor. Et capite XLVI.ait; Unicorne Aſinus tantum Indicus: unicorne, & biſulcum, Oryx. Talos aſinus Indicus unus ſolidipedum habet. De aſino Indico & Oryge unicornibus mentioné fecit etiam Ariſtot.lib.2. de Hiſtor.animal. cap.VIII. & III.de part. animal. cap.2. ac aſſerit Aſinum Indicum cornu gerere in fronte, pedeſque ſolidos, & talos habere. Orygem etiam in fronte unicornem, ſed ſciſſis eſſe pedibus. Quinque itaque animalia reperiuntur diverſa, quæ unum cornu gerunt. Bos Indicus, Rhinoceros, Monoceros, Aſinus Indicus, & Oryx. Quod auté Monocerotis nomen peculiari animali ab antiquis datum fuerit, à bove Indico, Rhinocerote, & Oryge differéte, Æliani teſtimonio clare docetur. is enim lib. 2. de animalibus, ait ſe audiſſe, (nam ocularis teſtis non eſt) Monocerotem, quem vocant cartaronum, magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere, iubaque & pilis fulvum eſſe, pedum, & totius corporis bonitate excellere, atque ſimiliter ut elephas pedum digitis indiviſis eſſe, apri caudam habere, inter ſupercilia cornu uno, eodemque nigro, non levi quidem, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atque in acutiſſimum mucronem deſinente, ornatum exiſtere, omniumque maxime animalium abſonam vocem & contemptã mittere, & ad alias quidem beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cum gregalibus vero ſuis pugnare, neque modo cum maribus naturali quadam contentione diſſidere, ſed contra etiam fæminas certare, pugnamque uſque ad mortem ingraveſcere. Nam & maximo robore præditus, & inexpugnabili cornu armatus eſt. Deſertiſſimas regiones perſequitur ſimul, & errat. Notandum hic, Ælia-

Aſinus Indicus unicornis.

Oryx unicornis.

Quinque animalia uno cornu.

Monoceros habet nigrum corru.

Ælianum nullas facultates Cornu Monocerotis deſcribere. De Aſino porro Indico Ælianus lib. 5. ſequentia ſcribit. Sylveſtres Aſinos equis magnitudine non inferiores, apud Indos naſci accepi, eoſque reliquo corpore albos, capite vero purpureo, oculiſque nigris eſſe, cornuque in fronte gerere, cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium vero nigrum ſit. Atque non omnes quidem Indos, ſed potentiores, cum tanquam armillis quibuſdam brachia, ſic Cornua certis ſpatiis auro ornarunt, ex ipſis bibere ſolere. Ex hoc Cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipſum convulſionibus corripi, neque ſacro morbo, neque venenis ullis ferunt. Quinetiam ſi quid priu peſtilens biberit, tum id vomere, tum ad ſanitatem redire. Ex quibus duobus Æliani locis facile colligi poteſt, Aſini Indici Cornu id eſſe, quo ab omnibus expetitur ad venena, & nequaquam Monocerotis Cornu quod uno tantum, eoque nigro colore præditum eſt, & verſuras habet, a paſſim à Principibus pro vero Monocerotis Corn oſtenditur, omni facultate adverſus venena carens. Cauſa cur facultates quas Cornu Aſini Indici habet, attributæ fuerint Monocerotis Cornu, nomen Monocerotis, quod, ut ante dixi, Aſino Indico tribui poteſt, fortaſſis fuit. Unicorn enim animal eſt Aſinus Indicus, non minus qua proprie dictus Monoceros. An autem hoc animal, quod à Garſia ab Horto deſcribitur Monocerotis nomine; & prope caput Bonæ ſpei repe tur, idem ſit cum Aſino Indico, ex ſignis & n tis non ſatis deprehendi poteſt. Vartomannus duos vidiſſe Monocerotas teſtatur, traditque, num equi magnitudinem habere, crura, p de

Vires ad omnes morbos, & venena.

des, & caput cervi, pili colorem balium, equi iubam rariorem, coxas villoſas, & manſuetum eſſe animal. Hæc deſcriptio cum Æliani deſcriptione ſatis convenit, ita ut idem animal deſcribi videatur. Quod ad Orygem attinet, nunc incertum eſt quodnam animal fuerit. Certum tamen eſt capræ ſylveſtris ſpeciem fuiſſe, quæ unicum cornu geſtat. Nunc aliqui moſci capreolum, vel gaſellam, aut pygargum eſſe autumant, quibus tamen animalibus aliqui unum tantum cornu, aliqui duo tribuunt. *De Oryge.*

Reperiuntur apud Principes & Magnates variæ particulæ Cornuum, nomine Cornuum Monocerotis. Sed hactenus (etiamſi plures quam viginti differentias collegerim) nunquã particulam Aſini Indici Cornu ſimilem deprehendi. Quotquot habeo, omnes nigreſcunt, palleſcunt vel albicant, ita ut ebur, cervinum cornu, aut *b* Roſmari dentem referant, aut ſi è terra erutæ fuerint, ibi ætate exeſas, mollioreſque redditas quis iudicare poſſit. Habuit mater fratriæ meæ particulam à cornu ſatis magno, quod multis millibus venditum fuerat, abſciſſam, qua mira præſtitiſſe matrem affirmabat. Erat illa particula eboris inſtar albiſſima, intrinſecus concava, ut cornua eſſe ſolent. Exterior pars craſſitie pellis porcinę fere pellucida, ac ad flavedinem tendens conſpiciebatur, exacte lardum porcinum cum ſua pelle in cornu trãſmutatum dixiſſes. Ab interiori enim & albiſſima parte ad amuſſim lineola diſtinguebatur id quod cutem porcinam referebat. Duriſſimum fuerat hoc cornu, vixq; lima ſuperari poterat, odorem etiam qualem cornua omnia dum lima fricantur edere ſolent, emittebat. Sed neque hoc Cornu Monocerotis, aut Aſini Indici fuit. Nec refert; cum natura etiã aliorum animalium cornu *Roſmari dens pro Monocerote.*

viribus & facultatibus ditarē poſſit. Cornu profecto Cervinum multorum experientia nō exiguas adverſus venena habet vires, ita ut recte deficiente Aſini Indici Cornu in illius locum ſubſtitui poſſit. Dum Venetiis eſſem ante annos viginti quinque, duo Cornua mihi oſtenſa fuerunt à quodam ſimpliciſta rerum exoticarum ſtudioſiſſimo.. Unum quatuor pedum ad minus longitudine, ovi gallinacei maioris circa baſin craſſitie, quod paulatim deſinebat in mucronem obtuſum: color externus erat eburneus, internus albiſſimus; à baſi ad mucronem fere ſtrias habebat. dicebat ille, cornu eſſe Hyppopotami animalis, ac verum Unicornu, facultatibuſq; Unicornu attributis præditum. Hippopotamum ſæpe depictum vidi, & antiqui Romanorum Imperatores illius effigiem tum in nummis tum ſymbolis exhibuerunt; verum abſque cornu. cuius autē animalis hoc cornu fuerit, hactenus ſcire non potui. Viſum tamen mihi fuit, Roſmari dentem eſſe. Alterum cornu ſex pedes longum fuit, ad baſim ovi columbini maioris, aut ovi gallinacei minoris craſſitie, paulatim in acutum mucronem deſinens, intus ad pedum duorum longitudinem à baſi concavum. Color externus fere niger fuit, ut ligni guaiaci nucleus interior etiam niger eſſe ſolet. Tanto lævore præditum erat, ac à baſi verſuras paulatim ad mucronem tam eleganter æqualique diſtantia procedentes habebat, ut arte elaboratum fuiſſe videretur. Id non Monocerotis Cornu, ſed Gazellæ eſſe, (quam aliqui moſci Capreolum vocant & Unicornem faciunt, ſed errore, ut Geſnerus notavit) dicebat. Nam Gazella aliis aliud animal eſt, & à muſci Capreolo diverſum. fortaſſis Pygargus quem aliqui etiam Unicornem faciunt, capræque ſylveſtris ſpeciem. Verum gemmarius, aut ſimpliciſta

pliciſta ille qui hoc cornu habebat, Gazellam duo huiuſmodi cornua proferre, ſed curva, aſſerebat, curvaturã vero tolli aqua calida, molleſcere in illa cornu, ac poſtea manu in rectitudinem cogi. Id profecto Cornu, vero Monocerotis animalis cornu omnibus notis reſpondebat, atque pro eius cornu habui, licet ille aliter ſenſerit. Nam huiuſmodi viris parum exercitatis à mercatoribus quibus credunt, facile imponitur: fortaſſis, quia ad venena expellenda & arcenda vires non habuit, pro Monocerotis Cornu habere noluit, cum tamen, ut dixi, Monocerotis Cornu viribus illis careat. Simile plane Cornu vidi apud Philibertum de Bois mercatorem Pragenſem, qui id à legato Ducis Moſcovię Pragæ degente pignoris loco ad ſe pro mille ducatis receperat. Sed cum nullæ ipſius ad venena vires deprehenſæ fuiſſent: indicatum fuit à gemmariis Monocerotis Cornu non eſſe, licet omnibus notis atteſtantibus fuerit.

Qui itaque cum effectu verum Unicornu cupit, is ſibi vel Aſini Indici Cornu, vel Rhinocerotis, vel illud quod lardi porcini faciem repræſentat, vel etiam Foſſile, quod prius ebur, cornu cervinum, lignum iuglandis, aut fraxini, vel etiam alterius materiæ ad venena commendatæ, fuerat, & medullam linguæ adhærentem, albam, odoratã, in vino bullientem, continet, ſibi procuret. Ita enim voti compos fiet, nec exigui momenti ad venena quævis habebit medicamentum. *Electio.*

a *Libro* 1. *Aromatum, & ſimplium hiſtoria cap.* 14.

b *Roſmari dentem pro Unicornu venditum fuiſſe teſtatur Petrus Bellonius obſervationum ſuarum lib.* 1. *cap.* 14. *Cuius hæc ſunt verba. Quiſnam obſecro è veteribus tum Græcis, tum Latinis fidem facit, rei in-*

incognitæ portiunculam, quam tamen plerumque ſcimus eſſe dentis illius, quem Galli Rohart, ſeptentrionalis maris actolæ (ut & Olaus Magnus) Morſs appellant, trecentis ducatis æſtimari debere? Etenim data nobis ſunt fragmenta inſpicienda, an agnoſceremus, quæ pro Vnicornu trecentis ducatis empta fuerant, quum tamen orbiculi eſſent è dente piſcis Rohart. Et plura ad Vnicornu pertinentia, ibi tractat.

Cap. CCXLV.

De lapide Crucifero.


AD Cornuum Foſſiliũ genera non inepte referri poteſt lapis Crucifer, bubuli cornu magnitudine, & facie, qui dum tranſverſim ſcinditur in planos orbiculos, crucem nigro colore refert. Reliqua ſuperficiei pars cineritium habet colorem, cui interdum ruber intermixtus videtur. Extrinſecus ex cinereo nigreſcit, maculiſque interdum nigris diſtinguitur, ac tactu inæqualibus. Tam mollis eſt, ut cultro facile ab eo pulvis albus abradi poſſit. Invenitur viginti milliaribus à fano Divi Iacobi in Compoſtella Hiſpaniæ. Fertur, geſtatus ut carnem tangat, ſiſtere ſanguinem undecunque fluentem, præterea lactis ubertatem efficere, ac dæmonia arcere, febres etiam omnes curare collo appenſus dicitur.

Cap. CCXLVI.


De Cornu Ammonis.

AMmonis Cornu ſpeciem Cornu arietini in ſe revoluti refert, ac aurei coloris armatura obductum

ductum eſſe videtur. *a* Plinius lib. 31. cap. 10. inter gemmas refert, ac ſequentia ſcribit.



Hammonis Cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas aureo colore, arietini Cornu effigiem reddens. Promittitur prædivina ſomnia repræſentare. Solet ferreo armari hoc Cornu colore, qui aluminis ſucco accedente, in æreum, vel aureum facile mutatur; quemadmodum ferro ipſo facile contingit.



Ad Hoplitis ſpecies reduci poteſt, quia armatura conſtat. Interdum tamen armatura caret, ac cinerei eſt coloris, & nodoſus, quaſi iuncturis cohæreat. Germanice vocatur *ein Scherhorn*. Reperitur prope Hildeshemium, ac in aliis Germaniæ locis. Sæpe octo digitos latum eſt, ac aliquando pondere *Hoplites.* *Locus.*

 tres

tres libras ſuperat. Nonnunquam ita exiguum eſt ut nucis magnitudinem non excedat. Ab hoc differt anguis putrefactus, qui in ſaxum commutatu reperitur. nam hic ſtriis, & armatura caret. Ad CornuHammonis ſpecies referri poteſt, lapis novæ lunæ figura. aurea, vel ferrea armatura veſtitur, mediocriter durus, & interdum ſtriatus, modo magnus, modo parvus, quem Cardanus Seleniten vocat. Item alius ſimili figura abſque armatura à cinereo colore Tephrites dictus, alias Menois, ab eaden Lunæ creſcentis & corniculatæ forma, quam repræſentat.

Selenites. *Tephrites.* *Menois.*

a Hic locus Plinii non habetur lib. 31. cap. x. ſed lib. 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera m m.

Cap. CCXLVII.

De Magnete.

Magnes etſi inter ſaxa potius, quam inter alicuius pretii lapides referri debere videatur, nihilominus tamē, propter admirabilem ipſius naturam, qua ſe animatum, cœlique plagas diſcernere, ac conditoris opificiſque ſui magnitudinem, ſapientiam, & prudentiam incomparabilem cognoſcere oſtendit, merito non ſolum ſaxis nobilioribus, ſed & aliis gemmis omnibus præferendus eſt. Nomen Magnetis illi à magnitudine deductum nonnulli arbitrantur, quod revera trahendi vi magnus ſit, ac non niſi cœlum ipſum, quod omnium rerum maximum eſt, cognoſcat, & reſpiciat. Alii à Magnete armentario cum *a* Plinio nomen illi datum exiſtimant. Is enim cum armenta in Ida paſceret, ac baculos humi poſuiſſet, illorum cuſpides ferreos lapidi fixius adhęrere primum obſervaſſe, aliiſque

Nominis ratio.

que

que ſignificaſſe dicitur. Lucretius à Magneſia regione, ubi reperitur, nomen deducit:

Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quoniam patris in finibus ortus.

Plato ab Empedocle Magnetem vocatum in Ione ſcribit, eumque à nonnullis Heraclion vocari. Theophraſto auctore Heraclion dicitur, quod circa civitatem Heracleam inveniatur. A multis Herculeus appellatur, quia ferro, quod omnia domat, & cui omnia cedere coguntur, imperet, id ad ſe trahat, ac ad nutum obſequi faciat. A ferro etiam Sideritis dicitur. nam ferrum Græce σίδηρος vocatur.

Magnes proprie dicitur lapis qui ferrum, vel alium Magnetem ad ſe trahit, vel à ſe reiicit, ac plagas mundi oſtendit. Qui ferrũ reiicit, Theamedes à veteribus dictus fuit. Verum hic omni Magneti inſidet, ac altera ipſius pars eſt, tractoriæ parti oppoſita. Qui carnem, aurum, vel argentum ad ſe trahunt lapides, inter Magnetis ſpecies minime referendos arbitror. Magnes colore plerumque eſt ferrugineo ad cæruleum tendente: aliquando exterius ſubrufo, ac intus nigricante. Cæruleus etiam, *b* Dioſcoride teſte, cæteris præſtantior eſt.

a *Libro* 36. *Naturalis hiſtoriæ cap.* XVI. *littera a.*
b *Libro* V. *de re medica cap.* 105.

CAP. CCXLVIII.

Genera, & loci natales Magnetis.

PLinius ſequentibus verbis Magnetis genera ita deſcribit. Quinque genera Sotacus demonſtrat. Æthiopicum, Magneſiacum è Magneſia Macedoniæ. Tertiũ in Echio Bœotiæ. Quartum circa

Alexandriam, & Troadem. Quintum in Magneſia Aſiæ. Differentia prima, mas ſit, an fœmina; proxima, in colore. Nam qui in Macedonia, & Magneſia reperiuntur, rufi, nigrique ſunt. Bœotius vero rufi coloris plus habet, quam nigri. Is qui in Troade invenitur niger eſt, & fœminei ſexus, ideoque ſine viribus. Deterrimus autem in Magneſia Aſiæ candidus, neque attrahens ferrum, ſimiliſque Pumici. Compertũ, tanto meliores, quanto ſunt magis cærulei. Æthiopico laus ſumma datur, ponduſque argento rependitur. Invenitur hic in Æthiopiæ Zimiri, ita vocatur regio arenoſa. Ibi & Hæmatites Magnes ſanguinei coloris. Sanguinemque reddens ſi teratur, ſed & crocum. In attrahendo ferro non eadem, quæ Magneti, Hæmatitæ natura. Æthiopici argumentũ eſt quod Magnetem alium ad ſe trahit. Ex his Plinii verbis conſtat Magnetem Hæmatiten qui ferrum non attrahit, nunc inter Magnetis genera non referri, ut nec quintũ genus hodie pro Magnete habetur: niſi forte ille lapis ſit, quem Itali *Calamita bianca* vocant, quique linguæ admotus illi adhæret. Commodius meo iudicio ab effectu tria Magnetum genera ſtatuuntur. Ut primo genere contineantur qui ferrum trahunt. Secundo qui plagas mundi tantum oſtendunt, nec ferrum trahunt. Tertio vero qui alium Magnetem ad ſe alliciunt. Quicumq; ferrum trahunt, illi omnes plagas mundi monſtrant. Id enim proprium omni & ſoli Magneti videtur. Qui vero plagas tantum mundi oſtendunt, vi trahendi carere poſſunt. Tales habui ex monte S. Georgii, qui tribus Praga diſtat miliaribus, in planitie agri Leutmericenſis ſolitarie conſtitutus. Tertium genus quod Magnetem trahit nondum vidi: id ſi olim fuerit, ut Plinius teſtatur, veriſimile eſt & nunc eſſe. Scio Magnetis partem bo-

Optimi nota.

Tria Magnetis genera.

borealem, borealem alterius reſpuere, ut alterius auſtralem ad ſe trahit. Verum id omni Magneti plagas mundi oſtendenti proprium eſt, & neceſſario, ut uniti, plagæ plagis reſpondeant, ac nativus plagarum ſitus conſervetur, boreales boream, auſtrales auſtrum reſpiciant. Si Magnes multum ferri in ſe contineat, facile ab alio Magnete trahi poteſt. Verum non lapidis, ſed ferri ratione attrahitur. Quod ad Theameden, quem vetuſtas ferrum abigere tradidit, attinet, nec ille diverſum genus ſtatuit, cum & illius facultas omni Magneti, qui ferrum allicit, plagaſque mundi demonſtrat, inſit. Affrictum enim ferrum Magneti, ſi ad æquilibrium ponatur, ab adverſa Magneris parte ferri contacta pars, aut ab eadem Magnetis parte, quę ferrum tetigit, ferri adverſa pars abigitur. Vocatur Theamedes, Germanice *ein bleſer*. *Theamedes ferrũ reiicit.*

Reperitur Magnes circa ferri fodinas in Germania prope vallem Ioachimicam, Swartzburgum, Schneburgum in Miſnia, item ad fontes Albis, & rivulum *den Hirſprunnen*, ac prope Cupfferbergam Sileſiæ. In Italia in montibus Viterbii, & in Ilva, qui exterius ſubruffus eſt, intus in fracturis nigricans, & parum tendens ad cæruleum obſcurum, atque admodum efficax in attractione, quique dum percutitur, inhorreſcit, lanugine quadam oborta, quæ tranſmigrat ad ferrum ſi admoveatur. Naſcitur Magnes plerumque in ferri fodinis, aut in vicinis locis. Interdum Magnetes viſuntur in quibus plus ferri, quam lapidis ſit. In Germania ex Magnete optimũ ferrum elicitur, ac is qui circa ferri fodinas eruitur, eiuſque colorem habet, plerumq; vegetior eſſe cæteris ſolet. *Locus natalis.*

Cap. CCXLIX.

De natura, facultatibus, & viribus Magnetis.

MAgnes id admirabile, & quod nunquam humana conſequi poteſt ratio, habet, quod ferrum, aut eius meliorem partem chalybem appetat, illique uniri cupiat: quemadmodum ferrum ipſius complexum exoptat. Nam ſi Magnes magnis viribus ſit, ac ferrum liberum, id ad Magnetem properat. E contra ſi Magnes exiguus ſit, ac liber, ferrum vero grave, aut alicui rei affixum, Magnes ad ferrum ut illi coniungatur ſe movet. Ita ut non tam Magnes ferrum, quam ferrum Magnetem trahere videatur. Si Magnes ad ſe trahendi ferrum facultatem tantum haberet, nunquam ſe ultro ad ferrum moveret & conferret. Videtur itaque & ferrum trahendi Magnetem vim habere. Verum veriſimilius eſt Magnetem ferrum trahere, quam ferrum Magnetem, quia ſepultus in ſcobe ferri Magnes vires ſuas conſervat, & auget. Ferrum vero rubiginem contrahit, & perit. Quod fieri non poteſt, niſi puriorem, & ſubtiliorem ferri ſubſtantiã ad ſe traxerit. Deinde actionem, ac vim trahendi communicat ferro; quam ſi non haberet alteri dare non poſſet. Quod itaque Magnes ad ferrum ſe moveat, hoc fit, quia ipſius concupiſcit amplexum, quo potiri aliter non poteſt. Reſiſtit enim cupienti ferri pondus, quod à leviori móveri non poteſt. Id ſi uniüs unciæ ſit, non poteſt trahi niſi à Magnete cuius corpus gravius ſit uncia, & cuius facultas etiam unciam trahere poſſit. utrumque enim neceſſarium, ſi liber ſit Magnes. Nam ſi ab aliquo detineatur, aut alicui rei affixus ſit, non eſt neceſſe ut gravior ſit ferro. Sufficit enim vires ipſius tractrices fer-

fortiores eſſe, quam ferri pondus. Poteſt enim hoc modo unam unciam pendens Maghes libram ferri attrahere; imo plus. Audivi enim ab amico meo, ſe vidiſſe exiguum Magnetem tres libras traxiſſe, ac ita firmiter retinuiſſe ut non niſi vi avelli à Magnete potuerit. Vix ille pendebat duas uncias. Si quis dixerit, & Magnetem ad ferri, & ferrum ad Magnetis amplexum properare, fortaſſis non aberrabit. Parum tamen refert ſi quis hunc motum tractionem vocet. Vis hæc attractrix quæ eſt in Magnete nullo obice impediri poteſt. trahit enim per lignum, per lapidem, imo per vitrum. Unde colligi poteſt incorporeum eſſe quid, quod ad ferrum per vitrum tranſmittitur. Si enim ſubſtantia eſſet corporea, dum vitrum tranſiret, duo eſſent in eodem loco corpora, quod phyſicis abſurdum eſt. An autem ſubſtantia ſit incorporea, aut qualitas aliqua, difficile eſt coniectu. Qualitas ſane videtur, eaque, quæ cum luce vel ſono comparari poſſit. Ut enim lux vitrum tranſit momento temporis, & ſonus per opaca corpora & ſolidiſſima defertur ad aures, & agnoſcitur: ita etiam facultas Magnetis per quævis corpora ad ferrum, quod cum illo ſympathiam habens, ipſius motum ſequitur, & cum ipſo tanquam amico conſentit, idque non ſecus contingit, quam fidibus, quæ, dum ita extenſæ ſunt ut ſi pulſentur à ſe diſtent diapaſon, id eſt, octava, una contacta altera intacta movebitur, & conſonabit, cæteris fidibus interiacentibus, aut intermediis immotis; quod profecto non niſi ſoni qualitate ad aliam fidem tranſmiſſa fieri poteſt.

Trahit per vitrũ Magnes.

Sympathia.

Harmonia.

Cauſa cur mutuo amplexu gaudeant, aut Magnes ferrum trahat, inventu non ſolum meo iudicio difficillima eſt, ſed omnino impoſſibilis. Multi exiſtimarunt ideo appeti à Magnete ferrum, quod

Cur appetat Magnes ferrum.

illo

illo nutriatur, conſervetur, & ſuſtentetur, approbante, ut illis videtur, id experientia dum in ſcobe ferri ſepultus vegetior redditur, ferro paulatim in rubiginem mutato. Verum ex ſequentibus, hanc cauſam non ſufficere illi, qui veram cauſam ſcire cupit, facile qui pollet ingenio perſpiciet. Omni tamen dubio procul conſenſus iſte intimus à ſimilitudine eſſentiæ, quam habet Magnes cum ferro, proficiſci debet, quæ ut nobis ignota eſt, ita & cauſa, quæ ab illa dimanat. Videtur quidem ſpiritum quendam in ſe habere Magnes, qui ut ſe, ſuamque actionem conſervet, puriorem ferri partem ſibi addi deſiderat, non ſecus quam ignis pabulum, ſine quo mox evaneſcit, ac extinguitur. Sed ſi ſpiritus Magnetis, aut aliud quid in Magnete ex ferro quid deſiderat, cur interdum, ut poſtea explicabo, ferrum reiicit, & eiuſdem maſſæ ferreæ alteram partem? an non una pars alteri parti ſimilis eſt ſubſtantia, eſſentia, & qualitatibus? ſi una idonea fuit alendo, vel conſervando Magneti, aut ſimilitudinem cum illo habet, cur altera non eſt? imo non ſolum non eſt, ſed plane reiicitur.

Aliud itaque hic latet, quam quod humana conſequi poſſit mens. id naturæ relinquimus, quæ multa in ſinu ſuo recondita habet, ac admirari ſæpius, quam intelligit vult. Dubitari poſſet num ferrum Magnetem appetat, ut illius facultatibus potiatur, quę ſunt, ferrum aliud trahere, & plagas mundi, ſeu univerſi conſtitutionem oſtendere. Quarum ſane facultatum poſtrema eximia, & admiranda eſt, cum eius beneficio Oceanus noctu, obſcuro, aut nubilo cœlo navigari, & ad omnes orbis partes, etiam ad antipodas, abſque errore viæ & itinera inſtitui poſſint. Magnes enim vias, tanquam digito, dum plagas mundi indicat, oſtendit, eamque facultatem fer-

ferrum illi appoſitum adipiſcitur. Sed nihil hic definio, ut aliis quod rimentur relinquam. Solent imperfecta quævis perfectionem ſui appetere, ut materia formam: ſed ferrum perfectum ſine hac facultate videtur. Perfectius tamen cenſeri debet ſi illi nobilis hæc,& admirabilis facultas, (qua quaſi animatum redditur) accedat.

Cap. CCL.

Quomodo Magnes plagas mundi oſtendat, ac ferrum eadem facultate exornet.

DUbitavi in fine præcedentis capitis, num ferrum, quia materia conſtat, quæ apta & idonea eſt ad ſuſcipiendam formam, animam ſeu facultates Magnetis, ut perfectius ſit, propterea Magnetem à quo prædicta facile conſequi poteſt, ambiat. Præterea præcipuam & nobiliorem facultatem Magnetis eam dixi, qua plagas mundi oſtendit. Ea nunc explicanda eſt; multa enim obſervatu digna & admiranda habet. Magnes dum in ſcutella lignea ponitur, eaque aquæ quieſcenti immittitur, volvitur ſcutella donec ſponte quieſcat. Quem ſitum quieſcens habet, eundem, etiamſi millies moveatur, ſcutella perpetuo habebit, eaque pars lapidis, quæ boream reſpiciet, ſemper reſpiciet, quæ auſtrum, etiam auſtrum, neque aliter quieſcere poterit. Pars quæ boream reſpicit borealis vocatur, oppoſita auſtralis. Idem continget, ſi ex filo ſuſpendatur Magnes. Nam perpetuo pars borealis boreã reſpicere ſolet, Orientalis orientalem, & ſic de cęteris. Unde autem id habeat, quod plagas mundi obſervet, difficile eſt divinare. Arbitror Magnetem, quem ſitum habuit in ſolo natali, eum perpetuo, ni impediatur, exoptare. Ac propterea quæ *Quare plagas oſtendat mundi.*

pars

pars tunc boream reſpiciebat, ſemper reſpicere velle, ac dum libera eſt borealem plagam quærere, qua inventa, nativi ſoli ſitui congrua, quieſcere. Hinc facile colligi poteſt quemvis Magnetem in extremitate ſua punctum habere Boreale. Quo cognito etiam Auſtrale, Orientale, Occidentale, & quodvis aliud, aliquot gradibus ab illo declinans, facile inveniri & haberi poteſt. Invenitur autem punctum boreale modis prædictis. nam quæ pars boream reſpiciet, ubi quieverit Magnes, borealis erit, & adverſa auſtralis. Ducitur enim vis hæc per centrum corporis recta linea. Si fregeris Magnetem in plures partes, ſingulæ lineas ſuas meridianas per corporis centrum tranſeuntes habebunt; à centro enim corporis ut à centro mundi plagarum diſtinctio oritur. Polaris punctus non plaga ſolummodo ſequenti ratione certius reperitur. Iube Magnetē in ſphæricam figuram redigi, & expoliri, ac ferrum gracile concinnari æquale ſphæræ diametro, idque ſupra lapidē ſphæricum colloca. nam vertet ſe donec ſupra meridianam lineam per borealem & auſtralem punctum tranſeuntem quieſcet. Ubi quieverit, ſignato lineam, ac transfer ferrum in alteram lapidis partem: cum reſederit, & quieverit, iterum ſignato, idque tertio, & quarto repete. Deinde ubi lineæ ſe decuſſabunt, erunt puncta borealia, vel auſtralia. Aliter eadem puncta reperies. Frange acum tenuem, partemque minorem ſupra lapidem ſphæricum ponito, eamque moveto. Nam dum in borealem punctum inciderit, erigetur ad perpendiculum; movere itaque donec id fieri videris, ne pertædeſcat.

Punctum boreale invenire.

Cap.


CAP. CCLI.

Ferrum Magnetis vires & puncta ſuſcipit.

MAgnes non ſolum ipſe ferrum attrahit, & plagas mundi oſtendit, ac inſtar maioris mundi centrum ſuum habet, & utrumque polum arcticum, ac antarcticum; ſed eandem vim contactu, vel ferro tribuit, vel ferrũ ab ipſo extorquet. Quinimo etiamſi Magnetem non attingat ferrum, modo tamen intra circulum virtutis Magnetis conſtituatur, ac ibidem parumper moretur, vires eaſdem nanciſcitur. Circulus virtutis vocatur diſtantia illa, ad quam vis Magnetis extenditur: quæ à ferro acquiſita, aut illi tradita tam efficax eſt, ut plagas mundi oſtendere, & aliud ferrum attrahere ſibique affigere poſſit. Hoc modo complures annuli ſeparati ſibi invicem inviſibili ſpiritu Magnetis connexi, & adhærentes catenæ inſtar oſtendi poſſunt. Quorum poſtremi, & à Magnete remotiores, ſi extra circulum virtutis, aut ad extremam illius circumferentiam ſint, à catena decidunt, aliis & vicinioribus adhęrentibus non ſine ſpectantium admiratione. *Annulorum catena.*

Ferrum quod Magnetis virtutem non accepit, ab omni parte Magnetis trahitur, etiam quævis ipſius pars ſi ad æquilibrium conſtituatur. Ubi attigerit Magnetem, aut ut dixi, paullulum in circulo virtutis illius hæſerit, iam virtutem Magnetis adipiſcitur, & trahendi aliud ferrum, & oſtendendi plagas. Fit enim ſimile Magneti, ac ut ille maiorem mundum refert centro, & polis, ita & ferrum. Recipit autem ferrum plagas, & polos in ſe prorſus eoſdem, quos habuit dum Magneti aſtaret, vel admoveretur, eoſque perpetuo poſtea conſervat. Exempli cauſa, *Ferrum ab omni parte Magnetis trahitur.*

cauſa, ſit ferrum A B C, ac pars ipſius C atting Magnetis D E F partem, videlicet D hoc contact quia utriuſque corpus unum quodammodo effic tur, & virtus per utrumque corpus diffuſa unitu ita ut A ſit una extremitas, F altera, & mediet inter A & F centrum ſit, ut ſi F extremitas fuer pars borealis ipſius Magnetis, & altera A auſtrali ſemoto ferro à Magnete, (quaſi corpore uno divi in duas partes) ferri extremitas A, quæ fuerat au ſtralis, maneat auſtralis, altera vero oppoſita C quę dum Magnetem attingeret, & vires ſuſciperet extremitas non erat, nunc vero ab unione ſeparat extremitas eſt, neceſſario borealem partem faciat Nam inter duas extremitates centrum eſt, quod au ſtralem plagam à boreali diſcriminat, deinde au ſtrali opponitur ſemper borealis.



Ferrum his viribus dotatum non ingratum eſ ſuo benefactori. pars enim ea, quæ vires accepit, perpetuo complexum illius, quę dedit beneficium, ambit, cupit, ac ad ſe trahit, adverſam vero reſpuit. Quia itaque ferri borealis pars ab auſtrali D virtutem recepit, illam tantum, nequaquam borealem ambiet, & vice verſa ferri pars, quæ tetigit borealem Magnetis partem, non borealem plagam, ſed auſtra-

Similes partes ſibi adverſantur.

auſtralem oſtendet, appetet tamen illam partem Magnetis, quam tetigit, quia attactu facta fuit non borealis, ſed auſtralis; ac non ſolum ita erga illum Magnetem quem tetigit, ſed erga omnem alium, aut ferrum illius virtute imbutum, ſe geret. Nam partem ſimilem reſpuet, borealis nempe borealem, contrariam vero amplectetur, borealis auſtralem. Cupit enim perpetuo eundem ſtatum, quem habuit, dum vires nanciſceretur. Non potuit autem borealis pars Magnetis borealem plagam alteri dare (cum ſitus det plagas) magis quam fieri poteſt, ut duæ lineę, (dum ſe mutuo attingunt) aut duę ſuperficies ligneæ (dum coniunguntur) eandem plagam mundi oſtendant. Una ſi Orientem reſpexerit, altera huic annexa neceſſario Occidentem reſpiciet. Quicunque quæ prædicta ſunt recte intellexerit, in Magnete etiam aliter fieri non poſſe facile percipiet. Nam dum ferrum contingit Magnetem, Magnes, qua parte attingit ferrum, aliam plagam, & ferrum oppoſitam reſpicit. Hunc reſpectum ab utroque ſervari, natura cupit. Hoc bene intellecto, multorum effectuum, Magnetis & ferri, ratio dari commode poteſt: nec mirum erit amplius reſpui à Magnete ferrum. Reſpuitur enim à boreali Magnetis, borealis ferrī, & ab auſtrali, auſtralis ferri pars. Quę porro ferro ex contactu Magnetis contingere dixi, eadem ferro contingunt, ſi intra circulum virtutis Magnetis moretur. Nam etſi non attingat Magnetem, tamen quia Magnetis facultas per totum circulum extenſa eſt, quicquid in eo conſtitutum eſt, quaſi illi unitum ſit haberi debet.

Egregia ſimilitudo.

Id mirum videri poteſt, quod ſi ferrum Magnetis vi imbutum ad æquilibrium ponatur, ac ipſius extremitati boreali, Magnes ſupra teneatur, attrahatur ea pars; ſi vero ſubtus teneatur, repellatur. Contrarii

Supra & infra cōtraria.

trarii effectus fiunt, quia partes lapidis contrariæ ferrum reſpiciunt. Nam ſuperior pars lapidis, dum ſupponitur ferro, alia eſtquam inferior quæ ſupra ferrum tenetur, imo prorſus oppoſita. Si eadem facies opponeretur infra, vel ſupra, eadem attractio fieret. Vicinior itaque operatur in Magnetem, ſi ſit auſtralis, vel borealis. Perpetuum enim eſt, ſimilem ſimilem abigere, & diſſimilem appetere. An non contrarias partes oſtendo ferro, ſi ſupra id volam manus detineam, infra vero ſubducta manu exteriorem manus partem ferrum verſus habeam? Facierum itaque & partium diverſitatem agnoſcit & percipit Magnes.

Theamedes. Quod vero à Plinio aliiſque nonnullis auctoribus Magnetis genus ſtatuatur quod ferrum abigat, Theamedis nomine inſignitum; id hactenus ut videre nunquam potui, ita neque eum vidi qui aſſereret ſe talem vidiſſe, qui ab omni ſua parte ferrum abigeret. Proinde ſi quidam Magnetem ferrum abigere animadverterunt, eos deceptos fuiſſe, quod à plagarum diſtinctione id fieri ignorarent, arbitror. Quilibet enim Magnes ferrum ipſius viribus imbutum ab aliqua ſui parte repellit.

Punctum tractionis. Inter Magnetis admiranda id etiam notandum eſt, quod ea pars, quæ in æquilibrio ferrum poſitum reſpuit, nihilominus ubi attigerit id retineat. Nec minus mirum eſt quod etiamſi à quavis parte ferrum virtute ſua nondum imbutum trahat, id ex uno puncto efficacius faciat. Quod deprehenditur ſi Magnes ſupra ferrum aſſeri plano ſuperpoſitum detineatur, & manibus volutetur, donec ferrum tremat, & ad contactum currat. Ubi enim tetigerit, ibi punctum tractionis eſt, à quo, tanquã centro, radii virtutis Magnetis in ambitum ſparguntur.

Sed

Sed ſupra hæc omnia nihil mirabilius in Magnete, & quod magis ingenia acutiora torqueat, mihi videtur, quam quod ferrum illius virtute imbutum, & ad æquilibrium poſitum, ut ad omnes plagas verti poſſit, non præciſe polare punctum ubique terrarum oſtendat. Nam hic in Germania octo aut plures gradus Orientem verſus ferrum à polo declinat. Videtur vel in firmamento, vel in aliis orbibus cœleſtibus, vel ſupra firmamentum, vel in terra fixum aliquod punctum eſſe, ad quod Magnes ducitur, vel à quo trahitur. In firmamento, vel orbibus inferioribus hoc eſſe non poteſt; quia id, dum cum illis quotidie circuit globum terreſtrem, una moveretur, eiuſque motum neceſſario ferrum ab illo tractum ſequeretur: verum id quia non fit, (ferro tota die immoto idem punctum oſtendente) ſequitur, in firmamento vel inferioribus orbibus hoc eſſe non poſſe. Supra firmamentum aliquid immobile eſſe, quod iſtam vim trahendi habeat, licet ſtatui poſſit, nihilominus variæ mutationes Magnetis, aut acus ferreæ, id etiam eſſe non poſſe facile oſtendunt. Temerarium etiam videtur ibi tale quid eſſe poſſe ſtatuere, ubi forte Dei ſedes abſque loco eſt Reſtat itaque ut in terra, vel ſupra terram id punctum ſit. Si ſupra terram ſit, ut neoterici nautæ affirmant, facile, quo in loco ſit, inveſtigari poteſt. Nam notata declinatione, hic Pragæ alia obſervanda eſt, vel in Goa Indiæ, vel in Mexico, aut alio loco Orientem vel Occidentem verſus multum à Praga diſtante, qua tranſlata in mappam, aut globum terreſtrem, ductiſque lineis à locis illis duobus per puncta declinationis, ubi lineæ ſe decuſſarint, ibi punctum eſt Magnetis, aut ferri Magnetis vi imbuti. Id noſtris ſeculis à nonnullis inventum putatur, & ab Hollandorum ob-

Cur non præciſe oſtendat polos.

ſervatione confirmatum. Qui ſe inveniſſe putant intra Americæ & Aſiæ partem ſeptentrionalem in freto Anian montem Magneticum, quem ſtatuunt 17. gradibus à polo arctico diſtantem, atque ab Iſlandiæ medio ſeu ab inſulis capitis viridis, quę ſub eodem meridiano ſunt. gradibus longitudinis 180. ita ut hac ratione neceſſe ſit in Iſlandia & prædictis inſulis neceſſario Magnetem à polo non declinare, ut nec in Aſſoribus Orientaliorib⁹, videlicet S. Marię, & quas *las horgas* vocant inſulis, quæ ſub eodem meridiano ſunt. An autem vere in prædicto freto Magneticus *a* mons ſit, incertum adhuc eſt, cum fretum hoc nondum exploratum ſatis ſit. Si eſſet, mirum eſſet in tam longinqua loca virtutem ſuam iacere, ac ferrum non quodlibet, ſed tantum id quod Magnetis vi imbutum eſt, ad ſui obſequium trahere. Sed quid miramur, cum omnia miraculis plena ſint, & quidvis in hoc orbe ſui Creatoris laudes hoc modo celebret. An non Sol lucem & calorem nobis à longe maiori diſtantia momento temporis communicat, & luna aëris motu impedita, abſque contactu, ac ſine conſtanti & quieto medio, mare univerſum ad ſe trahit? Deſinamus itaque mirari, aut miremur omnia, cum nihil altero ſit mirabilius, & quicquid eſt mirabile, ſit in oculis noſtris. Auctorem & opificem colamus, celebremus, & adoremus, qui admiranda iſta efficit, ut opera ſua, ſi non hic, in alia vita intelligamus.

Sed hic aliud mirabile occurrit à nautis nonnullis obſervatum, quod videlicet pyxis nautica, quando ęquinoctialem lineam pertranſit, & polo antarctico vicinior eſt, non amplius ſeptentrionem, ſed auſtrum oſtendat. An quia non tam plagas, quam polum oſtendit? eumque ſemper qui illi vicinior eſt? Sed putatum fuit, Magneticum montē reſpi-

Magnes Auſtrum oſtendit.

ce-

cere, quem certe quocunque in loco ſit obſervare deberet, niſi forte alius apud antarcticum illi directe oppoſitus, eandem vim habeat, ac ad ſimilia officia, tanquam vicinior, cogat. Sed talem ibi eſſe incompertum eſt, quinetiam multi non verti borealem plagam ad auſtrum aſſerunt.

Non video itaque ubi polus Magnetis, ac illi oppoſitus commode ſtatui poſſit, niſi ſupra firmamentum ſtatuantur duo, unus borealis, alter auſtrinus, ac eiuſdem facultatis, ut vicinior Magneti imperet potius, quam remotior. Sed hic nihil ſolide definiri poteſt, præſertim cum, ut dixi antea, quid ſupra firmamentum ſit ne coniectura aſſequi humanum ingenium valeat, ac præter Beatorum ſedes divinæ literæ nihil ibi aliud eſſe teſtentur. Deinde etiam quod nondum exploratum habeam, an Magnes in longam formam pennę ſcriptorię inſtar aptatus, & ad æquilibrium poſitus, polum ipſum, aut idem punctum à polo diſtans, quod acus nautica demonſtrat, oſtendat, nec ne. Præterea dubito, num Magnes punctum, an axem ambiat: ac veriſimilius videtur axem ambire propter varias declinationes, quæ ad nullum certum punctum dirigi poſſunt. Si axim ambit, ad terræ viciniorem partem ſe parum inclinabit, ut à terra, quæ firma iacet, vim axis ipſius, quæ ad omnes extremitates mittitur, in ſe recipiat, quam ſane per maria & aquas hinc inde fluctuantes nequaquam tam commode ſuſcipere poteſt. Hinc fortaſſis fit, dum navigatur in mari prope Americam, Magneticam cuſpidem aliquot gradibus ad Occidentem, dum vero inter inſulam S. Helenæ, & Africam, ad Orientem declinare, ac forte propterea in Bohemia ad Orientem aliquot gradibus declinare, quia ſeptentrionem verſus occurrit mare Balticum, meridiem

Declinationis Magnetis cauſa.

verſus mediterraneum, quæ vim axis nonnihil infringere poſſunt: quam ſane vim declinationis linea, quæ à Bohemia duci poteſt, uſque ad mare glaciale, per Moſcoviam, & Poloniam, ubi continuatio terræ eſt, ſervare & communicare Magneti poteſt. Sed alii diligentius iſta rimentur.

a *Quoniam auctor montis Magnetici hic meminit, no abſonum erit errorem quorundam enodare, qui na ves in quibuſdam regionibus (nempe in India C circa mare rubrum) ferreis clavis non compingi, o Magnetis metum, exiſtiment: nam licet Magn ferri ad ſe trahendi facultatem habeat, minime ta men credendum eſt, eum tanta vi pollere, ut nave ferreis clavis coniunctam vel è longinquo pertrahe re poſſit. Huiuſmodi vero naves fabricant Incolæ quod magnis arboribus, quarũ aſſeres ferreas clav ferre queant, reliquaque materia neceſſaria deſt tuantur, adeoque egeni ſint, ut aliunde compare non poſſint: cumque præterea ferro aut ære veteru more coniungere uſus apud eos iam deſierit, funib cymbas conſuentes, levibus expenſis eas conſtruun Huc accedit quod magnis navigiis opus non haben exigua enim illis ſufficiunt cum ad piſcationem tu ad merces hinc inde per canalem & æſtate per m re rubrum tranſvehendas. Verum quidem eſt, m gnas onerarias naves, triremes, aliaque varii gen ris navigia iſtic conſpici, ſed aliunde advecta.*

CAP. CCLII.

De abolendis, reſtituendis, & augendis viribus Magnetis.

HActenus miras Magnetis facultates explicav nec omnibus cognitas. Reſtat ut explicen

qu

quo pacto illius vires augeri & reſtitui poſſint, ſi illas amiſerit. Amittere enim poteſt contactu alterius Magnetis, dum nempe ſimilem faciem attigerit, nempe borealis unius borealem alterius. Id cum factum fuerit, fortiori affrictu utriuſque facultas perit, & neuter officium facit, aut ſaltem erroneè, quaſi ebrius eſſet. Reſtituitur autem in integrũ ſi in chalybis limatura per aliquot dies ſepeliatur, cuius etiam beneficio, ſi imbecillis ſit Magnes, vegetior redditur, ut aliqui aſſerunt. Magnetis vires in immenſum augeri poſſe tradit Theophraſtus Paracelſus, ita ut etiam ex pariete clavum extrahere poſſit: ſi igniatur, deinde in oleum Martis multoties extinguatur. Sed diſcipulos ſuos decipit, cum Magnes igne vires omnes amittat, ac ſpiritus ille vivificus, tanquam anima Magnetis, & cui vires omnes inhærent, ignis iniurias non ferat, & à ſuo corpore colore ſubcæruleo expellatur, ac tantum cadaver, quod nunquam ad vitam redigi poteſt, poſt ſe relinquat. Magnes ut igne vires omnes amittit, ita à nonnullis putatur cæparum alliique odore effætus reddi; ſed falſum id eſſe neotericorum declarat experientia, qui allii ſucco inunctum nihil viriũ amiſiſſe teſtantur, ut & nautarum, qui, dum quotidie allium cæpaſque vorantes acui Magnetico adſtant, nihil illi iniuriæ inferri, ſed ſuo officio ſtrenue fungi, obſervant. Sunt alii qui Adamantem Magnetis vires impedire ſcribant. Ut Plinius his verbis; Adamas diſſidet cum Magnete lapide in tantum, ut iuxta poſitus, ferrum non patiatur abſtrahi: aut ſi admotus Magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat. Et Marbodeus his verſibus:

Omnibus æqua tamen vis eſt adducere ferrum.
Quod facit & Magnes abſente potens Adamante.

Nam præſens Adamas, Magneti quod rapit, aufert.
Sed Ioan. Bapt. à Porta negat ſe experientia id verum deprehendiſſe. Interim tamen ipſe docet, ferrum Adamante tactum volvi ad ſeptentrionem, ac obverſam partem (ut in Magnete ad meridiem ferrum) abigere. Id ſi verum eſt, quod nondum probavi, veriſimile eſt, Adamantis borealem partem, borealem Magnetis abigere, ac propterea vim ipſius trahendi impedire. quod forte veteres voluerunt.

Cap. CCLIII.

De qualitatibus, & viribus medicis Magnetis.

a Galeno teſte Magnes Hematitis vires habet *b* Dioſcorides cum aqua mulſa trium obolorum pondere ad craſſos humores & melancholicos educendos propinari tradit, ac uri, & vend pro Hæmatite, cuius vires, uſtus proculdubio, ad ſtringendo, ſanguinemque ſiſtendo, æmulatur Nonnulli cum mulſa exhibitum hydropicos ſanar referunt. Paracelſus, quia ferrum ad ſe trahit, emplaſtris, non ſolũ ad ſagittæ ferrum è corpore humano extrahendum: ſed omnem aliam ſaburran vulneribus inhærentem, adhibet, & non inutili conatu. Inter alia autem emplaſtra ſequens celeberrimum eſt, & admirandæ facultatis, quod à multi hactenus celatum, & in ſecretis habitum fuit. Curat omnia vulnera punctim vel cæſim inflicta ſubito, ac ſymptomata, quæ vulneribus ſupervenire ſolent, impedit. Quicquid malignum in vulnere eſt aut inutile, ſeparat ab utili, ac ſanam carnem generat. A me emplaſtrum Magneticum vocatur, à Paracelſo Opodeldoch barbaro vocabulo. Recip. ceræ virgineæ lib. duas, terebinthinæ vulgaris turbulenta

Magnes purgat melancholiam.

Emplaſtrũ Magneticũ.

lentæ (non vero claræ ex picea arbore, quam impoſtores claram efficiunt) lib. unam, olei olivarum unc. iij. funde omnia ſimul, addendo ſucci chelidoniæ, ſucci fol. querci, ſucci alchimillæ, ſucci veronicæ ana unciam unam cum ſemiſſe. coque omnia ſimul ad ſuccorum conſumptionem. poſtea adde ammoniaci, galbani, ac opopanacis aceto expurgati ana drachm. ſex, colophonię unc. unam cum ſemiſſe, ſuccini unciæ ſemiſſem, maſtiches, myrrhæ, thuris, ſarcocollæ ana drach. tres. immiſce omnia emplaſtro. Dum parum refriguerit immiſce Magnetis contuſi ac præparati unciam unam cum ſemiſſe, croci martis uncias duas, croci veneris unciã unam, tutiæ præparatæ drach. ſex, lapidis Calaminaris præparati uncias decem. Hæc omnia poſtea immiſce emplaſtro, ac cum iam fere refriguerit, adde terrę dulcis vitrioli tantum ut emplaſtrum ſubrubrum fiat bene miſcendo. poſtea extrahe, malaxa manibus, ac in baculorum formam redige, ac ſupra tabulã ligneam oleo roſarum inunctam in tabulas, forma thaleri craſſitie, ac ad uſum ſerva. Ita excoqui debet, ut cum calefit, bene molleſcat, & dum refrigeratur, non flectatur, ſed vitri inſtar frangatur. Prædicta nonnulla ingredientia hac ratione præparantur. Magnes hac ratione præparatur. Primum in pulverem contundatur; is tigillo impoſitus igniatur, ac in oleum martis dulcificatum eiuſdem ponderis iniiciatur, deinde ad ignem temperatum exſiccetur. ita Magnes præparatus eſt. Oleum vero martis hac ratione concinnatur. Rec. aluminis lib. j. ſalis communis uncias quatuor. ex his diſtilla aquam. cum aqua limaturam ferri aliquoties in die humecta. ita brevi ferruginem habebis. quam ablue aqua, eamque inde evapora ad olei conſiſtentiam. Quod iterum una diſtillatione dul-

Magnetis præparatio.

Oleum martis.

dulcificabis , ſequenti modo. Affunde iteru
aquam, ac ſine evaporet, ut prius. ita præparatu
Calaminaris præparatio.
erit oleum. Lapis vero Calaminaris hac ration
præparandus eſt : Redige in pulverem tenuiſſ
mum, ac igniatur. ignitum coniice in ollam, ace
tum fortiſſimum continentem, ac ſubito ollam te
ge, donec pulvis extinctus fuerit. poſtea acetu
quiete effunde. Pulverem iterum ignias, ac in ide
acetum extingue. poſtremo iterum pulvis ignia
Tutiæ præparatio.
tur, ac refrigerari ſinas. Tutia præparatur ut lap
calaminaris, niſi quod loco aceti utendum ſit aqu
Croci Veneris præparatio.
fæniculi, aut chelidoniæ. Crocus Veneris ita pra
paratur. Recip. tenues cupri laminas, impona
ollæ, ſepeliantur laminæ in ſale communi, ac olla
igni impoſitam ſine excandeſcere. poſtea effund
laminas cum ſale in frigidam, ac laminas ablue a
omni nigredine. iterum adde ſalem, ac ollæ impo
ne ut antea, ignias iterum, ac in frigidam coniice, &
ablue. id opus repete, quamdiu placuerit. aquæ ve
ro in qua extinxiſti laminas, affunde aquam cal
dam, poſtea paulatim effunde aquam, ita in fund
habebis crocum Veneris ſanguinis inſtar rubrun
hunc lava, & munda optime, donec nihil ſalſugin
habeat. exicca illum optime tela linea, ac ſerva a
Croci martis præparatio.
uſum dictum. Crocus martis hoc modo fit: Reci
limaturam ferri mundam abſque rubigine, rever
beretur in furno longo fortiſſimo igne quarti gra
dus, donec purpureum colorem habeat. tum ex
me, & cum refrixerit, in vas aqua plenum coniice
move optime, ac ſubito in aliud vas decapula, ita re
linquetur in primo vaſe ferrum quod calcinatur
nondum eſt. In altero vero crocus. quē ut habeas
ad ignem aquam exhalare omnem ſinito, & etiam
reſideat, aquam ne effundas, continet enim ſubt
liorem croci partem vix conſpicuam. Reſtat terr

vitrioli: hanc ita concinnabis. Recip. quantum voles vitrioli, id ollæ imponas, eamque in igne circulari colloca, ut in rubedinem optime calcinetur. Dum intrinſecus & extrinſecus rubuerit, contunde, eique aquam affunde, ac per diem & noctem ita relinque. aquam poſtea claram effunde, aliamque affunde. iterum illa clareſcat, ac poſtmodum effundatur. Id opus toties repete, donec aqua non amplius acris fuerit, ſed dulcis. tum exiccari ſinito, ita habebis terram ſubrubram, & ſquammis æris ſimilem, cuius colorem Germani vocant *keſſelbraun*, longe aptiorem ad vulnera & ulcera bolo armena. Hoc emplaſtro medicus & chirurgus mira præſtabit, & quævis vulnera cito ſanabit abſque omni ſymptomate. *Terra vitrioli præparatio.*

Ex collo geſtatus Magnes ſpaſmũ ſanare, ac nervorum dolores compeſcere, manuque detentus partum accelerare perhibetur. Supra vulnera venenata poſitus vim veneni extinguere dicitur, capitique admotus omnem eius dolorem auferre; Ab altero coniugum portatus alterius gratiam conciliare, timores arcere, & eloquentiam augere creditur. Nugatur Marbodeus, Veneris intellectum habere Magnetem, & viri erga uxorem amorem conciliare, ac adulteria prodere, his verſiculis.

Conciliare poteſt uxoribus ipſe maritos,
Et vice converſa nuptas revocare maritis.
Num qui ſcire cupit ſua non ſit adultera coniunx,
Suppoſitum capiti lapidem ſtertentis adaptet,
Mox quæ caſta manet, petit amplexura maritum,
Non tamen evigilans cadit omnis adultera lecto
Tanquam pulſa manu, ſubito fœtore coacta,
Quem lapis emittit celati criminis index.

Credit etiam Marbodeus furum eſſe fautorem,

ac ſuffitu domeſticos abigere, ut furibus furar[i]
occaſio ſit commodior.

Si fur clauſtra domus ſpoliis gaziſque referta
Ingrediens prunas ardentes per loca ponat,
Et ſuperimponat Magnetis fragmina prunis,
Per tetragonum ut fumi vapor alta vaporet,
Mentibus everſis veluti impendente ruina,
Diffugient omnes in ea quicunque manebunt,
Et fur ſecurus rapiet quæcunque libebit.

Fœtidum, & exitialem, ut carbones, habere a-
ram ſeu vaporem Magnetem, & qui ad cerebru
delatus illud conturbet, ac dormientibus terrib
lia & melancholica phantaſmata, aut vertigine
epilepſiam, vel apoplexiam inducat, multi produ
auctores. Quinimo nonnulli ore detentum lun
ticos & melancholicos homines efficere tradun
ac pulverem ipſius pondere ſex granorum cum ſ
vo ſerpentis & ſucco urticæ alicui in potu obl
tum, eum ita dementare, ut ex patria ſua vel h
bitatione fugere cogatur. Ita ut ſi hæc vera ſin
non mirum ſit, ſuffitum fœtore & maligna qu
litate caput turbando homines ex ædibus propri
abigere.

a *Libro* IX. *de ſimplic. medic. facult.*

b *Libro* V. *de re medica cap.* 105. *Multo plura ad M*
gnetem pertinentia tradidi in Comm. à me editis
praxin auream Ioannis Stockeri (ut cap. 216. *hui*
libri monuimus.) Comperimus inſuper, eũ, qui pr
mus huius lapidis uſum invenerit, Flavinus fui
nuncupatum. At Albertus Magnus primus omniu
eius facultates ſcriptis tradidit: quem cum ſuo tem
pore in uſu iam eſſe animadverteret, veteribus no
ignoratum fuiſſe credidit, atque Ariſtoteli eius f
cultates fuiſſe perſpectas. Attamẽ & ipſe Ariſtotele

& qui aliquot ſæculis eum ſubſequuti ſunt, plane ignorarunt hunc lapidem talibus facultatibus eſſe præditum, ut altera eius pars ferrum ad ſeptentrionem convertere faciat, altera ad Meridiem. Ariſtoteles quidē non ignoravit ferri attrahendi facultatem habere: at quod navigationibus utilis eſſet, plane neſcivit. Nunc autem cum Magnetis *facultates omnibus ſint perſpectæ, navigatio adeo facilis reddita eſt, ut bini viri cum levi navicula omni momento, omnibus periculis, vehementiſſimiſque ventis ſeſe committere, & mare traiicere non vereantur: quod veteres ipſa meridie tentare non fuiſſent auſi, cum nauticam pyxidem non haberent, cuius acus Magneti adfricata eſſet. Itali hunc lapidem* Calamita, *Galli* Aimant *vocant. Huius lapidis Gallicæ appellationis affinitas anſam præbuit nonnullis Chymicis impoſturas excogitādi de ipſius efficacia in rebus amatoriis, ut etiam polliceri, atque perſuadere auſi ſint, non minus hominum amorem pellicere, quam ferrum attrahat, quod tamen falſum eſt, atque ad eam rem candidum Magnetem longe prætulerunt, non ignorantes, difficilius & rarius inveniri, quam eum, qui ferruginei coloris ſit.*

Per Magnetem hoc modo quis Oraculum fingere poteſt. Menſa in cubiculo ſit parata, non admodum craſſa, undique rite clauſa, & convenias cum aliquo, qui per aliud cubiculū propinquum intret ad menſam, qui de omnibus ſit inſtructus quid agendum tibi ſit, nemine conſcio niſi tibi. in qua menſa ſupra & infra ſcriptæ ſint Alphabeti litteræ in circulo rotundo. nempe ubi littera A in ſuperiori parte menſæ ſit ſcripta, ſic eadem in inferiori parte ſcribatur. in ſuperiori parte in medio circuli finge diabolum ex charta, vel alia levi materia, cuius pedibus infigantur acus, & in manibus habeat ſtramen, quod arcte

con-

contineat. & cum vis fingere Oraculum, int iam nominatus menſam, qui ſciat movere Magnetem. ſecum habeat candelam, ut ſecundum ordinem Alphabeti moveat Magnetem, ſecundum quod quæratur; & diabolus movebit ſe ſecundum motum Magnetis; & notet, qui quærit reſponſum, omnes literas, & ubi diabolus quieſcit, & non movetur, habebit verbum totum. & ſic de cæteris, donec totus ſenſus appareat.

Eodem modo poteris efficere ut charta vel homuncio per menſam ambulet, ſuppoſito ſub menſa Magnete, eoque huc illuc ducto.

Simili modo ſi chalybis pulverem ſuper chartam vel ferculum ponas, ſuppoſito Magnete, aſſurgent in cuſpidem pulveres iſti, & ducto Magnete huc illuc eum pulveres iſti ſequuntur, magna aſtantium admiratione.

Eodem quoque modo poteris efficere ut navicula ſponte adnaviget lembo circulari, in quo Alphabeti literæ ſint deſcriptæ, ut ita etiam oraculum effingere poſſis.

Cap. CCLIV.

De uſu Magnetis.

MAximus uſus Magnetis eſt ad navigationes & itinera etiam terreſtria inſtituenda. Sine hac enim certa nulla inſtitui aut ſcopuli evitari poſſu[nt], præſertim cœlo nubilo, noctu, & in Oceano, du[m] præter undas nihil conſpicitur, quemadmodu[m] nec in ſylvis ampliſſimis, dum præter cœlum arb[o]reſque nihil ſeſe oculis offerat. Ut autem certi[us] omnia fiant, acus ferrea aut potius chalybeata M[a]gnetis virtute imbuenda eſt, ac prius ita concin[ne] fabricanda, ut ſupra cupri aut argenti cuſpidem [il]

quilibrium ſuſtentetur, & in orbem verti poſſit. uod ut commode fieri poſſit, pyramidale concaım in medio acus fabricatur, à cuius baſi reliquæ ırtes ſibi averſo oppoſitæ, illiuſque cacumine inriores, procedunt. Hoc modo dum cuſpis concaım excipit, ſuſtentatur acus, ac in omnem parm verſatur. Communicatur autem acui ferreæ lagnetis virtus hoc modo. Primum punctum Boale vel auſtrale in Magnete modo à me ſupra trato quæritur: inventum levi mallei ictu percutiır, ut à ſordibus liberetur. Illi puncto adfricatur us altera pars, quæ latiuſcula, ut melius virtutem lagnetis ſuſcipere poſſit, eſſe debet. Si punctum erit boreale, pars acus quæ tetigit, auſtrum oſtenet. Si velis ut non auſtrum, ſed boream oſtendat, ıſtrali Magnetis puncto affricare debes. Si utrae acus extremitas idem punctum tetigerit, vel ıllam plagam oſtendet acus, vel ab utraque plaı deflectet, vel Orientem, aut Occidentem monrabit. Sed ut eximias vires ſuſcipiat acus, ac probe unere ſuo fungatur, conſultũ eſt ut altera ipſius ırs boreali puncto, altera auſtrali affricetur. ita ıim quodammodo duplicatas ſuſcipiet vires, & orealis contactus ad auſtrum, Auſtralis ad boream convertet. Cum acus ferrea Magnetem tetige:, ſedulo cuſtodienda eſt, ne aliud ferrum, alium: Magnetem attingat, aut in circulo virtutis illom detineatur. Nam illorum contactu & præntia inebriatur, nec exacte cœli partes amplius tendit. Ita ut denuo igniendum ſit, ut omni faltate privatum, novo affrictu poſſit novas vires cipere. Bene cuſtodita acus ad centum annos vis ſuas retinere poteſt.

Modus tangendi ferrum.

Itinerum Dux eſt Magnes, aut acus Magnetica, ıia ſeptentrionale punctum oſtendit, quo oſtenſo

Itinera investigare.

etiam

etiam omnia alia,& minutiſſima cognoſcuntur. Ut autem facilius oculis reliqua eſſent perſpicua, propterea orbi verſatili, in cuius margine triginta duo venti,ſeu plagæ potius deſcribuntur, acum Magneticam nautæ affigunt. Hac enim ratione ſi ab itineris linea deflectatur,facile,quot gradib⁹ (ſi orbis in 360.partes diviſus ſit) id fiat, cognoſcitur. Sed poſſunt nautæ gubernaculo navim ita dirigere, ut à puncto,ad quod dirigunt iter,acus nunquam deflectat. Si per ſilvas terreſtre iter inſtituendum ſit,ne quis multum aberret à via,acus Magnetica illa,quæ horologiis ſciotericis incluſa eſt, inſervit. Maiore tamen cautione propter itinerum anfractus opus eſt,quam in mari ubi omnia pervia ſunt. Nam primum conſtituta acu Magnetica ſupra lineam meridianam,obſervanda eſt in loco, unde quis proficiſcitur, linea aut hora quæ itineris ſcopum reſpicit ac perpetuo iter ad illam horam inſtituendum eſt. Si deflectet ad aliam horam ad ſiniſtram, certū eſt ad dextrā iterum,ut ad veram itineris lineam perveniatur, deflectendum, & proportione & longitudine deflexionis plus vel minus ad dextram iter inſtituendum eſſe.

An Magnete quis ſua arcana patefacere poſſit.

Putant aliqui, Magnetem aut acum Magneticam uſui eſſe ad animi ſecreta patefacienda amico à nobis centum *a* aut ducentis milliaribus diſtante, ſed vehementer errant. Cauſam errori præbuit virtus Magnetis, quæ acum ferream etiam per tabulatum movet,ac deinde facultas poli arctici, vel montis Magnetici in freto Anian à Coſmographis cōſtituti,qui ad multa centena milliaria in acum Magneticam, ut illi arbitrantur, agere poteſt. Exiſtimant enim, Magnetē, qui tetigit acum, ac illi virtutem ſuam communicavit,ſimilem habere & talem cum illa conſenſum: ut ſi moveatur, exempli cauſa de-

cem

cem gradibus orientem verſus, etiam tot gradibus acum moveri, etiamſi centum miliaribus ab illo diſtet. Sed ut dixi falluntur: quia certiſſimum eſt, Magnetem, qui ferream acum tetigit, tantũ intra certum ſpatium, & exiguum, forte trium aut quatuor pedum illud movere. Deinde etiã experienti conſtat, acum Magneticam extra circulum virtutis Magnetis poſitam, non mutare ſitum, mutato ſitu Magnetis. Si magnes tam procul in acum à ſe tactum ageret, facillime quis animi ſententiam amico centum miliaribus diſtante (eo modo quo id per tabulatum fieri poteſt) ſignificaret. Per tabulatum autẽ ita id fit. Acus Magnetica longiuſcula, ut diſtinctius ſuo fungatur officio, accipitur, ac pyxidi imponitur ut verti in omnem partem commode poſſit. Margo deinde pyxidis in viginti quatuor æquales partes dividitur, ac in illis viginti quatuor litteræ alphabeti pinguntur. Similis pyxis, ſed maior, ac cum acu Magnetica longe maiori, & addito alphabeto, etiam conſtruitur, ac ſupra tabulatum ligneum ſuperioris cubiculi collocatur. In inferiori verò cubiculo ſupra menſam minor collocatur pyxis, hoc modo ut centrũ pyxidis ſuperioris & inferioris, ad perpendiculum reſpondeant, ac pars utriuſque borealis litteram A reſpiciat. His ita rite collocatis: ſi acus pars borealis digito verſus litteram D ſuperioris pyxidis moveatur, etiã acus pars altera inferioris pyxidis eandem litteram D in inferiori cubiculo oſtendet: modo tamen virtus Magnetica tam procul vires ſuas extendat, id enim neceſſarium eſt, ut dixi. Si id acus beneficio fieri non poſſe credatur, ex centro maioris pyxidis ſupra tabulatum circulus cuius diameter duorum ſit pedum deſcribendus eſt. Iſque in viginti quatuor partes ſecandus, ac in ſingulis alphabeti litteræ notandæ

ſunt,ita tamen ut A littera boreali puncto reſpondeat. Deinde litteris, quæ vocabula faciunt, apponendus Magnes ſatis vegetus, & qui inferioris cubiculi pyxidem intra circulum ſuæ virtutis habeat. Tum enim trahet acum inferioris cubiculi ad ſe, quæ eaſdem litteras oſtendet, quas adſtans colligere debet, ut vocabula habeat, ſenſum alterius qui Magnetem movet explicantia. Iſtud experimentum illos fefellit, qui idem ad 100. miliaria Magnetem efficere arbitrati ſunt. Ex prædicto experimento elegans modus colligitur faciendi ſtatuã ligneã palmæ longitudine, quæ cuſpidi ex aëre inſideat, ita ut verti commode ſedens poſſit. Pes alter extendatur parumper, ac in eo globulus chalybeus occultetur: manu teneat ſtatua virgulam tenuem ligneam, vel argenteã. Sedeat autem in medio pyxidis latiuſculę, in cuius margine ſint alphabeti litterę omnes notatæ. Quiſquis itaque reſponſum dari petenti cupit, teneat ſceptrum ligneum manu, in cuius extremitate ſit Magnes. Id ſub menſa detineat, & ad litteras dirigat. Nam hoc modo ſtatuam ſupra menſam collocatam, eas litteras quas volet, oſtendere, non ſine adſtantis admiratione, faciet, quæ poſtmodum collectæ, ſtatuæ reſponſum declarabunt. Poſſunt alia multa admiranda Magnetis occultati beneficio fieri, quæ ſi quis ſcire velit, alios auctores legat, nos hic ludicra tractare nolumus, cum quilibet ſibi, ſi ingenio valeat, varia invenire facile poſſit. Unum ſupereſt quod an à Magnete fieri poſſit dubitatur. Num videlicet ferrum in aëre ita ſuſpenſum tenere duo vel plures Magnetes poſſint, ut id utroque trahente neutri adhæreat. Hac ratione ferreum Mahometis ſepulchrum in aëre hærere traditur, & Plinius *b* ſcribit Dinocratem architectum Arſinoës templum concamerare inchoaſſe ex Magne-

An Magnes ferrũ in aëre poſſit ſuſtinere.

Magnete, ut in eo ſimulachrum eius è ferro pendere in aëre videretur, ſed interceſſiſſe mortẽ ipſius, & Ptolomæi, qui id ſorori ſuæ iuſſerat fieri, unde quod inchoaverat non perfeciſſe. Ego etſi concedam paribus viribus Magnetes ita conſtitui poſſe, ut æque vehementer uterq; trahat, tamen propter aëris continuum motum, non magis ſubſiſtere poſſe exiſtimo, quam ſphæra metallica ſupra cuſpidem acus perpendicularẽ collocata. Licet enim Sphæra ita exacte poni poſſit ut pond⁹ illius ab omni parte cuſpidis æqualiter promineat: nunquã tamẽ conſiſtere poterit, quin ad latera decidat. Idẽ ferro futurũ puto, ut vel delabatur ad inferiorẽ Magnetem, vel attrahatur à ſuperiore. Si ferrũ tenui filo, vel capillo muliebri alligetur, proculdubio in aëre à ſuperiori Magnete ita trahi poterit ut in aëre ſuſpensũ videatur, filo prohibẽte ne ulterius à Magnete trahi poſſit.

Magnetis uſus etiam ad vitra conficienda ut olim celebris fuit, ita & nunc eſt. De eo *c* Plinius his verbis: Poſt vitri originem, ut eſt aſtuta & ingenioſa, ſolertia non fuit contenta vitrum miſcuiſſe; cœptus addi & Magnes lapis, quoniam in ſe liquorem vitri quoque in ferrum trahere creditur. Et Agricola ſequentibus: Si materiæ unde vitrum conflatur, adiiciatur minuta Magnetis particula, ita in ſe liquorẽ vitri trahere videtur, ut ad ſe ferrum allicit; tractum autem purgat, & ex viridi vel luteo candidum facit. Sed Magnetem poſtea ignis conſumit. *Ad vitra.*

Utilis etiam Magnes ad ferri venas, num divites, vel pauperes ſint, examinandas. Eius uſus docetur his verbis ab Agricola: Venam ferri experimur in Camino fabri ferrarii. eadem uritur, comminuitur, lavatur, ſiccatur, Magnes in ramentum lotura collectum imponitur, qui ſcobem ferreã ad ſe trahit. [...]a pennis deterſa catino excipitur, atque Magnes *Magnes ferri venas oſtendit.*

 uſque

uſque eo in ramentum lotura collectum imponitur,& ſcobs detergitur,dum reſtet quam ad ſe alliciat. Ea autem ſimul cum ſale nitro coquitur in catino, donec liqueſcat, & ex ea terrea maſſula confletur. Quod ſi Magnes cito facileque ſcobem ad ſe traxerit, venam ferri divitem eſſe coniicimus: ſi tarde,pauperē. Si prorſus eam reſpuere viſus fuerit, ferri paullulū, aut nihil in ſe continere. Quemadmodum ferri ſcobs à ſordibus ſeparatur Magnetis opera , ita auri vel argenti pulvis à ferri ſcobe. Admotus enim Magnes ſcobem ad ſe trahit,ac aurifabris compendium præſtat.

Ichnographiarum beneficio Magnetis deſcriptio.

Sed dum hic celebres Magnetis uſus explico, pręcipuus,nobiliſſimus,neque ſatis admirandus, ac pauciſſimis notus, fere animo exciderat, & à me prætermiſſus fuit. Nempe quod eius beneficio ichnographiæ deſcribantur , & inſtrumentum aliquod confici poſſit, in quo Magnes ipſe ichnographias,& anfractus itineris,ac diſtantias locorum,in charta, abſque hominis opera,ad admuſſim notet. Prior ratio vulgo omnibus geographis nota eſt.Imponitur enim acus Magnetica circulo,in plano deſcripto,ac in illius centro dioptra verſatilis accommodatur,ut per illi⁹ extrema anguli (virgulis,aliove ſigno notati) vel turres, aut domus , ſi civitatis ichnographia deſcribenda eſt , conſpici poſſint. Deinde dum ichnographia notanda eſt,inſtrumentum hinc inde vertitur , donec acus Magnetica incumbat lineæ meridianæ, ut moris eſt, dum horæ diei explorantur. Dum recte incubuerit , verſatur dioptra,donec per ipſius extrema utraque, vel turris, vel arbor, vel ſignum videatur, atque tum notatur ubi dioptra ſecet circuli circumferentiam. Simili modo omnia loca circumquaque conſpiciuntur, & notantur. Quibus notatis ex alio loco viciſſim

ciſſim eodem prorſus modo eadem loca conſpiciuntur, & notantur, & ſi quis velit, ex tertio.

His abſolutis Geographus in chartam deſcribit circulum æqualẽ, ſi velit, circulo inſtrumenti, (nam poteſt maiorem, vel minorem facere, ſed minori labore voti compos fit, ſi æqualem acceperit) ac in deſcriptũ circulum transfert puncta viſionis. Deinde ex centro circuli per eadem puncta ducit lineas, uſque ad extremum chartæ, loca enim quæſita in lineam incident. Sed quam procul à centro, nondũ ſcitur, id enim ſecundus oſtendet circulus: qui in chartam transferendus eſt, ea diſtantia ab altero circulo, qua quis velit. Si magnam diſtantiam fecerit, magna erit ichnographia: ſi parvam, parva.

Poſtea in ipſius circumferentiam transferenda ſunt puncta viſionis ſecũdi circuli, ſed hac ratione, ut punctum viſionis, quod oſtendit prioris circuli centrum, primo notetur, & incidat in lineam, quæ ducitur à centro prioris circuli ad ſtationem, ſeu centrum ſecundi circuli. Id ubi factum fuerit, alia puncta omnia ſecundi circuli transferantur in ſecundum circulum, qui in charta deſcriptus eſt. Deinde ex centro circuli per ſectionis puncta uſque ad extremum chartæ ducantur lineæ. Nam ubi eiuſdem loci notati lineæ ſe mutuo ſecabunt, ibi locus locari debet. Quia vero anguli interdum nimis acuti fiunt; propterea tertius circulus adhibetur, prorſus eodem modo, ut ſecundus. Notandum hoc modo, etiam abſque Magnetica acu, deſcribi poſſe ſitus locorum. Sed multis placet Magnetis adhibitio. Poſterior modus quem nobiliſſimum, paucíſque notum dixi, profecto admirandus eſt. Eo enim vel iter faciens Geographus, vel civitatem aut locum circumiens, inſtrumentum apud ſe habet, quod iter, locum, & diſtantias in charta

abſque ope geſtantis notat. Fit notatio ab acu Magnetica, quæ ſupra caput quod inſidet cuſpidi, tridentem habet, cuius tres dentes lineæ meridianæ reſpcndent, id eſt, longitudini acus. dens ſeptentrionalis plus diſtat à medio dente, quam auſtralis. id ideo, ut cum cuſpis acum excipiens ſurſum pellitur in chartam, (fere tridentem attingentem) ſciatur, quæ pars borealis, quæ auſtralis ſit. Charta digiti eſt latitudine ut dixi, ac tridentem Magneti affixum fere attingit. Deinde poſt ſingulos attactus ſupra rotulam tantum volvitur, ut ſequentem tactũ integra ſui parte excipere poſſit. Nam & chartula ipſa ſupra rotulam voluta eſt, à qua devolvitur ut acus ictus, & notas excipiat. Ferit tridens non ante, quam centum paſſus fecerit homo. Inſtrumentum zonæ alligatur, ac cochlearis maioris formam cum manubrio imitatur, niſi quod non concavum, ſed planum ſit. Circa manubrium, quod inferior illius pars eſt, prominet lamina cum annulo cui funis una pars alligatur. Nam altera ſub genu hominis vincitur, ut dum it, & paſſum progreſſus eſt, trahatur lamina, & rota quædam, quæ centum habet dentes, moveatur, qua circũacta ſurſum truditur acus, & chartam ferit tridens, eamque tribus foraminibus perforat. Acus Magnetica tridentata in ſuperiori parte inſtrumenti, & quæ à manubrio longiſſime diſtat, conſiſtit. Rota quę abſolutis centum paſſibus circumvolvitur, circumſpici per foramen ſatis amplum exterius poteſt: illa conſiſtit in manubrio inſtrumenti, clavum habentis in plano ſua ſuperficie, & pennam, quæ dentibus opponitur, ne dum mota eſt, rota iterum retrocedat. Clavus affigitur rotę, ut dum rota circumvoluta eſt elevet lamellam quandam æream, habentem in ſuperiori extremitate filum æreum, quod pellit Magneticam


ticam acum in chartam. Cuſpis autem cui Magnetica acus incumbit falci innititur, aut æreo ſemicirculo. Inſtrumentum quod ſupra manubrium eſt tres rotas in ſe habet : minor 48. habet dentes, alia 30,& tertia etiam 30. quæ abſolutis paſſibus 3000, hoc eſt, miliari, (nam 3000. paſſuũ pro miliari computantur) circumvolvitur. Secunda rota abſolutis tribus miliaribus, & prima, ſeu minima, abſolutis 12. miliaribus, ſemel circumvoluta eſt. Nec ulterius quid amplius notari poteſt, niſi nova aptetur chartula, & ſupra ſuam rotam volvatur. Abſoluto itinere chartula foraminata ex inſtrumento accipitur, & alio tridente ferreo, cuius dens alter à medio plus diſtet, quam tertius, foramina chartulæ in mappam transferuntur. Sit chartula notata ſequenti modo A littera, & littera C limbus, in qua



dentes tridentis, qui à ſe remotiores ſunt, boream oſtendunt. Ad deſcribendum itaque iter in mappam habeas menſuram 100. paſſuum magnam, vel parvam, ſi parvam velis tabulam. Deinde chartula mappæ (in qua partem ſeptentrionalem prius ſignaſti) ita accommodetur, ut foramina tria in lineam meridianam incidant, hoc eſt, altera pars & latior ſeptentrionẽ, altera auſtrum oſtendat. Tum protrahe lineam, quæ à foramine ad limbum chartulæ ducitur, extra limbum ſupra chartam, ad menſuram

ſuram centum paſſuum. Deinde ad finem horum paſſuum ſequentia tria foramina iterum ſupra lineam meridianam ita conſtitue, ut linea quæ ad limbum ducitur, finẽ lineæ ante deſcriptæ in mappa attingat. tum lineam limbi protrahe ad centum paſſuum menſuram. Id opus perſequendum eſt, donec omnia puncta chartulæ in mappã tranſtuleris. Tranſlata anfractus omnes itineris oſtendent, atque ſupradictæ chartulæ iter hoc modo reperietur.

Initium itineris eſt ad litterã A. finis ad litterã B.



Clarius

Clarius hæc deſcribi non poſſunt: qui valet ingenio, facile id, quod tradidi, aſſequetur. Aliud inſtrumentum iſto elegantius & commodius ab Imperatore Rudolpho II. Domino meo glorioſiſſimo & invictiſſimo inventum eſt. Nam id tranſlatione nulla opus habet, quia mappam ipſam in plano chartaceo, aſpiciente eo qui iter pedes facit, deſcribit. In ſuperiori enim ſui parte vitrum eſt ſub quo tota mappa ſolitariis punctis notatur, quæ non ab acu Magnetica perforantur, ſed ab orbiculo ſub charta latitante, quem cum alio illi adiuncto agitat in hanc vel illam partem Magnes. Id inſtrumentū, quia difficillimum eſt, à me nunc non deſcribitur: nam reſervatur pro volumine & theatro inſtrumentorum mechanicorum.

Uſus Magnetis ad horas in horologiis ſolaribus oſtendendas, à me non explicatur, quod lippis, & tonſoribus notiſſimus ſit.

a *Sunt quidam (quod credo impoſſibile) qui cum remotiſſimis loqui ſe poſſe exiſtimant, permutatione partis carnis ſuæ ex muſculo bicipiti brachii, ejuſque rotundæ, ut in ea circumcirca ſcribi poſſit alphabetū. Hoc facto, ſtatuto tempore, die, ac hora, ſi unus eorum pungat ſe in A verbi gratia, alter, etiamſi deceſſerit in Indiam, ſentiet ſe quoque vellicari in A. Quomodo autem permutatio carnis fiat, conſule Chirurgiam novam curarum Taliacotii.*

b *Libro 34. Naturalis hiſtoriæ cap.* XIV. *littera g.*

c *Libro 36. cap. 26. littera a.*

Cap. CCLV.

De Magnete carneo, quam Calamitam albam vocant.

CAlamita alba ab Italis dicta, lapis eſt albus, ac lineis nigris inſcriptus, qui linguæ admotus illi firmiter adhæret. ego ad Oſteocollas aut poroſos lapides, & qui inter terras & lapides medii ſunt, nec admodum duri, referrem.

Adhæſio enim firma fit, quia humor linguæ ſe immittit intra poros lapidis, ac mollior lapidis pars intra poros linguæ. Hunc *a* Cardanus inter Magnetis genera recenſet, ac ut ille ferrum, ita iſtum carnem ad ſe trahere recenſet, ac iſtius facultatis eſſe, ut ſi ſtyli ferri mucro eo fricetur, ac in muſculi carnem agatur, extracto ferro ſubito vulnꝰ coëat quaſi nullum inflictum fuiſſet. Reperitur in Elba Hetruſci maris inſula, verum ille miracula dicta non præſtat. Refert Cardanus ſe vidiſſe qui præſtaret, ſed dubitat num magica ars adhibita fuerit, nec ne.

a *Libro* VII. *de ſubtilitate.*

Cap. CCLVI.

De Pantarbe, ſeu Magnete aureo.

PLures auctores neoterici Pantarben aurum, ut Magnes ferrum, attrahere ſcribunt. Sed nemo ſe huiuſmodi lapidem vidiſſe, qui id præſtaret, aſſerit. Si in rerum natura eſſet, profecto utiliſſimus eſſet ad venas auri, & theſauros inveniendos. Nam monſtrante lapide ex diverſis partibus locum, in linearum decuſſatione invenirentur. Num itaque ſit, nec ne, diſputari non poteſt: ſi ſit, ſuo tempore eum

eum in lucem promet natura, quæ multa adhuc ignota in ſinu ſuo continet. Plinius lib. 37.cap.10. aureum Magnetem his verbis videtur deſcribere: Amphitane alio nomine appellatur Chryſocolla in Indiæ parte ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro ſimilis quadrata figura, affirmaturque natura eius quæ Magnetis, niſi quod trahere quoque aurum traditur, forte marchaſitæ aureæ ſpecies, quæ facie quadrata, & quaſi auro tincta apparet. *Amphitane.*

CAP. CCLVII.

De Magnete argenteo.

SCribunt nonnulli Magnetis genus eſſe quod argentum trahat, ut vulgaris Magnes ferrum. quos Cardanus falli putat. Quia ſi argentum trahitur à Magnete, id propter ferrum, quod in ſe continet, fieri arbitratur. Ego hactenus lapidem non vidi, neque quiſpiam eſt, qui ſe vidiſſe ſcribat. Cur autem natura æque bene, qui argentum trahat, quam qui ferrum, habere non poſſit, non video, cum rerum varietate ludat, & ſe exornet. Argentum vivum ad ſe trahere aurum, & argentum, Spagyricis & Pyrotechnis iam diu notum eſt. Imo impoſtores chymici, huius rei notitia, multos defraudant. Dum enim Cynabrii partes ſe in argentum tranſmutare poſſe aſſerunt, id cum argenti laminis urunt. vocant id cæmentare. Tum argentum vivum quod latitat in Cynabrio, ad ſe aliquam argenti portionem allicit. qua abſoluto opere reddita, putant, ſe aliquam, ut dixi, Cynabrii partem tranſmu-

mutaſſe. Sed falluntur, cum id argenteis laminis deceſſerit, & ſæpe plus (igne aliquid conſumente) quam extraxerint. Simili fuco multos decipiunt, dum mercurium præcipitatum aureæ patinę imponunt, illumque ſpiritu vini perfundunt. Quo accenſo, & extincto, præcipitatus mercurius excalefactus nonnihil auri ex patina ad ſe nulla viſibili in patina nota aut macula relicta ſugit: qui poſtea eadem forma, qua antea fuit, exemptus, quantum attraxit auri tantum reddit. Quod tamen ex auro attractum eſſe negant chymici, aſſerentes ex mercurii aliqua portione, à vi auri in illum agentis, generatum. Sed id falſum eſt, cum tantum auro deceſſerit, quantum mercurius attraxerit. Ut ergo argentum vivũ metalla attrahit, ita lapides eſſe poſſe qui idem efficiant, nemo negare in tanta naturæ ubertate debet.

Cap. CCLVIII.

De Belemnite officinarum, Lyncurio, & Dactylo Idæo.

Belemnites lapis, ſeu Dactylus Idæus, ſagittæ (quę Gręce βέλεμνον dicitur) effigiem ita exacte refert, ut videatur ferrea, aurea, argentea, aut lignea cuſpis ſagittæ in lapidem verſæ. habet enim interdum armaturam ferrei, aurei, aut argentei coloris, ac intus quid ligno non abſimile, nunc plenus, nunc concavus, ut ligna eſſe ſolēt, & lineas à medulla ad extremitates procedentes, ut in rotis fieri ſolet. Si concavus ſit, intus habet terram, arenam, vel lapidem in conum acutum, turbinatum, etiam concavum, nec minus terra, vel arena repletum. Lapis quem continet Belemnites aurei coloris armatura tectus plerumque conſtat ex cruſtis tanquam membranis quibuſdam, primo latis, mox magis ac magis ſtri-

ſtrictis. Raro etiam pollicis, aut digiti longitudinẽ, & communium ſagittarũm craſſitiem excedit. Inventæ tamen ſunt quædam, humanæ tibiæ craſſitudine, ita ut quis baliſtarum & machinarum bellicarum ſagittas veterum in lapides commutatas non inepte exiſtimare poſſit. In officinis horum lapidum nonnulli Lyncurii vocantur, præſertim illi qui Succini Falerni colorem habent, & pellucent, aut paleas aliaſque res minutas tanquam Succinum ad ſe trahunt. Omnibus à natura ineſt quædam quaſi rima, qua fit ut facilius in longitudinem diffindantur; ſed ea pellucidis quam cæteris magis eſt conſpicua. Germanice vocatur *Alpfeſcht alpſchos*, id eſt, incubi ſagitta, *Schoſtein, Luchsſtein Rappenſtein*. Uſtus hic lapis graveolet, videlicet cornua, vel oſſa uſta, vel felium urinam; & ne uſtus quidem odorem deponit. Dum niger eſt, Coracias, aut corvinus lapis dicitur, Germanice *Rappenſtein*. Maximi interdum Ceraunitis, proprie Belemnitis nomine appellantur. Qui humani digiti magnitudinem habent, proprie Idęi Dactyli vocantur, à digiti ſimilitudine, & ab Ida Cretæ monte. Olim Corybantes vocabantur. Omnes uſti, vel candidi, vel cinerei efficiuntur. Ac ſi confricentur non uſti, cornu bovis lima-


Lyncurii.

Coracias.

Ceraunites.

Idæus Dactylus.

Corybantes.



tum, vel uſtum olent. Omnes iſti lapides ex ampla radice deficiunt in tenuiſſimam aciem, ac ineſt quæ-

quædam quaſi rima; qua fit ut ſi malleo percutiantur, facilius in longitudinem diffindantur. ea in pellucidis magis eſt conſpicua, & interdum aurea armatura veſtitur. Subſtantia omnium fere friabilis eſt, ac plerumque conſtant cortice, & parte interiore carnis inſtar; nonnullis etiam medulla ineſt mollior.

Cap. CCLIX.

Differentiæ, & loci natales.

DIfferentiæ eius plures ſunt. inveniuntur enim albi, nigri, cinerei, pellucidique vini Falerni inſtar, & ſemipellucidi linea per medium diviſa è fuſco candicantes, vel ſubruffæ obſcurius radiatæ, nec adeo fœtentes, quam pharmacopœi pro lapide Lyncis, vel Lyncurio venditant: deinde alii armatura aurea, vel argentea ornati, alii oſſa, vel cornua uſta, vel felium urinam olent, alii nihil. bene olent candidi Hildeshemii, qui in ſe lapidem durum, & nigrum continent Succini odore. Alii intus pleni, alii concavi, alii intus alium lapidem, alii arenam vel terram continent, alii paleas trahunt, ut Lyncurii dicti, alii non. Una invenitur ſpecies intus atra, & leniſſima, nullis radiis, foris albicans, tanquam cruſta è creta inducta, ſubſtantia duriſſima ut & ignem emittat, tanquam ſilex, fœtore nullo magnitudine & figura pollicis ſuperiorem articulum referens. Qui Succini Falerni colorem, & ex altera parte pellucentes, lineam mediam ſecundum longitudinem habent, & ſubruffi, ac parvi ſunt, officinis Lyncurii dicti, in Boruſſia prope Regiomontem magna copia ex monte effodiuntur, ut etiã in Pomerania. Cinerei, & candicantes inter urbem Hildeshemium, & arcem Mariæburgum in Marmore(

Lyncurius.

moreo antro, quod à nanis appellatur, ad ſiniſtram inveniuntur. In foſſa etiam meniorum Hildeshemii generatur lapis hic aurea armatura extrinſece ad radicem conveſtitus, quę ſine arte mirifice nitet, atque imaginem ſpeculi inſtar reddit. In foſſa vero meniorum, quæ ſpectat ſeptentrionem, reperitur Belemnites ſeſquipedis longitudine, ac brachii craſſitudine, à pluribus Ceraunites appellatus. Reperitur Belemnites non ſolum in prædictis, ſed variis Germaniæ locis, ut circa Siblingam pagum, qui Schafuſia Helvetiæ itinere duarum horarum diſtat, & in vicinia ſupra Halloniam, & iuxta Æzingam, in agris aſperis & lapidoſis. iuncti aliquando reperiuntur baſibus. *a* Plinius in Creta ferreo colore pollicem humanum exprimere aſſerit, ac inveniri in monte Ida, unde nomẽ Dactyli Idæi proculdubio obtinuit. Petrus Bellonius ſingularium ſuorũ lib. I. cap. 15. tradit, Dactylum Idęum, ſeu Belemniten, in monte Divi Ioannis dicto prope Luxemburgum oppidum naſci tanta copia, ut cum Gallorum Rex Franciſcus munimentum eo in monte extrui iuſſiſſet, foſſores cum ad profunditatem trium paſſuum fodiſſent, nihil uberius invenerint, eoſdemque falſo lapidum Lyncis nomine pharmacopœis vendiderint. Gippingæ in ducatu Wirtembergenſi quatuor miliaribus à Tubinga in magna copia ex agris inter arandum hi lapides eruuntur.

Ceraunites.

Locus.

a *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera m m. Lyncurii etiam meminit Petrus Andreas Matthiolus in Dioſcorid. lib. 2. cap. 74. qui ibidem plura tradit.*

CAP.

Cap. CCLX.

Facultates, natura, & dignitas.

Diximus ſupra, Belemnitem ab Ephialte & ſagitta Germanice dici *Alpſchos*. putant enim Germani, potum contra huiuſmodi ſuppreſſiones noctiſque ludibria valere, ac faſcinationibus occurrere. Boruſſici & Pomeranici chirurgi curant vulnera, ac medici Saxones & Hiſpani calculos non aliter, quam lapide Iudaico frangunt. Putatur etiam ad pleuritidem, quia mucronem habet, valere, & ad dentes expurgandos, ſi uſtus fuerit. Sunt qui oculis equorum ad exterendas cicatrices, uſtum inflent. A pharmacopœis pro lyncurio lapide expetitur, præſertim minor, qui ſemipellucidus eſt, ſubruffi coloris, ac cum media linea ſecundum longitudinem.

Ad calculum.

Cap. CCLXI.

De Ceraunia.

Ceraunias (inquit *a* Georgius Agricola) ex e[illegible] nomen invenit, quod cum fulmine, ut vulgu[s] credit, decidat. Caret ſtriis, & lineis, atque in ho[c] differt à Brontia. Lævis eſt, nunc rotundus, nun[c] oblongus. Eius genera coloribus diſtinguuntu[r] Germanice *Straalhamer*, *Donnerſtein Schlegel*, *Do[n]nerkeil, Stralkeil, Stralpfeil*, & *Stralſtein* appellant, im[o] aliqui *gros krottenſtein* vocant. Itali *ſagetta*, quo no[mine] etiam Gloſſopetram appellant. Longi ſu[nt] ſæpe digitos quinque, lati tres in ea parte qua lati[s]ſimi ſunt. Cuneum plane referunt. Craſſitudo e[st] pollicaris. Interdum in medio corporis graviſſimi & duriſſimi ſunt, ſilici vulgari, ex quo ignis ex[cu]

cut

cutitur, ſubſtantia ſimiles, interdum tam duri ſunt, ut limam non ſentiant. Carent omnes ſtriis, & lineis, atque in hoc differunt à Brontiis, quos aliqui fulmine deiici putant. Plerumque omnes ea in parte, in qua æquilibrium lapidis conſiſtit, foramen pollicis, aut maiori craſſitudine ſi magnus ſit lapis, habent; idque exacte rotundum eſt, eaque conſtitutione, ut una pars foraminis latior ſit altera parte, non ſecus quam in malleis arte factum foramen conſpicitur. Ea enim pars, quæ manui percutientis proximior eſt, & per quam lignum intromittitur, altera foraminis parte latior viſitur. Quia autem omnes iſti lapides, vel malleo, vel cuneo, vel ſecuri, vel vomeri, vel ſimilbus inſtrumentis foramina habentibus pro immittendo manubrio, forma ſimillimi ſunt, nonnulli non fulminis eſſe ſagittas, ſed ferrea inſtrumenta, in lapides longo tempore mutata, exiſtimarunt. Illorum profecto opinionem probarem, niſi multi fide digni viri reclamarent, qui poſtquam à fulmine ictę domus aut arbores ſunt, ſe tales lapides in ictus loco reperiſſe aſſerunt. *b* Kentmannus Ceraunium lapidem per molam venti Torgæ anno 1561. Maii 17. fulmine proiectũ narrat, qui è terra erutus, latitudinis fuit trium digitorum, longitudinis quinque, Biſalte lapide, quo in Germania in locis ubi effoditur incudis loco utuntur, durior. Idem auctor prope arcem Iuliam aliũ lapidem per ingentem quercum deiectum, & effoſſum, atq; in pago Siplitz eodem modo per quercum traiectum effoſſum, & quæſtori Torgenſi dono datum refert. *c* Geſnerus lapidem è cœlo delapſum anno ſalutis 1492. Enſishemii in templo ſuſpenſum ſervari pondere trecentarum librarum ſcribit. Audivi etiam à multis, ſe præſentes fuiſſe, cum poſt fulminum ictus huiuſmodi lapides

effoderentur; penes quos omnes fides maneat. Extant de hoc lapide verſiculi ſequentes, prioris ævi barbariem olentes:


Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus æther,
Nubibus illæſus cœlo cadit iſte lapillus.
Qui caſte gerit hunc, à fulmine non ferietur,
Nec domus, nec villæ, quibus adfuerit lapis ille.

In nubibus lapides generari.

Tam conſtans eſt fama fulminis eſſe ſagittam, ut ſi quis hanc vulgi opinionem refellere velit, inſipiens videatur. Sed quo pacto in nubibus huiuſmodi lapis, & tam gravis generari poſſit, multi mirantur. Phyſici hunc modum tradunt. Exhalatio fulgurea, & fulminea, cum metallica quadam materia miſta, in nube plerumque viridi, aut nigricãte conglobatur ab humore circumfuſo, & conglutinatur, ſicut farina conglutinatur in maſſam ab infuſa aqua. Deinde vero ſuperveniente intenſiſſimo calore, partim ex Sole, & ſtellis, partim ex antiperiſtaſi, illa fulminea maſſa ſubacta quaſi excoquitur, & ab igne fulgureo in ſolidiſſimum corpus lapideum induratur, ſicut lateres ex luto humectato compacti coquuntur, & in lapideam formam ab igne in lateritia fornace ardente indurantur. Fulminis autem telum acuminatur eo, quod humidum admiſtum, à ſicco effugere nitens, ad inferiora tendat, ibiq; reprimatur: ſuperiore vero parte denſius redditur, quia ſiccum ibi conglobatur. Lapis itaque Ceraunias cum adiuncta exhalatione in nube ab humido frigido circumſtante ita preſſus, ut in tam parvo loco amplius conſiſtere non poſſit, nubem in qua tanquam in ovo concluſus eſt, rumpit, tonitrum, & fulgur efficit, ac in obvia quævis celerrimo motu fertur, quæ ſcindit, diſſipat, inflammat, atque proſternit. Sed ſi hic verus modus eſt quo lapis ille generari inter nubes poteſt, mirum eſt quod

quod rotundus non ſit ex omni parte, & quod foramen habeat circa mediam partem, idque non æquale, ſed altera parte latius. Lapides tam ſubito naſci tali duritie, tantoque pondere, in nubibus un-

Cerauniæ figuræ.



dique perviis, vix credibile eſt. Tempeſtatum vi ex rupibus ad nubes tolli, ac deinde in terram proiici, æque difficulter admittit ratio.

a *Libro V. de Natura Foſſilium cap. 13.*
b *Hæc verba habentur in Conrado Geſnero de Foſſilibus (edit. ut cap. 52. huius libri monuimus) fol. 62. verſo.*
c *Libro de Foſſilibus fol. 66.*

Cap. CCLXII.

De Cerauniæ differentiis, & loco natali.

CErauniç genera coloribus diſtinguuntur. Nam alii ſunt candidi, & pellucentes: alii fuſci, nigri, vel rubei. Plinius, poſt Cerauniæ gemmæ mentionē, inquit: Sotacus & alia duo genera fecit Cerauniæ, nigras, rubenteſque, ac ſimiles eas eſſe ſecuribus: per illas quæ nigræ ſunt, & rotundæ, urbes expugnari, & claſſes, eaſque betulos vocari; quæ vero longæ ſunt, Ceraunias. Faciunt & aliam raram admodum, & Parthorum Magis quæſitam, quoniam non aliubi inveniatur, quam in loco fulmine icto. Ad Albim Germaniæ inveniuntur Cryſtallo ſimiles infecti colore cæruleo, diverſaque forma, nonnunquā pyramidis, ut repræſentent turbinem ſaccharinum, nonnunquam cunei, diſci, mallei, ſecuris, vomeris, & clavæ inſtar. Interdum cuneiformis Ceraunias colore viridi repertus eſt. Inveniuntur etiam qui Belemniten referunt, quem aliqui, ſi maior ſit, utpote ſi proprie Belemnites dici debet, tonitru deiici autumant, ac propterea Germanice etiam *Donnerſtein* appellant. Reperitur Ceraunias in variis Germaniæ locis, & in Hiſpania candenti colore ut ignis ferme.

Cap. CCLXIII.

De natura, & facultatibus Cerauniæ.

HOc proprium, ac admiratione dignum (ſi verum ſit) Cerauniæ tribuitur: quod filum, illi ita applicatum ut nuſquam duplicatum omnes eius partes tegat, ſi prunis ardentibus imponatur, uri non poſſit, ſed madeſcat, atque ea ratione deprehen-

hendatur num genuinus ſit, necne. Exiſtimant Germani, lactentes pueros, ſi herniis corripiantur, lapide cunis impoſito reſtitui, aut ſi vitiū hoc nondum ſuſceperint, ab eo præſervari. Marbodeus eum, qui caſte hunc lapidem gerit, præcedenti verſiculo indicat, neque ipſum, neque domum in qua eſt, à fulmine feriri. Fertur etiam ſomnum provocare, & valere ad prælia, cauſaſque vincendas. *Ad hernias.*


Cap. CCLXIV.

De Chelonitide, Brontia, & Ombria.

CHelonitis, Brontias, ſeu Ombrias, Germanice *gros krottenſtein* vocantur, alias *donnerſtein*, vel *VVetterſtein*. Putant enim, aliquando tonitru, aliquando tempeſtate, & pluviis abſq; tonitru, deiici hunc lapidem. Qui tonitru deiicitur, Brontiam, qui imbre, Ombriam vocant, quaſi diverſę ſint ſpecies, cum tamen non ſint. Differunt tamen hi lapides inter ſe ſæpe colore, & forma, ut multis aliis contingit. Nam alii ſunt ſublutei, ſubvirides, ſubfuſci, aut alterius coloris. Figura ipſius hemiſphærica, raro oblonga, interdum ovi magnitudine, ſed ſæpius minor eſt. De his *a* Agricola. Nonnullis bini ſunt circuli inſtar modioli qui ſupra axim rotarum movetur, & radios rotæ ſuſtinet; à quorum modiolorum ſuperiori parte, quinæ lineæ eminentes æqualibus inter ſe ſpatiis diviſæ procedunt ad inferiorem, quarum ſingulæ utrinque ſtriam habent. Totidem rurſus lineæ eminentes à ſuperiore circulo per media ſpatia diſcedunt ad inferiorem, è quarum ſingulis utrinque multæ lineæ tranſverſæ pertinent ad ſtrias proximas. Inter eas autem ſemper ſunt humilia ſpatia quadrata. Aliqui vero tantum modo habent has poſtremas quinas lineas de-

ſcendentes cum multis tranſverſis, & ſpatiis non admodum longis: reliqua autem media ſpatia tota eminent, carentque & lineis, & ſtriis. Nonnulli eodem modo ſe habent, niſi quod linearum loco habeant ſtrias, & quod ſpatia tranſverſa emineant. Scribit *b* Plinius Brontiam capiti teſtudinum eſſe ſimilem, ſed mihi teſtudinis corpus potius referre videtur: ut quis exiſtimare non inepte poſſit, eſſe nuper ex ovis excluſas teſtudines in lapidem converſas. Sunt enim hemiſphærica figura teſtudines, & convexum operimentum variis quadrangulis diſtinctum habent, quod in minoribus ſtrias referre poteſt. Deinde eum habent plerumque colorem, quem teſtudinum chelys, ut & à forma non inepte

Chelonitis. Chelonitidis nomen habeant. Ab hoc lapide Ceraunias, ſi ſimili forma hemiſphærica ſit, differt,



quod lævis ſit, & nullas eminentias habeat. Ombriam volunt quidam à Brontia diſtinguere. Quod hic magnas eminẽtias habeat, ille exiguas. Ab Ovo

Ovum Anguinum. Anguino Brontias differt, quod Ovum caudas ſerpentum in unum punctum concurrentes videatur habere, Brontias vero lineas tantum. Ut tamen dicam quod ſentiam, puto ovum anguinum à Brontia tantum exteriori forma diſtingui.

a *Libro v. de Natura Foſſilium cap. 13.*

b *Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap. x. littera o.*

Cap. CCLXV.

Vires & facultates.

PRædicatur Brontias, vel Ombrias, omnes eas habere facultates, quas lapis Bufoni⁹, Belemnites, & quas Ovum Anguinum, fortaſſis quod aliqui à Bufone generari, alii à fulmine deiici, alii ab Anguinum ſufflatu generari opinentur. Id ſi verū ſit, prohibebit ne quis à fulmine lædatur, aut à veneno intoxicari poſſit. Veneno enim præſente Bufonis lapis ſudare, ac prodere venenum, nec non Belemnites ſomnum, victoriamque conciliare geſtanti dicitur. Virtutes ſane non contemnendæ ſi illas habeant, ſed fides ſæpe veritate maior.

Cap. CCLXVI.

De Marmoribus.

MArmor lapis eſt inſigniter durus, ac ad ſplendorem ſuſcipiendum ſi poliatur ita aptus, ut ſtatuæ, vel columnæ egregie nitentes inde ſculpi poſſint: Græce μάρμαρος, παρὰ τὸ μαρμαίρειν, id eſt, à ſplendore ſic vocatur. Germanice *ein marmelſtein* dicitur, idque nomen omni fere in lingua ſervat. Duritiem habet marmor propter optimam concretionem, ac nitorem propter materiæ æquabilitatem, & puritatem. Concreſcit autem beneficio exhalationum, & aquarum, quæ ſubtiliſſimam terram ſubingrediuntur. Exhalatio colores ſuppeditat, calore agens in materiam, & aqua partes unit, & coniungit: qua expreſſa, elapſa, vel exſiccata, indureſcit lapis. Aqua huiuſmodi raro ſimplex eſt, ſæpe enim nitro, ſale, aliove metallico liquore imbuta

eſt, ut terreas partes minuere, & melius coniungere poſſit. Ad promovendam autem Marmoris generationem non ſolum calor, ſed interdum frigus ſubterraneum, aut remiſſus caloris gradus, ut melius compingi materia poſſit, neceſſarius eſt. exiccat enim ſæpe frigus, & humorem ſuperfluum cogendo è materia exprimit. Pro exhalationum, & materiæ accurrentis diverſitate, varia Marmorum genera fiunt. Si materiæ non unius generis ſint, ac lapilli molliores, vel duriores, terreis particulis miſceantur, Marmora fiunt ignobiliora, ac quodammodo ſcabioſa, non æqualiter cohærentibus partibus. Iſta commode ſculpi non poſſunt, quod ſilicis inſtar diſſiliant; & recte Granulata vocari poſſunt. Omne fere Marmorũ genus cum primum eruitur è fodinis mollius eſt, ac tempore poſtea adeo indureſcit, ut vix ſcalpi poſſit, idque omnibus lapidibus commune, ut ætate magis indureſcant. Quædam tamen Marmora citius, quædam tardius indurantur, ac longo ævo iterum emolleſcunt, exeduntur, tandemque in terram reſolvuntur. Marmoris omnes partes non eodem tempore ſemper generantur, ſed interdum ſucceſſive: Sæpe enim Marmoris particulę, variis coloribus ab exhalationibus tinctæ, primum indurantur: deinde accedente nova exhalatione, & materia tanquam calce, particulæ illæ ferruminantur, ac tota maſſa in unum lapidem diſtinctis maculis, & coloribus, coit. Si exhalatio tenuis, & ſubtilis fuerit, ac intimas partes penetraverit, optimus, æqualis, & exactus lapidis fiet coalitus. Coloris varietas in Marmore, exhalationis varietatem oſtendit. Deinde facile quivis notare poterit, in eodem Marmore, quæ ſimul aſcenderit, & concreverit, quæque poſterius advenerit, ac quæ corpus ferruminarit. Sed, ut dixi paulo ante, exhalatio

Granulata Marmora.

latio ſola, abſque minerali ſucco, cuius vehiculum aqua eſt, id vix præſtare poteſt, exemplo calcis, & arenæ. Ferruminatur enim arena cum calce, ſimplici quidem aqua: verum dum iis commiſcetur, ſale & nitro calcis prægnans fit, ac utriuſque ſubſtantiam in aquam ſolvit, atque in ſe recipit. Deinde utramque materiam humectans ſubit, complectitur, iungit, & unit. Quo facto in auram ipſa aqua evaneſcit, relicto nitro & ſale, diffuſis per calcis & arenæ omnes partes, à quibus illæ tandem omni humido privatę firmiter connectuntur, & lapideſcunt. Marmorum genera multa ſunt, cum nulla certa illis figura, neque color ſit. Aliqua alba ſunt ut Parius lapis, & Alabaſtrites. Alia nigra ut Baſaltes, & Lydius lapis, alia variis coloribus, ut Porphyrites, Ophites, & cæteri, de quibus ſequentibus capitulis agam.

Cap. CCLXVII.

De Pario marmore.

Marmoris eximii ſpecies eſt Parius lapis ab Inſula Paro, vel ſculptore Agoracrito Pario nominatus, qui Venerem ex eo lapide primus ſculpſit. Hodie *VVeiſſer marmelſtein* vocatur, ac à nonnullis ei Alabaſtri nomen tribuitur: cum tamen Alabaſtrũ varios colores habeat, & longe mollius Pario ſit. A veteribus etiam Lychnitis appellabatur, quod, Varrone teſte, ad lucernas in cuniculis cæderetur. *Lychnitis.* *a* Cardanus omne Marmoris genus fere Parium vocat: ſed candidiſſimum, duriſſimum, & quod politum egregie ſplendet, Parium ſolum vocari debet, ſimilitudine veri Parii Marmoris, quod ſolum in Paro inſula reperiebatur, ac vix unquam humanam magnitudinem mole ſua ſuperabat. Re-

peritur nunc in variis Italiæ locis. Parii lapidis duo ſunt genera. Alterum tranſlucens, alterum non. *Phẽgites.* Prius, Phengites *b* Plinii, eſt in Cappadocia repertum, ex quo Nero ædem Fortunæ, quam Seiam, à Servio rege ſacratam appellant, conſtruxit. In ædibus illis interdiu claritas ibi diurna fuit, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa: prorſus eodem modo, quo per chartam ſimplicem, non tranſparentem, nec oleo inunctam, lux tranſmittitur. Ab Alabaſtro vulgari tantum duritie diſtat, & ſplendore cum politus eſt. Nam vulgare Alabaſtrum etiam lucem tranſmittit. Effoditur candidiſſimum Marmor in agro Lunenſi Hetruriæ, quod Carrarienſe vocatur ab oppido vicino. Ex eo Piſis in templo D. Ioannis Baptiſtæ ſpectatur pulpitum variis ſtatuis inſculptum nitore eximio, ad Alabaſtritis genera referendum ſi molle ſit.

a *Libro* VII. *de ſubtilitate.*
b *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 22. littera d.*

Cap. CCLXVIII.

De Alabaſtrite, & Alabaſtro vulgari.

ALabaſtrites, ſeu Alabaſtrum veterum, olim inter Marmoris ſpecies referebatur: meo tamen iudicio ab illis, ſi non colore, duritie diſtingui poteſt. Mollior enim eſt, ac ita ut vaſcula ad unguenta ſervanda inde fieri poſſint; unde nomen obtinuit. Si tam mollis ſit, ut cultro ſcindi poſſit, etſi vulgo Alabaſtri nomine appelletur, (quod nomen omnibus fere linguis ſervat) tamen Gypſi potius ſpecies eſt. Videtur, dum ita molle eſt Alabaſtrum, incoctus eſſe Alabaſtrites, & ille, incoctum & imperfectum Marmor. Omni enim dubio procul dum incipit

cipit Marmoris generatio, primo ipſius ſubſtantia lutoſa eſt, ac paulatim per gradus magis magiſque indies indureſcit, donec in ſolidiſſimum Marmor evadat. Alabaſtrum vulgare ab Agricola interdum Germanice *ſpat* vel *gyps* appellatur. Cum egregium eſt, & pulchrum, Alabaſtri nomen retinet.

Cap. CCLXIX.

Differentiæ Alabaſtritidis, locus ubi inveniatur, & uſus.

OMni genere colorum invenitur Alabaſtrites. Circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ candidiſſimus invenitur. Præſtantiſſimus in Caramania, India, & Aſia. Probantur *a* Plinio maxime mellei coloris in vertice maculoſi, atque non tranſlucidi, vituperantur, quæ corneum habent colorem, aut vitro ſimiles ſunt. Eximii candoris ſunt Lydini vocati in Tauro reperti, amplitudine, qua lances, crateraſque non excedant: antea ex Arabia tantum advehi ſoliti. Coralicius in Aſia repertus, candorem eboris habet, eiuſque ſimilitudinem. Alius ab unguis humani colore, Onyx dictus eſt, qui à gēma illius nominis, magnitudine, mollitie, & uſtione differt. Uritur enim Alabaſtrites, nequaquam Onyx gemma. Inter Arabiæ montes primum inventus fuit, poſtea tempore Plinii in Italia, ubi ex eo fiebant vaſa potoria, pedes lectorum, ſellæ, amphoræ, urcei, & ſimilia. Ex hac ſpecie etiam columnæ inventæ fuerunt. Ad Alabaſtriten referri poteſt Alabandicus niger Mileti naſcens, ad purpuram aſpectu declinans, quia igni liquatur, ac funditur ad uſum vitri. Alabaſtrites Thebaicus dictus, intertinctus aureis guttis invenitur in Africæ parte Ægypto aſſcriptæ, coticulis ad terenda collyria

a *Lib. 36, cap. 22.*

Onyx.

ria quadam utilitate naturali conveniens. Circa Syenem vero Thebaidis adhuc alius reperitur Syenites, alias Pyrrho pœcilon dictus, ex quo trabes fecere reges, obeliſcos vocatos Solis numini ſacratos. Hoc tempore candidum Alabaſtriten fert ager Lunenſis in Hetruria, is Marmor Carrarienſe vocatur à vicino oppido. Ex eo conſtitutum pulpitum, variis figuris inſculptum nitore eximio Piſis in templo D. Ioannis Baptiſtæ. Fert etiam candidum ager Patavinus, ſed omnibus aliis præferendus Ratisbonenſis, è quo tabulæ menſarum fiunt, & ex quo ara Annębergica cõſtructa eſt, eximia pulchritudine lapis. Candidiſſimus etiam in Thermis Carolinis reperitur, ac Ebori ſimilis Hildeshemii cinerei coloris, & ſubviridis Zeblicium Marmor vocatum, Germanice *Serpentenſtein*, quod in Miſnia invenitur, & ex quo pocula, & cochlearia fiunt. Ego id Alabaſtrum Ophiten vocarem. Varii coloris variis in locis Germaniæ, Italiæ, & Hiſpaniæ inveniuntur ad vaſcula formanda. Ut Alabaſtritidis, ita Alabaſtri varia ſunt genera, quod tanto mollius eſt Alabaſtrite quanto ille mollior Marmore. Hoc videtur propriũ Alabaſtro, præſertim candido, quod uri, ac in Gypſi locum (cuius ſpecies à nonnullis ſtatuitur) ſuccedere poſſit, ob quam cauſam etiam Germanice, ut ante admonui, à nonnullis *Gyps*, vel *ſpat* vocatur. Mihi tamen magis probatur (cum & Alabaſtrites uri poſſit) ſi tantum mollitie differre ab Alabaſtrite ſtatuatur, ut videlicet Alabaſtrum cultro ſcindi, Alabaſtrites non poſſit, aut ſi mavis, Alabaſtrites impoſita unguenta, vel humorem in ſe non trahat, Alabaſtrum vero plane in ſe ſorbeat, ut interdum per corpus ipſius tranſudet. In Volaterano, ſicut in Miſnia, in Burgundia, ad S. Claudium, multiſque aliis Europæ locis Alabaſtrum effoditur pul-

Marmor Carrarienſe. *Zebliciũ.* *Ophites.* *Locus.*

pulcherrimum, & candidiſſimum. Volateranum facillime uritur, nec ingenti mole reperitur. Id aliquando Onychis inſtar pellucet, fragile admodum, ac aſpectu, quia varium, gratiſſimum. Variis præterea coloribus, Iaſpidis inſtar, prope Moguntiam invenitur, ex quo monumenta, & Epitaphia fiunt viſu iucundiſſima. Molle eſt admodum, ac potius nondum perfectus Iaſpis, quam imperfectum Marmor videtur. Vividos enim habet colores, ac fruſtulis non magnis (ut in Marmore) ſed exiguis, interiectis etiam venis ſubtilioribus, diſtinguitur.

Cap. CCLXX.

De Alabaſtritis & Alabaſtri viribus.

ALabaſtrites lapis in vaſcula aptatus, optime impoſita unguenta, ne corrumpantur, conſervat. Qui Onychis colorem habet, uſtus, ac reſinæ commixtus, *a* Dioſcoride teſte, durities reſolvit, ac cum cera mixtus dolores ſtomachi compeſcit, gingivas adhibitus conſtringit. *b* Galenus etiam ad ventriculi dolores propinari aſſerit.

Alabaſtrũ candidum in pulverem redactum, ac cum lacte ebibitum ſcrupuli pondere, dyſenterias, alvique fluxus certo experimento ſanat; vehementer enim conſtringit. Si magna copia ſumatur, Gypſi inſtar, nocere poteſt. Uſtum quia humore quovis concreſcit, intrinſecus ſumi non poteſt; ſtrangulat enim, vel gravi dolore ventriculum premit. Aqua in qua ſolutum eſt Alabaſtrum uſtum, oculorum lachrymis exiccandis non parum prodeſt, omneſque alias, quas Gypſum, obtinet facultates. *Ad dyſenterias, & alvi fluxus.*

a *Libro*

a *Libro* v. *de re medica cap.* 110.

b *Galenus lib.* ix. *de ſimplicium medicament. facultat. Notandum, ex hoc lapide ſumpſiſſe nomen Vnguentum Alabaſtrinum Benedicti Victorii Faventini, deſcriptum in Empirica ſua cap.* 1. *de dolore capitis, quod iam in frequenti uſu eſt, prodeſtque in omni dolore capitis, ſive per eſſentiam, ſive per conſenſum, ſive febris adſit, ſive non: ac in omni tempore paroxyſmi, excepto principio.*

Cap. CCLXXI.

De cinereis Marmoribus.

IN Germania & Italia cinerei coloris variæ Marmoris, Alabaſtritidis, & Alabaſtri ſpecies reperiuntur. Hildeshemii effoditur quod cornu uſtum oleat, aliud quod incolę ſerpentinum vocant, venis, punctiſque candidis, flavis, & nigris diſtinctum. id *Zeblicium.* Zeblicium ab oppido Miſenæ in Saxonia ab Agricola vocatur. De quo plura, quia plerumque viride eſt, ſcribam in cap. de viridibus Marmoribus, ubi *Tiberium.* etiam Tiberium & Auguſtum Marmor deſcribam, *Auguſtum.* quæ videntur cinerea fuiſſe. Reperitur aliud Rochlicianum, interdum maculis luteis ornatum, interdum nigris, quæ ſunt cornicum ungulis ſimiles. In Italia aliud eſt nigris maculis, quæ ſerpentibus ſimiles ſunt.

Cap. CCLXXII.

De nigris, fuſcis, ac lividis Marmoris ſpeciebus.

Chryſitis. Alabandinus. Obſidianus. Buga. INter nigra Marmora narratur Baſaltes, ſeu Baſanites, lapis Lydius ſeu Chryſitis, Alabandinus, de quo in capite de Alabaſtrite egi. Obſidianus lapis, Buga Hiſpanorum, & veterum Marmor Numidicum,

cum, quod interdũ liveſcit, interdum flaveſcit. Lividum eximie ſplendet: tale Piſis in templo cathedrali conſpicitur. Nam ex eo Herculis ſtatua à Piſanis ex Numidia tranſlata, Marmorei ſuggeſti fulcrum, vice columnæ eſt. De eo *a* Plinius ita ſcribit: M. Lepidus, Catuli in ſenatu collega, primus omnium limina ex Numidico Marmore in domo poſuit magna reprehenſione. Hoc primum invecti Numidici Marmoris veſtigium invenio, non in columnis tantum, cruſtiſve, ut Mamurra Caryſtium Marmor poſuit, ſed in maſſa, ac viliſſimo liminum uſu. Ex Numidico flaveſcente multæ columnæ Romæ extant. Nigrum Marmor eſt Luculleum à Lucullo conſule dictum, qui primus id Romam invexit ex Nili inſula, ubi reperitur. Obſidianus lapis nigerrimi coloris, ab Obſidio primum inventus in Æthiopia, Marmoris genus eſt. Hic aliquando tranſlucet, craſſiore viſu, atque in ſpeculis parietum pro imagine umbras reddit. Gemmas multi ex eo faciunt, teſte Plinio. Qui ſic inquit lib. 36. cap. 26. Videmus (ſupple, ex Obſidiano) ſolidas imagines D. Auguſti, capti materia huius craſſitudinis: dicavitque ipſe pro miraculo in templo Concordiæ Obſidianos quatuor elephantos. Remiſit & Tiberius Cęſar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi in hæreditate eius qui præfuerat Ægypto, Obſidianam imaginem Menelai. Ex quo apparet antiquior materię origo, nunc vitri ſimilitudine interpolata. Xenocrates Obſidianum lapidem in India, & in Samnio Italiæ, & ad Oceanum in Hiſpania naſci tradit. Huic non diſſimile Marmor effoditur Seravitiæ & Carrariæ in Hetruria, adeo nigrum, ut cum perpolitum eſt ſpeculi inſtar ſinceras imagines reddat. Huiuſmodi Piſis ad valvas Eccleſiæ cathedralis conſpicitur. In Seravitia fodina extant

a Lib. 36. cap. 6.

Luculleum.

Obſidianus.

tant

tant atra Marmora, diſtincta venis candidis, & aureis. Ex priore Marmore quod venas albas habet, duæ columnæ poſitæ in campo ſancto Piſano, ad monumentum, quod Gregorius 13. Pont. Max. fratri poſuit, extant. Vocant Itali hoc Marmoris atri genus Paragone, quia eo lapidis Lydii vice utuntur ad aurum examinandũ. Reperitur huiuſmodi nigri Marmoris genus etiam in Belgio, quod à Belgis *Toutſtein*, à Gallis *Pierre de touche*, à Germanis *probierſtein* vocatur, quia examinando auro & argento, quorum ſignum ad ſe rapit, utile eſt. Ex hoc Marmore monumenta aliquot, & ſedes tres egregie elaboratæ, ſplendentes, & nigerrimæ, in choro tẽpli cathedralis in urbe celeberrima Brugenſi ſpectantur. Ex eodem lapide Tumba illuſtriſſimi ducis Mauritii electoris dicitur conſtructa, & tabulæ nonnullæ in quibus epitaphia inſcribuntur. Invenitur etiam atrum Marmor in Belgio, quod ſulphur; & aliud, quod cornu uſtum olet. Atra Marmora Annębergæ, Ratisbonæ, & prope Galliæ Andegavum, aliiſque multis in locis inveniuntur.

Paragone.

a *Libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. VI. littera b.*


Cap. CCLXXIII.

De Baſalte, aut Baſano atri Marmoris genere.

BAſaltes à *a* Plinio ad Marmora refertur, quia exactiſſime poliri poteſt. Marmoris itaque genus eſt duriſſimum, limis reſiſtens, ferrei coloris, à baſal, quod Æthiopice ferrum ſignificat, ſic dictum. Appellatur etiã Baſanus à Βασανίζω, id eſt, diligenter examino, quia eo argentum, & aurum examinatur, & probatur, non minus, quam Lydio lapide. Germanice vocatur *ein Meiſner probierſtein*, aut *ein Meiſni-*

a *Lib. 37. cap. 7.*

Meiſniſcher harter eyſenfarbner marmer. Creſcit forma & craſſitudine ligni mediocris, ſingularis quidem, verum copioſus, atque ita iunctus, coaptatuſque, veluti ſi à fabro lignario commiſſus eſſet. ſeptem, ſex, quinq; nonnunquam, ſed rarius quatuor habet angulos. figura eſt trabis erectæ, foris lævis & tactu minime aſper, ferrugineus, ponderoſus, duritie Adamantina. De Baſalte Plinius hoc modo:



Invenit Ægyptus in Æthiopia, quem vocant Baſal-

ten,

ten, ferreo colore, atque duritie, unde & nomen ei dedit. Nunquam hic maior repertus eſt, quam in templo Pacis ab Imp. Veſpaſiano Auguſto dicatus: Argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur. Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis ſtatua dicatus: quem quotidiano Solis ortu contactum radiis, crepare dicunt.

Cap. CCLXXIV.

Vbi reperiatur Baſaltes, eiuſque uſus.

SCribit Plinius in Æthiopia gigni hunc lapidem. Nunc in variis Germaniæ locis reperitur, in Sileſia extra Laubam ad Quiſſum fluvium, *im Steinbruch vorm Brüder thorn*, quinetiam in pago Wiſe ad Gryphimontium, nam *Gryffenſtein* arx ſuper eiuſmodi ſaxum extructa eſt, quamvis paululum degeneret. Baſaltis lapidibus coagmentatis, à terra ulnas decem & ſeptem exſtantibus, arx Stolpa (quæ Electoris Saxoniæ eſt, in finibus Bohemiæ, tribus milliaribus à Dreſda diſtans) cum adiunctis ædificiis inſiſtit, aëri undique libere expoſita. Inde fruſta decutiuntur magna vi, quibus fabri ferrarii, bractearii (qui aurum in folia verberando extenuant) & librorum colligatores, ad artificia ſua incudis vice utuntur. Verum ea ad uſum prius ſic aptantur. Poſtquam decuſſa fuerint, ſerra ænea non dentata, ſed obtuſa, ſcinduntur, aut ſecantur: inter ſerrandum arena continuo interſeritur, ac aqua affunditur: ita æs durum remanet,

Bractearius quid ſit.

Modus ſecandi Baſalten.

manet,quod abſque aqua,continuo affrictu incaleſceret,& emolleſceret,& arena ab ære duriore preſſa lapidem ſecat. Sed aliquot diebus opus eſt antequam huiuſmodi lenta ſectio perficiatur. Redigitur hic lapis in coticulas,auri & argenti examinandi gratia, tum Baſani nomen ab officio, non minus quam Lydius lapis, qui ſolus huic muneri olim dicatus videbatur, meretur. Obſervavi omne nigri Marmoris genus ad examinanda metalla uſui eſſe poſſe, facile enim metallorum ſigna ad ſe rapit, ut in capite de nigris Marmoribus oſtendi.

CAP. CCLXXV.

De Lydio lapide.

LYdius lapis, Germanice *ein probierſtein*, Gallice *vne pierre de touche*, à Lydia regione unde adferebatur, Baſanus ab officio, quod eo metalla examinarentur, Chryſitis,quia auro probando inſerviebat, & Coticula; quia tali forma in uſum aptabatur, olim appellatus fuit. Atrum, & ferreum habet hic lapis colorem, interdum rufum; ad polituram aptus; quamobrem inter Marmoris ſpecies etſi numeretur, non peccatur. De eo *a* Plinius ita: Lapis quem Coticulam appellant, quondã non ſolitus inveniri,niſi in flumine Tmolo, ut auctor eſt *b* Theophraſtus: nunc vero paſſim,quem alii Heraclion,alii Lydium vocant, quaternas uncias longitudinis,binaſque latitudinis non excedit. Quod à Sole fuit in eo, melius, quam quod à terra. a *Lib. 33. cap. 8.* *Coticula.* *Heraclio.*

Hac Coticula periti, cum è vena vi limę rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri ſit in ea, quantum argenti,vel æris, ſcrupulari differentia, mirabili ratione non fallente. Probatur lapis hic, ſi politus, in halitu hominis ſudet proti- *Proba lapidis.*

nus, nubemque diſcutiat. Hodie ad auri explorationem nigro Marmore, vel Baſalte, ut dixi, utuntur. Item in Italia ſubviridi quodam lapide quem *verdello* vocant. Inveniuntur paſſim in variis Germaniæ locis circa flumina Cotes nigerrimæ, quæ expolitæ lapidis Lydii vices ſupplent, ac pro iis haberi poſſunt.

Verdello.

b *Libro περὶ λίθων.*

Cap. CCLXXVI.

De Marmoribus viridibus, & cinereis.

a *Lib.* 36. *cap.* 7.

INter viridia Marmora *a* Plinio auctore, pretioſiſſimi generis Lacedæmonium viride, cunctiſq; hilarius, ſic & Auguſtũ, ac deinde Tiberium, in Ægypto, Auguſti ac Tiberii primum principatu, reperta. Differentiaque eorum eſt ab Ophite lapide, qui ſerpentium maculis ſimilis eſt, unde & nomen accepit, illa vero maculas diverſo modo colligunt. Auguſtum enim undatim criſpum in vortices, Tiberium ſparſim convoluta canitie. utrumque enim cinereum non minus, quam Tephria Ophitis ſpecies. Præterea ex Ophite columnæ non niſi parvæ admodum inveniuntur, ex prædictis maximæ. Lacedæmonio inſunt in viriditate maculæ parvæ, & frequentes clariores, ſimilitudine Ophitis. ob id ex Alberto Serpentinum Marmor vocatum fuit, ſed falſo, cum Serpentinum Marmor, aut Ophites, tum ſolum vocari debeat, cum maculæ ſerpentium maculis, ſitu, & forma, ſimiles fuerint, ut ex paulo ante Plinii verbis colligi poteſt. Huius Lacedæmonii Marmoris, quod à nonnullis Laconium vocatur, non niſi parva fragmenta reperiri dicuntur. Ex iis

Tephria.

Serpentinum Marmor.

Laconiũ.

Piſis

Piſis pavimentum Cathedralis eccleſiæ ornatum eſt, uti & parietes opere Muſaico: alibi quoque incruſtationes ex eo habentur. Aliud genus eſt ex atro obſcure viride, quod crucibus dilutæ viriditatis ita eleganter depictum eſt, ut quis in ipſo Marmore non natas, ſed depictas arbitretur. Id in Muſeo ducis Saxoniæ mihi oſtenſum fuit. Fruſta ibidem capitis humani magnitudine conſpexi. Dicebatur in Myſnia effodi, ac pro Ophitis ſpecie habebatur. Inveniuntur varia macularum compoſitione ornata Marmora. huiuſmodi ſunt duæ cruſtæ quadratæ, amplitudine cubitali, ad monumentum Gregorianum in campo S. Piſano, ac duæ columnæ ad ſacellum S. Reinerii in templo: omnes hilari viriditate ſplendentes. Ex hoc genere putatur Thyites *b* Dioſcoridis, quem in Æthiopia gigni colore ſubviridi ſimilitudine Iaſpidis aſſerit. Verum quia mollis eſt, ad Alabaſtri ſpecies potius referrem, vel potius ad Galactitis genera, quia lacteum ſuccum reddit. Aliqui hunc verdellum Italorum, quo aurum probant, arbitrantur. De Thyite capite 230. huius libri egi. *Thyites.*

b *Libro* v. *de re medica cap.* 111.

Cap. CCLXXVII.

De Ophite veterum, & recentiorum Serpentina.

Veteribus Ophites dicebatur Marmor, vel Alabaſtrum, quod ſerpentis forma maculas diſtinctas, & diſpoſitas, etiam cuiuſcunque coloris habebat. Non enim color lapidi nomen Ophitis tribuebat, ſed linearum & macularum conſtitutio ſimilis, ea quæ in ſerpentibus ſpectatur. Nunc vel cinereū

Marmor duriſſimum Serpentinũ appellatum, vel ex viridi album Marmor, aut Alabaſtrum nigriuſculis maculis, aut punctulis maculatum, pro Ophite Europæo habetur. Tale & Zeblicium, Germanice *Serpentenſtein*, vocatur, in Myſnia repertum, ac molle, & Lacedæmonium Marmor, ac ei ſimile quod ex Aſia maiori adfertur pro Orientali.

Zebliciũ.

Cap. CCLXXVIII.

Ophitis genera, & loci natales.

Dioſcorides multa *a* Ophitis genera eſſe ſcribit forte propter colorum varietatem, quæ tamen ad tres differentias reducit, unum ponderoſum, & nigrum, alterum cinereo colore punctis diſtinctum, tertium lineis albis. *b* Plinius duo tantum Ophitis genera facit, unum molle candidum, ex quo vaſa & cadi olim fiebant, alterum nigrum, durumque. Poſtea tamen tertium genus videtur addere, quod à colore cinereo Tephria vocatur, & ab Auguſto & Tiberio nil differt niſi maculorũ poſitione, & magnitudine. Ex Ophite enim veterum non niſi parvæ columnæ haberi potuerunt. hodie cinereum Marmor duriſſimum, & è quo magnæ columnæ conſtrui poſſunt: Serpentinum vocatur. Id Seravitiæ, aliiſque multis locis Italiæ, & Germaniæ effoditur. Aliud genus, à Germanis multum laudatum, ſed ſæpe molle, ut Alabaſtritis, aut Alabaſtri ſpecies potius, quam Marmoris eſſe debeat, effoditur in Miſnia, Zeblicium vocatum. Cinereum, ſubnigrum, vel ſubviride, id eſt, maculis albis, viridibus vel nigris egregie variegatum, interdum etiam lineas nunc nigras, nunc albas habet. Solent cochlearia & pocula inde conficere. Verum quia plerumq; admodum mollis eſt lapis, ſæpe humorem

b *Lib. 36. cap. 7.*

Tephria.

Serpentinum.

Zebliciũ.

morem

morem combibit. Id ut impediatur, multi poculum oleo nucis moſcatæ inungunt. Dum Marmoream duritiem habet, id neceſſarium non eſt. Ex Ophite nigro hodie viſitur parva columna inter alias, quæ ſuſtinent ſuggeſtum in templo D. Ioannis Baptiſtæ Piſis. hanc vulgus vocat viperam Ægypti. Conſtat punctis nigris in livido corpore. In eodem loco quatuor aliæ eiuſdem magnitudinis ex Ophite cinereo, quem Granitum Syriæ vocant, ſpectantur. Habet is puncta nigra in corpore candicante, unde cinereus apparet. Ophites candidis lineis in nigro corpore, etiam foditur Seravitiæ, cum aliis multis.

a *Libro* V. *de re medica cap.* 119.

CAP. CCLXXIX.

De facultatibus & uſu Ophitis.

OPhitis veterum omnis alligatus, teſte Dioſcoride, ad ſerpentium ictus, ac capitis dolores prodeſt. Tephria, Plinii teſtimonio, ad ſerpentes præcipue laudatur: & qui lineas habet candicantes, phreniticis & lethargicis geſtatus auxiliatur, propter frigiditatem forte capiti & præcordiis communicatam. Arcere putatur peſtilentiam, in qua apparent exanthemata, ac ſerpentium omne virus. Gal. lib. 9. de ſimpl. med. facultat. Ophiten lapidem extergendi confringendique vim poſſidere, ceu vitrum, aſſerit, ac propterea ex vino albo & tenui potũ, lapides veſicæ conterere, ac confringere. *Ad calculum.* Ex Seravitienſi Ophite globuli conficiuntur parvi, ut manibus detineantur ab iis, qui febre ardente æſtuant. His enim non parum recreari viden-

Vires Ophitis zeblicii. tur. Zeblicius Ophites Germanorum ad mult prædicatur. Scribam quid illi Typographicis typi de illius facultatibus ediderint. Vereor ne illo di vendito, aurum aucupentur, plura promittant quam præſtare poſſit.

Ad venena. Lapis Serpentinus nullum patitur venenum. ub poculum è lapide factum venenum ſuſceperit, ic *Ad colicam.* ſudore prodit. Conducit etiam colicæ, pleuritidi torminibus, ac ventriculo refrigerato. Prætere *Pleuritin.* iis qui hauſtũ nocivum, aut cibum ad concoquen- *Ventriculum.* dum ineptum ſumpſerunt. Quotidianis, tertianis, aut quartanis febribus vexatis opitulatur. Dolores *Ad febres.* etiam nephriticos & Podagricos mitigat. Ad præ- dictos affectus calefieri lapis, aut aqua calida, aut *Ad podagram.* igne debet, ac involvi linteo: deinde loco affecto applicari. Quo ſæpius ex hoc vel de hoc lapide bi- bitur, eo maius auxilium percipitur. Fœminæ ſi quotidie ex hoc vel de hoc lapide biberint, eum- que aliquoties in die calefactum ſinu exceperint, matricẽ refrigeratam excalfaciunt, partu inſtante: aut poſt partum pectori, aut lumbis applicatus la- pis, utilis eſt. Phthiſicis etiam conducit, quia ſi quis vel eum, vel ex eo bibat, pulmonem & hepar con- fortat.

Ex Ophite Zeblicio Germani pocula, cochlea- tia, variaque conficiunt, ſed Alabaſtri vulgaris inſtar mollia ſunt, facileque franguntur. Qui hilarem ha- bent viriditatem, cæteris præferunt: qui cinerei ſunt, apud illos non tanti fiunt. Inveni in campis circa Getſinum Bohemiæ cinereũ fruſtum macu- lis nigris, Iaſpidis inſtar durum: Marmoris cinerei ſpecies proculdubio eſt, ac id quod ab Italis Mar- mor Serpentinum vocatur.

CAP. CCLXXX.

De flavis Marmoribus.

MArmor Phengites, de quo ante egi, interdum venis flaveſcit, & tranſparet, ut apud *a* Plinium legitur, qui in Cappadocia reperiri, ac ex eo Ædem fortunæ ita conſtructam ſcribit, ut foribus opertis per id lux tranſmiſſa diurnam efficiat in templo claritatem. Romæ in templo S. Mariæ in porticu ex hoc Marmoris genere columna dimidiata, colore flavo, parietis rimam obſtruens, ac externam lucem Solari fulgore intromittens, ſpectatur. Alabaſtritis veterum præſtantior, qui (*b* Plinio teſte) mellei coloris eſt, & recentiorum lapidariorum. Si duritiam habeat Marmoream, & politus ſplendeat, iam in Marmoris flavi genus abiit. Dicuntur Seravitiæ in Italia tum mellei, tum Terebinthinæ colore Marmora effodi, ac Piſis in cathedrali eccleſia conſpici. In Germania etiam flava, tum Marmora, tum Alabaſtri ſpecies inveniuntur. Si mollia ſint, *gelber ſpat* vocant. In Belgio Sardæ non pellucidæ genus quoddam invenitur ſimile.

Phĕgites.

a *Lib.* 36. *cap.* 22.

b *Lib.* 36. *cap.* 8.

CAP. CCLXXXI.

De rubris Marmoribus.

INter rubra Marmora principatum obtinet Porphyrites Ægyptius, propter duritiem, & ſplendorem. Si candidi interveniant puncti, Leucoſtictos *a* Plinio teſte dicitur. Utroque genere utuntur pictores ad lævigãdos colores, & medici ad fragmen-

Porphyrites.

a *Lib.* 36. *cap.* 9.

ta gemmarum atterenda. attritione enim nihil à ſe remittit. E priori, quem Itali *Porfido* appellant, duæ extant columnę maximę ante fores S. Ioan. Baptiſtę Florentiæ. Huic ſimile genus eſt Ratiſponenſe rubrum & rutilans Marmor, & Bohemicum ex rubro nigrum, aliudque prope Carloſtainium inventum, maculis lineiſque albis variegatum, Leucoſtictos veterum: nec minus Belgicum variis maculis diſtinctum. Præterea Anębergicum, ac in candido rubrum, quod in metallis paſſim invenitur. Prope Dolam Burgundiæ, ut & in aliis locis Galliæ, Germaniæ, & Italiæ, varia Marmorum genera inveniuntur. Foditur quoddam genus Seravitiæ, & in monte Piſano, maculis vario modo agglomeratis, ut in templo D. Ioannis Piſis videre licet. Quod minus maculoſum eſt, vocatur *Porfido di Liguria*. Alterum quod ex monte Piſano effoditur, magis varium eſt. Ad Porphyritidem reducitur, qui colore conſtat violaceo, cuiuſmodi viſitur in campo Sancto Piſano ad monumentum Gregorianum. Hic interdum albo interſtinctus eſt colore, ac effoditur Seravitiæ. Rubet Thebaicum Marmor aureis guttis diſtinctum, ex quo coticulæ ad collyria terenda olim fiebant, Itali *Brocatello* vocant, ob ſimilitudinem telæ, ex auro & ſerico contextæ, quod brocatum dicitur. Ex hoc lapide dicuntur Piſis extare parvæ columnæ, ſuſtinentes ſuggeſtum in templo epiſcopali, & in templo S. Ioannis. Sanguineis maculis eſt candidum Marmor Lunenſe, quod Florentię in templo S. Reparatæ conſpicitur. Subrubet præterea Syenites circa Syenem Thebaidis, vel ut alii legunt apud *b* Plinium, Stignites. Nam punctis nigris iuterſtinctum eſt. Italice *Granito roſſo* vocatur, olim Pyrrhopœcilon dicebatur, quaſi fulvo colore variatum. de hoc Plinius his verbis: Trabes

Leucoſtictos veterum.

Thebaicum.

Brocatello.

Marmor Lunenſe.

Syenites.

Stignites.

Pyrrhopœcilon.

ex

ex eo fecere reges, quodam certamine, Obeliſcos vocantes, Solis numini ſacratos. Radiorum eius argumentum in effigie eſt, & ita ſignificatur nomine Ægyptio. Primus omnium id inſtituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, ſomnio iuſſus, & hoc ipſum inſcriptum eſt in eo. Etenim ſcalpturæ illæ, effigieſque quas videmus, Ægyptiæ ſunt litteræ. Poſtea & alii regũ in ſupra dicta urbe Sochis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine. Ramiſes autem is, quo regnante Ilium captum eſt, quadraginta cubitorum. Idem digreſſus inde, ubi fuit c Mnevidis regia, poſuit alium longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. Ex his Plinii verbis conſtat, Romæ ſuo tempore fuiſſe, ac ex eorum numero eſſe maximum illum Obeliſcũ è Circo maximo erutum, & ad templum Lateranenſe erectum, & alterum in Vaticano, qui ex latere templi S. Petri tranſlatus eſt in Plateam Sixto V. regnante, & nunc ante Ædes ſacras eminenti in loco conſtitutus conſpicitur.

Hos immenſæ molis lapides, multi artificio ſingulari fuſos ex Marmorum fruſtulis arbitrantur, ob id, quod in Italia fodinæ nullæ, quæ tam ingentia fruſta ferant, reperiantur. Deinde quod aliunde per mare vehi non poſſint. Verum ex Plinio luce clarius eſt antiquos per mare tranſtuliſſe. Is lib. 36. cap. 9. inter cætera ita ait. Alexandriæ ſtatuit unum octoginta cubitorum Ptolomæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis Rex purum: maiuſque opus fuit in devehendo ſtatuendove multo, quam in excidendo. A Satyro architecto aliqui devectum tradunt rate: Callixenus à Phœnice foſſa perducta uſque ad iacentem Obeliſcum è Nilo: naveſque duas in latitudinem patulas pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem men-

Quo pacto olim pyramides tranſlatæ fuerint.

menſuram ponderis oneratas; ita ut ſubirent obeliſcum pendentem extremitatibus ſuis in ripis utrinque: poſtea egeſtis laterculis allevatas naves excepiſſe onus ſtatutum. Exciſos autem ſex tales in monte eodem, & artificem donatum talentis 50. Hic autem obeliſcus fuit in Arſinoë poſitus à rege ſupra dicto, munus amoris in coniuge, eademque ſorore Arſinoë. Inde eum navalibus incommodũ, Maximus quidam præfectus Ægypti tranſtulit in forum, reciſo cacumine, dum vult faſtigium addere auratum, quod poſtea omiſit. Et alii duo ſunt Alexandriæ in portu ad Cæſaris templum, quos excidit Meſphees Rex quadragenum binum cubitorum. Super omnia acceſſit difficultas mari Romam devehendi ſpectatis admodum navibus. Divus Auguſtus priorem advexerat, miraculique gratia Puteolis navalibus perpetuis dicaverat; ſed incendio conſumpta eſt. Divus Claudius aliquot per annos aſſervatam, quã Caius Cæſar importaverat, omnibus quæ unquam in mari viſæ ſunt mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere exædificatis, perductam Oſtiam portus gratia merſit: alia ex hoc cura navium, quæ Tiberi ſubvehant. Quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni eſſe, quam Nilo. Is autem obeliſcus quem D. Auguſtus in circo magno ſtatuit, exciſus eſt à rege Semneſerteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, præter baſin eiuſdem lapidis: is vero qui eſt in campo Martio, novẽ pedibus minor, à Seſoſtride. Inſcripti ambo, rerum naturę interpretationem Ægyptiorum opera Philoſophiæ continent. Ex his Plinii verbis tantæ molis ex lapidicina exciſos, & per mare tranſlatos fuiſſe Porphyritides, aliaque Marmorum genera, quæ pene infinita ſunt, nemo dubitare debet.

b *Libro 36. cap. VIII. littera d.*

c *Apud Heliopolin Mnevis bos, non aliter colebatur, quam apud Memphytas Apis, teſtibus Strabone lib. 17. & Diodoro Siculo lib. 2.*

Cap. CCLXXXII.

De Marmorum imitatione.

MArmor omne colore, & ſplendore, multi imitari hoc ſeculo poſſunt, ſed duritie, & pondere pauci. Fuit ſatelles quidam Pragæ Imperatoris Auguſti Domini mei clementiſſimi, qui ſatis egregie id ementiri, & ponderoſum reddere potuit. Verum Alabaſtri inſtar molle fuit. Menſas, & ſphæras fundebat pulchras, quas exiccatas politura ſplendidas reddebat. Materia fuit ut opinor Gipſum, & pulvis aliorum lapidum, cui ad pond⁹ augendum forte cineres plumbi addebat. Liquor, quo materiam ſolvebat, ut ex odore coniicere potui, vel acetum in quo caſeus ſolutus fuit, vel lac, vel ſerum lactis fuit. Acetum, ut eius penetratione partes melius coniungerentur, & caſeus, ut glutinis vices ſubiret. Alii ut audio bubulum ſanguinem dum rubrum lapidem cupiunt, addunt. indureſcit enim annis, ac optime glutinat. alii glutine utuntur, ut factitium Marmor firmiter cohæreat, & excavari, ac iterum partes illi forinſecus miſceri poſſint. Dum ſero utuntur, materiam commiſcent, ut pultis inſtar ſit. Deinde quos volunt colores, aut diverſas maſſas coloratas, fundunt in planitié. Si menſas velint, fuſas bacillo, prout venas & gyros cupiunt, hinc inde circumagitant, exiccatum poſtea lapidem æquant, ac deinde ſmegmate poliunt. Satelles ille, cuius mentionem feci, excavare lapidem ubi volebat,

bat, alioque colore maſſam in locum evacuatum infundere, hoc ita potuit, ut tam firma fieret infuſæ maſſæ cũ excipiente lapide connexio, ut innata vel adnata, cum exiccata eſſet, videretur. Hac ratione gentilitia inſignia, lineas, & literas ita exacte inſerere, ut lignarii fabri aſſeres coloratos ſolent, non ſine multorum admiratione potuit. Cardanus Marmorum, vel aliorum lapidum diverſi coloris fruſta iungi pulvere Marmoris, & ovi candido, aut pice vel etiam glutino tenaci docet, eaque ratione Lithoſtrata Conſtantinopoli in æde Sapientiæ, Venetiis in æde S. Marci, Florentiæ in æde S. Ioannis Baptiſtæ, & Mediolani in æde S. Laurentii eſſe conſtructa affirmat. Nonnulli ſilices, lapidum variorum fragmenta, ſanguinem hirci, aut bovis, vinum ardens, & fel bovinum commiſcent, ac in formas premunt, ut Marmoris formam æmulentur. Sunt qui aqua calida caſeum contundunt, addendo calcem vivam, & quoſvis colores. Ad id apti ſunt, qui corpus habent, ut cinnabrium, chryſocolla, ochra, hæmatitis, ſandaracha, auripigmentum, viride æris, cæruleum, ceruſſa, & ſimiles. Loco aquæ aliqui oleo lini utuntur, ne factitia Marmora ab humido diſſolvantur. Vidi Italum in Bohemia, qui Alabaſtrum pulchre imitari poterat. Is ſilices fluviatiles in pulverem redigebat addita calce viva, ac aqua glutinis, deinde ex ea paſta formabat imagines, quæ politæ elegantiſſime erant. Ut autem vera Marmora factitia imitentur, meo iudicio, ſalſæ aquæ adhibendę ſunt, & acutæ, quæ penetrare poſſint, parteſque iungere. Deinde ubi induruerint, fervens lini oleũ inſtillandum, ut ſuperficiem permeet, eamque ſolidam faciat, &, ne aquam combibat, prohibeat. Has omnes facultates in ſe bubulus ſanguis calidus & recenter effuſus habere videtur,

tur,

tur, ſpiritus enim ſalis in ſe habet, ut omnis ſanguis, deinde glutini quiddam ſimile, & pinguedinem. Hinc lapidis inſtar indureſcit, ſi calci admiſceatur, nec ulla aqua unquam diſſolvitur. Sed propter colorem uniformem, quem factitio Marmori tribuit, non facile in uſum admittitur.

Cap. CCLXXXIII.

De variis Saxorum generibus.

MArmora omnia materiæ æquabilitate, & puritate, Saxa antecedunt. Hæc enim ex craſſiore, & impuriore materia generantur, nec alio modo à Marmoribus differre videntur. Ut enim maxima mole concreſcunt Marmora, ita Saxa, ex quibus integri montes & maris ſcopuli interdum conſtant. Et ut Marmora coloribus variant, ita Saxa. Colores tamen Saxorum obſcuriores, & fœdiores ſunt. Interdum etiam conchis, ſilicibus, cryſtallis, pectinibus, vel aliis rebus gravia ſunt.

Saxorum genera partim à conſiſtentia, partim à qualitatibus, partim ab uſu diſtinguuntur. A conſiſtentia aliud arenarium, cruſtoſum. A qualitatibus aliud leve, ut tophus, aliud liquabile, ut ſilicis quoddam genus, aliud ſolidum, ut lapis Aldenburgicus, aliud uſtibile, ut calcarium. Ab uſu aliud os, aliud calcarium, quia calx inde fit, aliud quadratum, quia ædificiis inſervit dum in quadratam figuram redigitur. Aliud molare, quia eo moliuntur frumentacea, dicitur.

Cap.

Cap. CCLXXXIV.

De Saxo arenario.

SAxa arenaria triplicia à me obſervata ſunt Unum quod aſperum eſt, ex arenis craſſioribu ſatis firmiter compactum, ob quam cauſam lævo rem non ſuſcipit, utile ædificiis, quia calcem bibit Alterum ex arenis tenuiſſimis, ſed mixtis argentei interſplendentibus, ſed adeo molle, ut digitis atte ri fere poſſit. Id prope Pragam invenitur: ubi ad æ dificia expetitur, & ſcribis ad atramenti humidi tatem abſorbendam. Levi enim affrictu in arenam convertitur albam, & ſubtiliſſimam. Variat arena rium colore. Fribergi enim arenaria lutea, Rochli cii rubra, Querfordiæ cinerea, Eitbeccæ in Saxoni in rubro ſubnigra. Prope Horaſdiovitium Bohe miæ rubra aureis micis ſplendentia inveniuntur Variant etiam diverſis rebus gravida. Nam in non nullis ſilices, conchæ, pectines, aut alia corpuſcul naſcuntur.

Cap. CCLXXXV.

De Saxo cruſtoſo, & ſciſſili.

CRuſtoſum eſt quod finditur in cruſtas, utiles ſtratis, ac tectis. Germanice *Schiferſtein*, Belgice *Schailgen*, Gallice *eſcailles* dicitur. variæ enim ſunt differentiæ. Aliud enim tam molle, ut ex eo nihil fieri poſſit. Tale eſt Pragenſe apud arcem S. Viti regiam; quod interdum micis argenteis ſplendet ſubnigrum. Aliud durum, quod nonniſi ferra artificis findi poteſt.

Rurſus colorũ in iis magna varietas. Nam aliud cinereum, è cinereo candidum, in cinereo viride, cæru-

cæruleum, rubrum, ſubluteum, nigrum ut Andegavenſe, & Rhenanum, è quo templorũ tecta conſpiciuntur, vel cæruleum ut Namurcenſe, quo ſimiliter ædes teguntur. Formæ etiam varietas apparet in cruſtoſo Saxo. Nam reperiuntur in quibus arborum rami cum foliis, quaſi arte depicti eſſent, conſpiciuntur. Item alia cinerea in quibus tam exacte ex erica herba ſylvulę depictę fuſco colore apparent, ut nullus pictor neque melius, neque elegantius eas exprimere penicillo poſſit. Id genus Saxi ad flumen non procul Florentia invenitur, ut mihi retulit amicus meus Friſler Rudolphi II. Imp. Glorioſiſſimi, & D. mei clementiſſimi pictor, qui mihi fruſtum lapidis ibidem inventum oſtendit.

Prope Wirsburgum Franconiæ ad Pagum Somberg ſimiles prorſus lapides ericeti, quos incolæ *VVaſſerſteine* (quia ſub aquis naſcuntur) vocant, reperiuntur. Ex his lapidibus formas faciunt, ut iis infundant plumbum pro globulis tormentariis. Læves, & pingues ſunt hi lapides ſaponis inſtar, cujus colorem referunt.

In comitatu Mansfeldiæ, Iſlebiæ, ſciſſile Saxum aliud nigrum reperitur cui piſcium imagines variæ, nigræ, flavæ, vel orichalceæ innaſcuntur, eæque tam egregie elaboratæ ſunt, ut ſquammæ ſingulæ appareant. Habeo apud me fruſtum quod percæ imaginem refert, ſed orichalci colore, etiamſi reliquum lapidis nigrum ſit. Exiſtimo eo in loco quondam Piſcinam fuiſſe, eamque poſtea tenui terra obrutam, ac ab exhalationibus metallicis ſubterraneis condenſatam, in Saxum abiiſſe, ac piſcium corpora, quia terram non ſuſceperint, exhalationem metallarem, terra ſubtiliorem, magiſq; penetrantem, facile in ſe recepiſſe, ac cum ea æris non ſolum colorem, ſed etiam ſubſtantiam. Conflatur enim ex

Piſces in Saxis.

eo Saxo quod ab Agricola lapis Iſlebianus vocatur, æs optimum. Piſces qui in eo lapide apparent ſunt Lucii, Percæ, vel paſſeres marini, raro aliorum animalium in eo lapide imagines ſpectantur. Putat *a* Agricola à priſcis hunc lapidem Spinum vocatum fuiſſe.

Spinus.

a Libro v. *de Natura Foſſilium cap.* xv.

Cap. CCLXXXVI.

De Saxo limoſo.

Limoſum dicitur, quod in limum ab humido facile ſolvitur: videtur initium futuri Saxi eſſe. huiuſmodi prope Lovanium, & Vilvordam inveniuntur alba, quibus agri fœcundi redduntur. Dum enim ad aliquot menſes ſub dio iacent, à pluviis in limum calci concolorem ſolvuntur, ſuaque pinguedine; ſtercorationis vices ſupplent. Videntur ad margæ genera referri poſſe. Reperiuntur etiam alterius coloris.

Cap. CCLXXXVII.

De Tophaceo Saxo.

Tophacea Saxa à Græcis Pori dicuntur, Pario Marmori candore, & duritie, Theophraſto teſte, ſimilia. Verum levitas eis eſt pumicis. Reperiuntur tamen nigra, rubentia, ac colore terreo. Dum cæduntur è ſubterraneis, ſæpe tam mollia ſunt, ut præcidi ligni modo, ſerraque ſecari poſſint. Nam poſtea aëri expoſita indureſcunt. Artifices dum ad opus præparant, ea quæ extuberant, non malleo, aut ſcalpello, ſed ſecuri auferunt. Commodiſſima ſunt ad rimas parietum collabentium replen-

replendas. Nam ob levitatem non premunt, & quia poroſa, facile calcem bibunt, & extrema parietum ſibi agglutinant.

Cap. CCLXXXVIII.

De Silice.

Silex duriſſimum genus Saxi eſt; durius Marmore ad ſcalpendum, & ad ædificia, muroſque conſtruendos ineptum, quia calcem non bibit; extrinſecus enim læve abſque poris & angulis eſt. Variis coloribus, ſed obſcuris, à natura tinguntur Silices: inveniuntur enim nigri, ut lapidis Lydii vices ſupplere poſſint, rubri, albi, flavi, virides, fuſci, mixtiſque coloribus. Differentiæ illius plurimæ ſunt. Nam aliqui liquabiles ſunt, qui plerumque foris albi ſunt, & tranſlucidi. hos Ariſtoteles Pyrimachos vocat. Germani vocant *Flusſteine*, aut *VVeyſſer kiesling.* Metallarii metallis fuſis ſuperiniiciunt, ut iis ſupernatent, &, ne nimium liquati metalli evolet in auras, prohibeant. Vitriarii ex illis vitra, & chymici factitios lapides conficiunt. Aliqui prorſus diaphani ſunt, qui in gemmarum formam à gemmariis ſculpuntur, ac pro Adamantibus Bohemicis divenduntur. Aliqui ita duri ſunt ut ex iis ignis excutiatur: Hi *Fevvrſteine* à Germanis vocantur. Aliqui prorſus opaci ſunt, Belgis *Keyen* vocantur. Qui molliores ſunt Marmore, non Silices, ſed Lapides ſimpliciter appellandi ſunt. Tales ſunt ii qui pro plateis ſternendis in uſu ſunt. Inter Silices nonnulli ab igni patiūtur, ut calcinari, & calcis, ſed improbę, vices ſubire poſſint. nonnulli igni reſiſtunt, & contra vetuſtatem incorrupti permanere poſſunt, ex quibus formę fiunt, in quas æs funditur, & mortaria ad gemmas terendas. Verum ſi non ſcalpello, ſed are-

Pyrimachos.

na, aut Smiris lapidis pulvere, magno labore, longoq; tempore addita aqua excavantur. Græci olim è lapide duro, ac Silice conſtruebant veluti lateritios parietes: Iſodomos vocabatur hoc ſtructuræ genus. Plerumque prope aquas, vel in aquis, duriores etiam in Marmoribus reperiuntur, qui ſerra non denticulata, adiecta aqua, & arena, ut priores, ſecari debent, cum ſcalpellum non admittant.

Iſodomos.

Cap. CCLXXXIX.

De Pyrite, Silicis ſpecie.

PYrites, alias Pyrimachus proprie vocatur, quia plurimus illi ignis. ſed eſt alius etiamnum Pyrites ſimilitudine æris. In Cypro eum reperiri volunt, & in metallis, quæ ſunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, alterum aureo. Coquuntur varie, ab aliis iterum tertioque in melle, donec conſumatur liquor, ab aliis pruna prius, dein melle & poſtea lavantur ut æs, uſuſque eorum in medicina excalfacere, ſiccare, diſcutere, humorem extenuare, & duritias nimias mollire. Utuntur & crudis, rurſuſque ad ſtrumas, atque furunculos. Pyritum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus, & ponderoſiſſimi ſunt. Hi exploratoribus caſtrorum maxime neceſſarii, qui clavo, vel altero lapide percuſſi, ſcintillas edunt, quæ exceptæ ſulphuratis, aut fungis aridis, vel foliis, dicto celerius ignem præbent. *a* Plin. lib. 35. cap. 19.

a *Hic locus Plinii non habetur lib. 35. cap. 19. Sed libro 36. Naturalis hiſtoriæ cap. 19. littera b.*

CAP. CCXC.

Pyritum genera.

PYritum Germanice *Kieſen* tam varia genera inveniuntur, ut mirum ſit. Illi hoc nomen vere merentur, è quibus ignis excutitur. Aliqui argento polito ſimiles, vel è tenuibus cruſtis ſunt, vel quadratis teſſeris ſimiles, vel è Marmore rubro metallico ſplendentes, vel ornati fluoribus purpureis, Amethyſtinis, quadrangulis, & pellucidis, vel ſpongioſi, & micantes, vel Pumicoſi, vel ex Marmore minus argenteis ſplendentes. *a* Aliqui angulis octo vel duodecim excreſcunt, aliqui Biſmuto ſimiles ſunt. Aliqui aureo colore tincti ſunt, unde marchaſitæ nomen habent. Alii rubro colore, aut aurichalci, quos *Kupferkies* Germani vocant. Aliqui variis coloribus & formis componuntur, aliiſque lapidibus miſcentur. Inter hos aliqui in igne fluunt, quos *Fliſſige kies* vocant. Hi metallis loco plumbi adduntur, ut liquidiora in excoquendo fiant. Aliqui vocant *Flusſteine*, ac fracti ſaccharum candidum ſplendore referunt Pyrites, quod metallum minerale, terram, fluorem, gemmam, vel lapidem ſecum vehere, vel habere poteſt. Hinc fit tot diverſa genera haberi. Multi ſunt lapides Pyriti ſimiles qui ignem non dant concuſſi, quas ad Pyritis genera referri non debere arbitror, quod Pyrites ab igne, qui ab illo excutitur, nomen habeat.

a Libro IX. *de ſimplic. medicam. facultat.*

Pyritis facultates ex a Galeno.

PYritis validam poſſidet facultatem, eoque uti mur digerenti emplaſtro admiſto, adiicitur eti ei & Schiſtos. Ab hoc medicamine & pus ſæpenu mero, & conſiſtentia grumoſa in ſpatiis interme diis muſculorum nata per halitum ſunt digeſta. Ni ſi autem, dum in uſum veniunt, pollinis inſtar com minuantur omnes hi lapides, ut profundum corpo rum, quibus applicantur, ſubeant, aſſimiles manen iſtis marinis fluviatilibus arenis, quæ & ipſæ com munem omnium lapidum vim poſſident, ſiquider exiccant tumentem ab aqua intercutem carnem ſi in ipſis excalfactis decumbat æger. Non tame ad aliud quippiam eis utimur.

a *Libro* v. *de re medica cap.* 100.

Ex Dioſcoride.

PYritis, aut Marchaſita, ex qua æs conflatur, c optima eſt, quæ æri ſimilis eſt, ac quæ facile ſcin tillas emittit. Uritur hac ratione. Dum mell aſperſa eſt, igni exiguo committitur, ac ignis paula tim inflatur, donec rubeſcat. Alii dum in magn mellis quantitate humectata eſt, ignem amplun carbonum iniiciunt, ac dum rubere incipit, extra hunt. Poſtea cineribus adhærentibus flatu amotis iterum melle inungunt, ac urunt, donec exiccata friabilis fiat. Nam interdum ſuperior pars tantun friabilis fit. Si opus eſt uti uſta & lota, lavanda u Cadmia. Tum cruda tum lota excalfacit, mundi ficat, ac oculorum offuſcationes, duraque quævi emollit, ac matura reſolvit. Mixta cum reſina car-

nis

nis excreſcentias prohibet. Verum parum excalfacit, & aſtringit. Vſtam aliqui Diphrygē appellant. Hactenus Dioſcorides.

Cur autem ferrum ignem è Pyrite excutiat, reliqua metalla non, ſolam ferri duritiem in cauſa eſſe arbitror. Nam & abſque ferro Pyrites in Pyritem actus ignem excutit. Cauſa cur Pyrites ignem reddat, partim motus eſt velox, tanquam cauſa efficiens, partim ſulphur, ſeu inflammabilis quædam materia ipſi Pyriti inhærens, cum quo concurrit tanquam cauſa materialis, potentia ignis exiſtens, ac propterea facile in ignem faceſſens. Hoc modo omnia inflammabilia, & quæ pingue oleoſum in ſe habent, facillime affrictu, vel celeri motu, ſi modo dura ſint, ignem producunt: ut rotarum axes dum celerrime rotantur, & ligna dum ſibi mutuo affricantur, docent, facile enim hæc ignem ex motus celeritate ſuſcipiunt. Cur autem corporum durorum affrictus calorem & ignem pariat, non facile eſt aſſequi. Nam ſi quis id contingere, quia celerrime hac ratione mixtum ad corruptionem vel interitum deducitur, arbitretur; ac quæcunque paulatim ad interitum per putrefactionem vergunt, paulatim calefieri (cum nihil partes hæterogeneas ſeparare quam calor poſſit) aſſerat; ac proinde motum, quia cito id præſtat, magnum calorem inducere; unde tandem ignis generetur, qui omnium citiſſime heterogenea mixti ad ſua elementa reducit, nunquam omnino ſibi ſatisfaciet. Tam itaque difficile eſt veram cauſam, cur durorum, & inflammabilium corporum affrictus ignē creet, inveſtigare, quam cur ignis lucem ſibi agnatam habeat.

Materiam vero inflammabilem ſeu ſulphur habere & continere in ſe Pyritin, docet ars Spagyrica, quæ eius ſeparationem à Pyrite non difficilem

in lucem producit. Hanc deſcriptionē eliciendi ſulphur, ab amico conſecutus ſum.

Recipe Pyritin, ſeu marchaſitam auream, tere in pulverem, affunde aquam tartari, ut tres digitos emineat aqua. Coque in cucurbita terrea bene obturata ſex dies: cum refrigerata fuerit effunde in vitrum, ac iterum aliam aquam tartari affunde, & coque ut prius, opuſque quater repete. Deinde conſtrue duos furnellos, ſiniſtrum & dextrum invicem iunctos. In ſiniſtro furnello imponas bociam B cum ſuo alembico roſtrato, in dextro vero furnello imponas bociam A, cum alembico ſine roſtro. Bocia vero A non procul à ſuo alembico habeat duos canaliculos, ſeu duo roſtra, unum, ut excipiat roſtrum alembici B, alterum, ut ingrediatur recipientem retortam, quæ ad latus dextri furni poſita eſt. His ita paratis, infunde bociæ A aquam tartari, ac vaſi ſeu bociæ B aquã fluviatilem, ac ſub Bocia B & A fac ignem, ita aqua tartari pelletur in retortam, & ſulphur manebit in bocia A eiuſque alembico. Sed ex B & A non debes extillare omnem humiditatem.

Cap. CCXCI.

De lapidibus proprie dictis.

Lapides proprie dicuntur Saxa illa minora, quæ ex impuriori terreſtri materia conflata nõ tam lævem habent ſuperficiem, quam Silices, & Marmora, ſed ſcabram, ac poroſam: quæque Silicum duritie, ac rotunditate propter angulos, niſi vi aquæ fluentis in rotundiorem figuram paulatim redacti fuerint, carent. Hi plerumque fuſci coloris in agris, & fluminum ripis reperiuntur, omne tamen coloris genus habere poſſunt, & Marmora imitari, ac etiam

Ophi-

Ophiten; tales Pragæ in flumine nigris punctis, & lucentib⁹ antimonii inſtar, reperiuntur. Inſerviunt lapides ad ædificia, quia calcem imbibunt, & ad platearum pavimenta. Et qui molliores igni liqueſcunt, ad fundenda metalla.

CAP. CCXCII.

De olentibus Saxis.

SAxa quædam bene, quædam male olent. Violam olent Lavenſtainia, Aldenbergica, quæ vel rubei, vel cinerei coloris ſunt. Mariæbergica in vena D. Fabiani & Sebaſtiani inventa, malleo percuſſa, interdum muſcum olent. Thuringica, quæ è cuniculo aquæductus in arcem Berchlinum ducti effoſſa ſunt, ſerpillum olent. Hildeshemii ſunt, qui cornu uſtum, ſi percutiantur malleo, olent. Habui qui violas olebant, & albos, & cinereos, ſed deprehendi è lapide illum odorem non prodire, ſed è muco quodam ex luteo viridi, qui tanquam pellis affixus erat. Pars enim lapidis obverſa nullo muco tecta, nihil prorſus odoris habebat. Suſpicabar Iridis odoriferæ radices his Saxis forte inſtitiſſe: niſi hoc muci genus à natura ita oleat. Hoc peculiare iſta Saxa habuerunt, ut, dum mucus aqua tepida conſpergeretur, odore Iridis Florentinæ potius, quam violarum totum hypocauſtum repleretur. Sed Germani Iridis radicem *Violvvurtzel* vocant, forte inde odori huic violaceum nomen tributum eſt. Ablato muco non olet amplius Saxum. Num in cæteris olentibus idem contingat, hactenus expertus non ſum.

Cap. CCXCIII.

De Saxo Calcario.

SAxum unde calx fit, Calcarium dicitur, paſſim obvium, ac interdum Marmori ſimile, quale eſt Pragenſe, nigrum, venis Alabaſtrinis albiſque refertum. Nam & plane album, & fuſcum reperitur. *a* Plinio referente Cato Cenſorius calcem è vario lapide improbabat. Ex albo melior, quam ex puro & ſtructuræ utilior; quæ ex fiſtuloſo, tectoriis: ad utrumq; damnatur ex Silice, candidiſſima ex fiſtuloſo, qualis è Saxo Tiburtino, ex quo Romæ ædes Divi Petri in Vaticano conſtructæ ſunt.

a *Lib.* 36. *cap.* 22.

Trevertinum Saxum ad dealbandos parietes commodiſſimum eſt. Calcarium Saxum ut calcem præbeat, uri debet: uſtum ignem potentia in ſe continet, qui aquæ affuſione in actum prorumpit, eamque calidiſſimam, ac ferventem efficit. Calor ille in ſale calcis calidiſſimo, & ſicciſſimo conſiſtit; cui cum aqua frigidiſſima, & humidiſſima miſcetur, ob ſubitum contrariorum motum in actum caliditas calcis deducitur, eadem prorſus ratione, qua oleum ſulphuris verũ, ſi aquæ miſceatur frigidæ, tum calidum in vitro redditur, ut id manu vix teneri poſſit. Potentia huiuſmodi oleum ſicciſſimum, & calidiſſimum eſt, ut cauterii inſtar cuti admotum urat.

Cur calx incaleſcat aqua.

Putant alii propter obſtructionem in calce viva caliditatem fieri, ſed errant, oleo enim calx melius obſtrui poteſt, nulla tamen ab eo in calce caliditas excitatur. Cauſa itaque potius motus ſubitus contrariorum, & eorum quorum intima miſceri poſſunt.

Vires calcis.

Calcarii Saxi calx in medicina uſui eſt. *b* Plinio enim

enim teſte, urit, diſcutit, extrahit, incipienteſque ſerpere ulcerum impetus coërcet. Aceto & roſaceo temperata perducit ad cicatricem, luxatis quoque cũ adipe ſuillo aut liquida reſina ex melle medetur, eadem compoſitione & ſtrumis. c Maltha è calce fit recenti. Gleba vino reſtinguitur, mox tunditur cum adipe ſuillo, & ficu, duplici linimento, quæ res omnium tenaciſſima, & duritiem lapidis antecedens. Quod malthatur, oleo perfricatur ante. Hactenus Plinius. De calce Gal. 9. Simp. ſequentia ſcribit: Calx viva quidem, quæ ἄσβεστος Græce dicitur, vehementer urit, adeo ut cruſtas efficiat: exſtincta vero protinus etiam cruſtam molitur & ipſa: at poſt diem unum aut alterum minus urit, minuſque inducere cruſtam poteſt. At vero temporis progreſſu prorſum ne cruſtam quidem gignere queat, tametſi etiamnum calfaciat, carnemque liquet. Porro ſi lavetur in aqua, ſuam mordacitatem exuit, efficitque nuncupatam Græce κονίαν, Latine lixivium. At ipſa abſque morſu reſiccat, ac ſi bis, terque aut amplius abluta fuerit, plane mordacitatis expers conſtituitur, ac ſtrenue abſque mordacitate exiccat. Hæc Galenus de calce. Hodie quia lota valenter exiccat, cum oleo & cera mixta ad cicatrices obducendas utilis eſt. Si cum aceto extinguatur, ter lavetur, ac cum oleo roſaceo ad linimenti formam redacta fuerit, combuſta abſque cicatricis veſtigio ſanat, nec bullas elevari permittit. Si non extincta cuti applicetur, urit, ac cum ſapone mixta, cauterium potentiale, ut vocant, conſtituit. Quod urit in calce, nitrum eſt: id ablutione tollitur. E calce viva paratur aqua mirificæ virtutis ad ambuſtionem, fiſtulas, cancrum, maculas, & rubedinem oculorum, ac ad veſtium byſſinorum maculas auferendas, hoc modo. Recipe cal-

Ad ulcera. *Maltha.*

Ad ambuſta.

Potentiale cauterium.

Aqua ad fiſtulas, cancrum, oculos, maculas veſtium.

calcis vivæ uncias tres, aq. pluviæ lib. unam cum ſemiſſe. miſceantur, & ſtent triduo in vaſe. Poſtea agita, agitata quieſcat per 24. horas in vaſe obturato. Deinde coletur per linteum materia, & adde ſalis ammoniaci albiſſimi drach. decem bene triti, miſce optime, poſtea diſtilletur aqua per filtrum. oculis inſtilla quotidie tres guttas. pro veſtibus utere ea calida, & ad reliqua. Aliqui aquam relinquunt in vaſe æneo, ut cæleſtem colorem acquirat, neque tam facile dignoſci poſſit. Circumforanei ad oculorum fluxus, & vitia, pro Sapphiri aqua eam venditant.

b *Libro 36. cap. 24. littera a.*

c *Maltha vetus dictio, mollem ſignificat. Lucullius* 28. *Satyr.*

Inſanum vocant, quem fœminam, & Maltham
dici volunt.

Cap. CCXCIV.

De Saxis molaribus.

MOlares lapides à Saxis rumpuntur, ac plerumque parvis Silicibus conſtant, cũ quibus arena ſubtilior videtur iuncta. Paſſim in variis regionibus inveniuntur, ac ab uſu nomen, quod iis frumenta molantur, obtinent.

Cap. CCXCV.

De Cotibus.

COtes ab uſu dicuntur. Nam ex lapidibus à nobis ante deſcriptis, vel è Saxis, ad ferra acuenda, lapides, gemmas, aut Marmora ſculpenda, atque liman-

limanda, oblonga aut rotunda forma aptantur. Olim à loco ubi reperiebãtur nomina obtinebant. Multa, inquit *a* Plinius, earum ſunt genera. Creticę diu maximam laudem habuere, ſecundam Laconicæ, ex Taygeto monte, uti æque oleo indigentes. Inter aquarias Naxiæ laus maxima fuit, mox Armeniacæ, de quibus diximus. Ex aqua & oleo Ciliciæ pollent, ex aqua Arſinoëticæ. Repertæ ſunt & in Italia aquæ trahentes aciem acerrimo affectu. Nec non & trans Alpes, quas Paſſernices vocant. Quarta ratio eſt, ſaliva hominis proficientium in tonſtrinarũ officinis, inutili fragili mollitia. Flamminitanę ex Hiſpania citeriore in eo genere præcipuæ. Ex his Plinii verbis cotes alias oleo, alias utroque humore, alias vero ſaliva ad terendum indiguiſſe conſtat. Nunc in Germania & Oleares, & Aquariæ reperiuntur. Zeblitiana cos aquaria eſt, eaque pocula quæ ex Ophite fiunt, lævigantur. Reperiuntur duræ, & molles, albæ, & nigræ, paſſim in Germania. Oleariæ etiam ſubviridis coloris inveniuntur. Deinde & aliæ è ligno querno in lapidem mutato, ac nonnullæ è fago in lapidem mutato. Nam in Germania ſæpe ligna in lapides verſa deprehenduntur. In valle Ioachimica ante aliquot annos fagus cum trunco, ramis, foliis, altitudine 170. ulnarum in Saxo cinereo duriſſimo ſub terra reperta fuit. In Italia etiam varia genera Cotium tum Aquaticarum, tum Oleariarum habentur. Oleariæ nigræ, & perpolitæ ſunt, barbitonſoribus utiles ad cultri aciem lævigandam. Aquaticæ ex lapide conſtant arenoſo, molli, & æquali, colore cinereo, quę in orbem rediguntur, ut motu circulari acti, atque aquam cadentem excipientes, adhibitum ferrum terere poſſint. Oleares plerumque oblongam figuram, & planam habent, ut placidiori motu lævigetur

a *Lib. 36. cap. 22.*

tur potius, quàm teratur ferri acies. Cotes illæ quæ ad aurum & argentum explorandum fiunt, è Marmorum genere ſunt, ac probatoriæ vocantur: de iis actum in capite de Lydio lapide.

Cap. CCXCVI.

Vſus Cotium in medicina.

a Dioſcorides Naxiæ ramentum ferro attritum Alopecias pilis explere, mammas prohibere ne intumeſcant, lienem extenuare cum aceto potum, & comitialibus prodeſſe ſcribit. Verùm hanc facultatem Cotes nanciſci à ferro exiſtimo, id enim lienem potum abſumit.

a *Libro* v. *de re medica cap.* 125.

Cap. CCXCVII.

De Hæpheſtite.

a *Lib.* 37. *cap.* 10. Hæpheſtiten in Coryco natum, dicit *a* Plinius ſpeculi habere naturã in reddendis imaginibus, quanquam rutilum. nomen ex eo inveniſſe quod in Solem poſitus aridam materiam accendat, non aliter ac ſpeculum concavum ſulphurata ſtramina, & ſtramenta. Id genus lapides in rubro nigri coloris reperiuntur Hildeshemii in foſſa mœniorum quæ ſpectat ſeptentriones. In modum vero patinæ excavati ſunt, & aurea armatura rutilant, quare & reddunt imaginem, & ob Solis radios obverſi aridam materiam accendunt.

Cap.

CAP. CCXCVIII.

De lapide Fungifero.

LApis Fungifer, teſte Geſnero, apud Romanos magno in pretio eſt, invenitur in regno Neapolitano. cruſta eſt craſſa. ea terræ dodrante operta, aſperſaque tepidâ irroratione, quarto poſt die fungos edit. De hoc Geſnerus in lupi Cervarii hiſtoria.

CAP. CCXCIX.

De variis lapidibus qui nomen à ſimilitudine rerum quas referunt, aut è rebus ipſis in lapides mutatis habent.

A Forma mathematica nomina habent, Quadratum Saxum, quod in quadratam figuram ad ædificia extruenda facile redigi poſſit: Pentagonus; quod quinque, Hexagonus quod ſex, & Pangonius quod multos angulos habeat. *Pentagonus.* *Hexagonus.*

A ſimilitudine figuræ nomen habent. Enorchis teſtium figuram referens. Panis dæmonum, qui prope Rotwilam Sueviæ invenitur, ac panem refert. *Pangonius.* *Panis dæmonum.*

Pentexoche, ſeu Meſpileus, meſpili figuram habens. Cryſtallus glaciei formam, Aſtroites ſtellarum, Ophites ſerpentum, Meconites ſeminum papaveris, Cenchrites ſem. milii, Narciſſites narciſſi floris, Trochites rotæ, Belemnites ſagittæ, Ceraunites teſtę, & Calamites calami figuram exhibet, & inde nomen, ut & cæteri, habet. Præterea ab adipis forma Steatites: ab oculorum figura Triophthalmus, quaſi tribus oculis ſignatus, à lupi oculo Lycophthalmus, à Caprino oculo Ægophthalmus, & ab *Pentexoche.* *Meconites.* *Narciſſites.* *Calamites.* *Steatites.*

Geranites. Hieracites.

ab oculo humano Beli Oculus, & Leucophthalmus, à gruis oculo Geranites, ab accipitris ocul Hieracites, nomen obtinuerunt.

Myrmecites. Cantharias. Sycites. Boſtrychites. Hyania. Myrmecias. Sarcites. Dryites. Ciſſites. Pyrene. Chalazias. Polyzonos. Anthracitis. Botrytis. Lepidotes. Phœnicites. Phycites. Spõgites.

Myrmecites à formicæ innata forma, Cantharias à ſcarabæi, Polythrix à capillorũ ſimilitudine Sycites à fici, Batrachias à ranarum, Boſtrychites crinium muliebrium forma, Bucardia in Babyloni naſcens à bubuli cordis figura, Gloſſopetra à lin guæ, Hammonis Cornu, à Cornu arietini, Hyęni ab oculorum Hyænæ, Myrmecias à verrucæ, Sarci tes à carnis, Telicardios à cordis ſimilitudine nun cupantur. Dryites à truncis arborum, qui lign modo ardet, Ciſſites ab hederæ folio, Cyamea à fabæ ſimilitudine, Pyrene ab olivę nucleo, cui piſciu ſpinæ interdum inhærent. Chalazias à grandinun colore, & figura, Polyzonos à zonarum candicantium in nigro corpore multitudine, Anthracitis à ſcintillarum ignearum copia. Botrytis ab incipientis uvæ ſimilitudine. Lepidotes à piſcium ſquammis, Oſtracias à teſtæ, Phœnicitis à balani, Phycites ab algæ forma, Spongites à ſpongiæ, Tecolithos ab oleæ nucleo nomen obtinuerunt.

Muytes. Cõchites Tillinites. Ctenites. Strombites. Echinites. Scolopendrites.

Ab animalibus ipſis nomina dantur lapidibus, à gallo Alectorius, quia in ipſius ventriculo reperitur, Chelonitis à teſtudine, Draconites à Dracone. Chelidonia ab hirundinibus nomen habet, Muytes à mure, Conchites à concha; Tillinites à tillinis, Oſtreites ab oſtrea, Ctenites à pectine, Strombites à cochleis aquaticis nuncupantur. Echinites ab Echino marino, Scolopendrites à verme ſcolopendra, Lyncurius à lynce, ita dicitur.

A figura confectos vocant Itali lapillos albos criſpos, qui ſemina incruſtata ſaccharo referunt. Tales

iuxta

iuxta balneum Bulicame, vel Oche in agro Viterbienſi reperiuntur. Syringites ſtipulæ internodio ſimilis, perpetua fiſtula cavatur inde nomen conſequutus.

Corallina à coralli forma.

Piſolithus à piſo propter ſimilitudinem in thermis Carolinis Bohemiæ invenitur.

Cicerum ager in Iudæa eſt in monte quodam ex quo Ieruſalem, & Bethleem ſpectari poteſt: hi colore, forma, & magnitudine cicer Arietinum ita exacte referunt ut quis vix à vero diſcernere poſſit.

A forma dantur etiam nomina ſequentibus lapidibꝰ, Rhodites à Roſæ, Melitities à mali, Dendrites ab arboris, Stelechites à ſtipitis, vel trunci, Elatites ab abietis, Clethrites ab alni, Amigdaloides ab amygdali oſſe, Daphnia à lauri, Cydonites à mali cotonei, Dryites à quercus, Onyx ab unguis, Dactylus Idęus à pollicis, Hyſtera petra ab uteri, Enoſteos ab oſſium, Cardiſce à cordis figura.

Ut à forma, ſimilitudine, & figura, ita etiam à colore nomina dantur. Ab auri colore Chryſitis, Chryſolampis, Chryſolithus, Chryſophis, Chryſelectron, Chryſopraſus, Chryſoberillus, Ammochryſus, Leucochryſus dicuntur. Ab argenti colore Argyrites, Argyrodamas. A ferri Syderitis, à plumbi colore Molybdos, ab æris Chalcitis, ab armaturę colore Hoplites.

Ab Hepatis colore Hepatitis, & cancri marini colore Carcinas. A viperæ colore Echites. A Scari piſcis colore Scarites, à mulli piſcis colore Triglites. A pavonis colore Taos. A leonis pellis & Pantheræ colore Leontios & Pardalios. A flavo & melleo colore Melychlorum, à croci colore crocian. A canitiei colore Polia, vel Spartoplios. A fumi colore Capnites. A ceræ Cerites.

Syringites. Corallina. Piſolithus. Rhodites. Melitites. Dẽdrites. Stelechites. Elatites. Clethrites. Amygdaloides. Daphnia. Cardiſce. Chryſolampus. Chryſophis. Syderites. Molybdos. Hoplites. Hepatites. Carcinas. Echites. Scarites. Triglites. Taos. Leontios. Pardalios. Crocian. Polia. Spartoplios. Capnites. Cerites.

A lactis Galactites, vel Galaxias, à ſanguinis Hæmatites, à myrti Myrtites, & carnis Sarcites, à cineris colore Tephritis nomen habet.

Lychnites etiam à lucernarum accenſarum colore, vel ſimilitudine, Coracias à corvi colore, Cepites, vel Cepoides ab hortis ob oculorum varietatem, & Catoptrites à ſpeculo, quia imagines reddit, Myrrhites à myrrhæ colore, Sarda à carnis colore, aut potius Sarcites, Perdicites à perdicum colore nomina obtinuerunt.

Coracias. Cepites. Cepoides. Catoptrites. Perdicites.

A contentis nomen habet Enhydros, quod aquã in ſe contineat.

Ab effectu lapis Nephriticus, quia Nephritidem curat, & Asbeſtes, quia igne non conſumitur, deinde Heliotropion, quod Solis radios gyrat, nomina habent.

Ab odore Myrſinites, & Aromatites myrrham olens vocatur, à ſonitu Calcophonos lapis ille dicitur niger, in quo æris tinnitus percipitur.

Myrſinites. Calcophonos.

A patria, & loco ubi inveniuntur, multę gemmę, multique lapides, nomen habent.

Hoc notandũ, veteres eiuſdem generis vel ſpeciei gemmis vel lapidibus, propter formam, vel colorem, vel effectum, aut ob aliam cauſam, ut ex prædictis apparet, alia nomina dediſſe. Deinde etiam quia nihil fere eſt in rerum natura (niſi lapide durius ſit) quod ſucco lapideſcente accedente non poſſit in lapidem converti, non mirum eſt (arboribus, floribus, ramis, foliis, fruticibus, herbis, fructibus, ſeminibus, animalibus eorumque partibus, & artificialibus rebus variis in lapidem verſis) tot genera lapidum inveniri, & ab iis nomina habere.

Cap.

Cap. CCC.

De locis ubi variæ res in lapides mutantur.

AQuæ, quæ vegetabilia aut artificialia in lapides vertunt, in variis locis reperiuntur.

Strabo lib. 3. ſcribit, contra Laodiceam Hierapolis, ubi calidæ aquæ ſcaturiunt, & ubi Plutonicum eſt, aquam in tophum ita indureſcere, ut qui aquæductus deducunt integra ſepta ex eo aquis conficiant.

F. Leander Albertus Bononienſis in deſcriptione Italiæ narrat, ad Senam torrentem è Saxo fontem prorumpere, cuius aqua 15. dierũ ſpatio quicquid immerſeris in lapidem convertit, vel lapideo cortice tegit. Deinde idem paulo poſt: Taliamentum maius, de quo nunc agimus, ex monte Mauro naſcitur, ſupra vicum Phornium, ubi fons mirabilis, in quo lignum deiectum lapideo cortice obducitur, & virgulta & folia immerſa lapideſcunt. In agro Piſano, & antris quibuſdam montis ſancti Iuliani, prælongæ concreta aqua ſtriæ, ut in Lucenſi iuxta convallem dictum pagum pręgrandes columnæ ex aquis paulatim concreſcunt.

Prope Arvernorum Hergobiam fons limpidiſſimus eſt, qui ſucci lapideſcentis tantam copiam evehit, ut accolæ pontem ex eo ſubſtructum, & aquæ curſum impedientem, ligonibus quotannis diruere cogantur. Non procul Vienna Allobrogum in vico Hivret fons limpidiſſimus, & potu ſalubris, & ſuavis, ſuo ſucco lapides gignit, dureſcentibus ſilicea ſoliditate, quæcunque in eius alvum proiiciuntur.

Anienis fluvius quacunque pertingit lapideam facit terram, & ligna, & cortices, & tamen Tybure

toto fere anno turbida bibitur, nec aliquem calculi vitio afficit.

In Cappadocia, auctore Cœlio, inter Mazaccam & Tuanam lacus eſt in quem Harundinis pars immiſſa altero die ſpectatur in lapidem verſa.

In Elbogano tractu iuxta oppidũ Falkenaw integræ abietes in lapides vertuntur. Et Domitius Bruſonius in Silare amne, qui radices montis eius, qui eſt in agro urbis Urſentinorũ olim, nunc Conturſii, lambit, folia & arborum ramos in lapides tranſire, non fide aliorum, ſed propria, ut qui incola ſit regionis, narrat. Cortices autem lapidum annos numero oſtendere.

In Zepuſio Ungariæ aquæ multæ ſunt lapideſcentes. Eſt enim fons eximius ad pagum cui apud Zepuſienſes Germanos à rivi murmure nomen eſt, qui inſtar Piſcinæ ſtagnat, & plurimam aquam reddit, in quam item ligna iniecta lapide ſeu cortice obducuntur. Alter ad pagum qui vocatur Ioannis. Nam qui anguſtius ſcatent, ſtatim atque paullulum profluxerint lapideſcunt, & ita in tumulos exurgunt, cuiuſmodi videtur unus ad pagum D. Andreæ nomine, alter cæteris inſignior prope arcem Zepuſienſem ad ædem D. Martini, quæ ſacrarum ædium præcipua eſt in Zepuſio. Ex hoc fonte ſcaturiens aqua, quacunque vadit, lapis fit, ſed eius generis lapides ſubterranei pluviis expoſiti tandem iterum diſſolvuntur, & cementi vices explent. Qui ſub dio lapideſcunt, tophi ſunt levitate, & raritate pumicibus ſimiles. Ex his conſtruunt ædes incolæ, ac ſe ex aqua domos ædificatas habere ænigmatice iactitant. Ad arcem Fileg in comitatu Neogradienſi ſpecus eſt, in quo ſuperne deſtillans aqua, continuo dureſcit. Ibi vero videas, ceu hominum ſtatuas, conſiſtere Saxa ex hac deſtillatione concreta.

creta. Alba hęc ſunt colore, ac trita pictoribus uſui ſunt.

Prope oppiduli Veronei in Gallia mænia fons perennis ſcaturiginis, aſpectu incundiſſimus, lympha limpidiſſima colore, & odore inſipida, ſed ſapore non ita commendabili, incolis tamen non ingrata extat. Erumpit aqua ex altiſſimis ſubterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto ut neſcias illamne peripheriam natura dederit, an vero ars Euclidis exquiſitiſſimũ iſtum circulum elaboraverit: ſic autem ad labri margines exundat aqua, ut ſtatim & breviſſimo aquæductu decurrat in rotã, quæ molam frumentariam circumagit, indeque cum glarea, quam currente alveo ſecum abradit, guttatim in ſubſtratum lutum & proximam vineam decidit, quæ omnia ſua frigiditate ita ſubigit, fermentat, & cogit, ut tandem in lapides induret, leves quidem illos, & foraminulentos, quorumque unam aliquando partem videas iam petrefactã, alteram vero adhuc agnoſcas muſco herbaceo virentem & cœnoſam quæ tantum lapideſcere incipiat. Coguntur vero illi lapides tanto aggere, ut niſi ex intervallis molitor eos ferreo malleolo conterat & ſubtrahat, impedimento ſint ipſi moletrinæ, quo minus libere circumvolvatur.

Narrat Thomas Moreſinus in Moravia Scotiæ aquam eſſe, in qua neque materia aliqua craſſa, neque viſcoſitas apparet, aut deprehenditur ulla, quæ tamen in ſaxum concreſcat, quod iterũ igne querno diſſolvi poſſit in liquorem: ſimilemque aquam ſe vidiſſe ait in Gallia Occitanica, apud Sevenos, & alibi.

In Baldenſibus fiſtulis, & tubis æquęductuum, ut Bechlingi ex eo fonte qui in arcem derivatus eſt,

Tophi ſolidiores, inſtar botri in ſuperficie, coloris ſpadicei, duriſſimi fiunt. Ex ſcaturigine thermarum Carolinarum (in quibus folia quercus & alni impreſſa, in calidarum canalibus ſtriarum figura pendent) ligna, ſtramina & quævis res iniectæ lapideſcunt: fabæ item, & piſa ibidem lapidea naſcuntur. Prope Beffordiam in Alſatiæ finibus, item in ditione Ieſtemiana, non longe à Scaffhuſia, agri leguminoſi, & quaſi fabis, orobis, & piſis lapidoſis inſtrati & conſiti reperiuntur: an ſponte ita nata ſint legumina, an in lapidem verſa, incertum eſt.

In piſcina prope Schellebergã arcem in Miſnia, rami, folia, cortices, ligna, manicæ, chirothecæ in ſaxa mutantur.

Prope Torgam in Albi trabes molares mutatæ in ſaxa reperiuntur.

Tribus miliaribus à Francofurto ad Oderam fons eſt, qui folia, & arborum ramos in lapides transformat.

In Brittannia magna ſpelunca eſt, ad Devernam ſita, in quam quicquid aquarum influit in lapidem coagulatur.

Iuxta Carthuſiam Francofurti ad Oderam aqua preterlabitur, quæ ligna, cochleas, & nucum putamina in lapides mutat, etiamſi in ea vivæ Ranæ degant ſine noxa.

In lacu Hybernię omne quod iniicitur, vel in ferrum convertitur, vel ſi fundum petit in lapidem tranſit.

Similiter in Ungaria in comitatu Barſiæ invenitur ingens fluvius, qui quamprimum ex ſcaturigine erumpit, in ſubſtantiam ſaxeam non aliter, quam tempore hyemis aqua frigore, congelaſcit.

Aqua Berylli & Adamantis omne vegetabile in lapidem tranſmutat, ſi Paracelſo credendum eſt.

Eſt

Eſt fons apud Ginetri caſtrum , ſexto à Vienna lapide ſemotus, qui à culina ad moletrinam currit, per ligneos canales, in quibus ſi quid imprimas, vel ſculpes, altero die lapidem invenias cum impreſſa concretum effigie.

Aquæ Tophaceæ viſuntur non procul à Leffingen Bollam verſus , ubi balneum innotuit paucis aliquot hinc ab annis , apud Wutt dictum flumen. Ubi aqua ex tubo effluens ſubiectum monoxylon totum incruſtavit poroſo lapide. Ita circum Badenas Helveticas, Tigurum, Eggliſon, Engen, aliaque vicina loca viſuntur aquæ, quæ omnia vel in lapides convertunt , vel ſaltem foris poroſa ſubſtantia incruſtant, obducuntque. Andernaci etiam iſta obſervantur.

In Thermis Carolinis Bohemiæ quævis aquis quibuſdam impoſitis una nocte cruſta lapidea obducuntur.

In Veronenſi agro lapideæ tabellæ inveniuntur, quales Iſlebianæ ſunt, (de quibus in capite de Saxo Sciſſili egi) quæ piſces in ſe habeant , quaſi inſculptos, mutati enim ſunt in lapides.

In quibuſdam Ponti locis, Theophraſto auctore, piſces etiam foſſiles reperiuntur.

In agro Lunęburgenſi oſſa belluarum in lapides verſa inveniuntur , & prope Heidelbergam circa Hildeshemium Cornua, vel Cornu Ammonis.

Ut in variis terræ locis varia lapidum genera reperiuntur, & creſcunt , ita etiam in variis animalibus, variiſque animalium partibus. Nam in conchis Margaritæ, in Bufone Bufonius lapis, in cervi capra Bezoar, in gallo gallinaceo Alectorius, in hyrundine Chelidonius, ac in aliis alii naſcuntur, & reperiuntur, qui omnes ab animalibus nomen obtinent. Solus homo qui in quavis corporis parte

lapides gignit, illis nullum peculiare nomen dedit.

In capite, pulmonibus, ſtomacho, hepate, veſicula fellis, renibus, veſica, articulis, & inteſtinis hominis ſæpiſſime deprehenſos fuiſſe maximos calculos medicis omnibus luce meridiana clarius eſt. Habui hic Pragæ nobilem quendam in cura, qui cum diu colica laboraſſet, eaque in paralyſin deſiiſſet, calculum per inteſtina ovi gallinacei magnitudine, ſubruffum, nec adeo durũ, per alvum eiecit. In hepate fabæ maioris magnitudine, & qui colore lapidẽ Bezoar referebat, habuit aurifaber quidam ſenex Pragenſis; Eundem adhuc ſervat ſenis filia Sonteri aurifabri uxor.

Narrat Ægineta lib. 3. cap. 31, quendam qui diu ſanguinem eiecerat quatuor calculos aſperos tribulorũ modo ad magnitudinem ſiliquarum tuſſi eieciſſe.

Benivenius Henricum quendam Alemannum cum diu tuſſi inani laboraſſet, tandem calculum avellanæ magnitudine egeſſiſſe tuſſi ſcribit.

Fernelius itidem ſe quendam Alemannum cum diu tuſſi inani laboraſſet tandem calculum avellanę magnitudine egeſſiſſe tuſſi ſcribit.

Fernelius itidem ſe quendam noviſſe, qui ſæpe duros hordei & piſi magnitudine calculos tuſſi expelleret, affirmat. Geſnerus recenſet in Bodehorni Iuriſconſulti fellis veſicula 22. calculos fuiſſe invẽtos, & Fallopius ſimiliter in veſicula fellis ſe *a* 123. calculos reperiſſe narrat.

In veſica, & renibus calculos reperiri tam vulgare eſt ut ſuperfluum ſit ideo exempla in medium adducere.

a *Simili modo, hic Leidæ, Cl. V. Henricum Florentium, Medicinæ Doctorem apud Lugd.-Bat. peritiſſimum, mulie-*

muliebri corpore (cuius nomen erat Catharina Hamburgenſis, Amſtelredami patibulo aſſixa) publice in loco Anatomico diſſecto Anno M.DC.XVIII, *è veſicula fellis* 124. *calculos, quadratos omnes, eiuſdem ferme magnitudinis & craſſitiei, cinerei coloris, extraxiſſe vidimus.*

Cap. CCCI.

Quomodo & cur variæ res in lapidem mutentur.

QUo pacto variȩ res in lapides mutentur à multis traditum eſt. Fallopius in libro de metallis & foſſilibus ſuccum lapideſcentem, id eſt, humorem quendam optime elaboratum, & coctum, ac genitum ex materia lapidoſa, cum aqua commixtũ, cauſam præcipuam docet, eundemque ſuccum, ſi cum aqua tantum confuſus ſit, & non commixtus, non tranſmutare res, ſed ſaxeo cortice obducere. Idemque fieri ſi ramenta lapidum, ac exiguæ illius portiones aquæ commiſceantur. Efficientem cauſam mixtionis calorem ponit, non frigiditatem: ac herbas quaſdam, ut Corallium, aut corallinam, nutriri ſucco lapideo, & allicere quem aliæ vicinæ reſpuunt; non tamen prius lapideſcere, quam humidum aqueum, quod ſuccus lapideſcens pro vehiculo habuit, ſemotum fuerit. Succum præterea lapideſcentem Fallopius ſtatuit triplicem, unum non purum, alterum purum, clarum, limpidum, & gemmeum, qui exhalationem ſiccam pro materia in ſuo humore habet, & cum corpus aliquod imbibit, in nobiliorem lapidem aut gemmam transformat. Hoc modo ligna in Iaſpides vel Achates tranſmutari exiſtimat. Tertium eum, qui alimenti cauſa à plantis appetitur, ut à Corallio, & in nonnullis par-

 tibus

tibus marinis tantum reperitur. Impurum ſuccum in quavis terra reperiri tradit, ac propterea lithoſpermum lapidea ſemina, quæ nec urantur, nec emolleſcant, nec eliquentur, in quavis terra producere.

Mauritius Cordæus Corallium non ſolum ab ambiente frigore indurari putat, ſed quod abſconditam habeat in ſe ſuæ duritiei energiam, quæ à circumſtante aëre affecta illam produxit.

Matthiolus materiam quæ quævis in lapidem tranſmutat dicit eſſe lutum, in quo multo plus ſit tenacis terræ, quam aquæ, præterea ramenta ſaxorum quæ aquarum decurſus abradit. Deinde ſuccum lapideſcentem, qui cum in cavitates corporis irrepſerit quieſcens frigore concreſcit.

Paracelſus coagulationem per ſpiritum ſalis, qui omnia ſalis corpora coagulat, fieri exiſtimat, ac aquam qui hunc ſpiritum cum ſubtiliſſimis lapidum partibus fert, corporum vacuas partes permeare, opplere, ac penetrare, ſicuti tinctura pannum in quo permanet, & tandem ſimiliter in iis manere, ac lapideſcere. Alibi mucum in torrentibus adhærere lapidibus, qui tandem lapideſcat, vel exiccatus in vitro in lapidem commutetur, docet. Alii alio modo, aliiſque efficientibus cauſis tranſmutationem fieri autumant. Ego, ut quid in lapidem tranſmutetur, & patientis, id eſt, rei tranſmutandæ, & agentis, id eſt, efficientis cauſæ, cum ſua materia, qua tanquam proximo inſtrumento utitur, diſpoſitionem aptam requiri, & præ manibus eſſe debere autumo. Rei enim tranſmutandæ, ſeu patientis diſpoſitio talis eſſe debet, ut corpus habeat poroſum, vel penetrabile, ut hoc modo omnes, & minutiſſimæ,

mæ, intimæque illius partes proprio, vel agentis humido humectari poſſint. Deinde ut humiditas propria, vel adventitia ab eo facile ſecedere poſſit. Agens, ſive calor intenſus, ſive remiſſus ſit, etiam humidum actu vel potentia patienti vel ſibi adiunctum habere debet, idque aquoſum, vaporoſum, oleoſum, vel combuſtibile. Deinde agentis materia aqua, vel ſpiritus vel aliud quiddam acutum, ad intima penetranda, & partes patientis alterandas & diſſecandas eſſe debet. Præterea agentis materia partes terreſtres ita ſubtiles, & in minima reſolutas contineat oportet, ut in aquam iniectæ, aut exhalationibus commixtæ, diaphanitatē non impediant, aut conſpici non poſſint, id eſt, per totū humido commixtæ ſint: quemadmodum vinum cum aqua miſcetur commixtum eſt, aut tartarus vini in puriſſimo vino reſolutus conſiſtit. His omnibus adiungi vis quædam aſſimilatrix materiæ agenti inſidens, quam aliqui virtutem lapidificandi vocant, debet. Huius eſſentia, ut formarum omnium effectrices cauſæ & eſſentiæ ignotæ ſunt, ita hominis ingenium, & inveſtigandi induſtriam illudit, & ſuperat. Dixi agentem humidum debere habere aquoſum, ut nempe vehiculi loco ſit terreſtri materiæ quam in ſe continet, & rem tranſmutandam (ſi pinguis & oleoſa non ſit) ſubire poſſit. Dixi vaporoſum, ut ſi ſub materia tranſmutanda poſitum ſit, in illam deferri & ſublimari poſſit. Dixi oleoſum, ut ſi res tranſmutanda pinguis & oleoſa ſit, illam penetrare, illique commiſceri poſſit. Dixi combuſtibile, propter exhalationes aut ſpiritus ſulphureos mineralium, qui ignis naturam referunt, & materia lapidifica gravidi non ſolum lapides in meteoris generare, ſed longe facilius corpus poroſum ſubeuntes in lapidem (humido proprio, vel patientis exſpirato)

com-

commutare poſſunt. Deinde dixi, agentis mate riam vel ſpiritum debere eſſe acutum, quia ſin acumine non fit penetratio, & vera commixtio, ſe tantum confuſio. Hanc ad rem idonea ſunt ſaliun mineralium corpora, eorumque ſpiritus, quorun proprium eſt corpora ſolvere, & ſpiritus coagulare teſtante Chymicorum experientia. Vidi enim mul toties, ſalis ſpiritu, ſpiritum Corallorum, Margari- tarum, Oculorum Cancri, & aliorum mineralium, etiamſi vini eſſentia ſolutus eſſet, paucis guttulis iterum coagulari, & in corpus redigi. Et licet hu- iuſmodi ſalia, vel eorum ſpiritus, non cuivis ſtatim appareant, tamen ſciendum, nullam fere eſſe ter- ram, quæ huiuſmodi ſal non ferat, niſi prorſus ſte- rilis ſit. Nam quæcunque herbarum & fruticum ferax eſt, plurimum ſalis continet, quod in herba- rum, & fruticum alimentum cedit, à quibus ite- rum arte chymica ſeparari non difficulter poteſt.

Cap. CCCII.

Quomodo in corpore humano lapides generentur.

MEdici fere omnes materialem calculi cauſam ſtatuunt lentam & viſcidam materiam quæ à calore renum (ut lutum in fornace ab igne) coqui- tur, & induratur. ſed decipiuntur. Nam veras, & proximas calculi cauſas omittunt, remotioribus tantum intenti. Si enim roges unde lentor ille ma- teriæ manet, quibus partibus conſtet, & an quivis lentor, & quare in lapidem mutetur? apte reſpon- dere non poſſunt. Si iterũ, cur, cum lenta materia in inteſtinis & naribus copioſa ſit, ibidem calculus non generetur, nihil aptius reſpondent. Nam nec calorẽ in naribus deeſſe, nec in inteſtinis, (ubi non minor quam in renibus eſt) obiicere poſſunt. Si, iu- venes,

venes, adoleſcentes, & pueros, huiuſmodi abundare & ſcatere viſcida materia, & cruda, ac renes ſenib⁹ calculoſis calidiores habere, quis illis obiiciat: reſpondent ſenum calorem eſſe præternaturalem, iuvenum naturalem. Sed frivola eſt hæc reſponſio, quod iuvenes multique alii ſæpe renum calida intemperie laborent, non tamen propterea calculum generent. Deinde quod lotia excepta, & in frigido loco ſervata lapideſcant citius, quam quæ in calido ſervantur. Si enim calor calculi generationem efficeret in veſica, calculus non minus quam in matula concreſceret: præſertim illis quibus ſtatim emicta concreſcit. Si nempe illam tanto tempore in veſica poſt eiiciendi appetitum retinerent, quanto ut matula concreſcat, opus eſt. Deinde etiam quævis materia viſcida ab illo in lapidem concreſceret. Verum cum utrumque experientia falſum oſtendat, nequaquam calor intenſior indurationis materiæ calculoſæ cauſa erit; ſed potius ipſa materiæ apta diſpoſitio, non diſſimilis ab ea, quam requiri dixi, ut lapidis fiat generatio in terra. Materia itaque ex qua calculus in homine generatur humor eſt ſuperfluus ſeparatus ab alimento. Conſtat is ex aqua ſimplici elementali, & terreſtri materia. Terreſtris materia pro alimenti natura varia eſt. Nam vel eſt craſſa, & difficulter liquabilis; vel eſt tenuis, & facile liquabilis. Craſſa luti, vel boli inſtar ex terreſtribus alimenti portionibus à natura in minimas particulas reſoluta eſt. Liquabilis eſt quæ ſalis communis inſtar, diaphana, clariſſima, & limpidiſſima, in aqua diſſolvi poteſt. Hæc, ut ſalium multæ differentiæ ſunt, ita multiplex eſt. Nam vel aluminis ſalis communis, nitri, vitrioli, armeniaci, tartari, vel aliorum naturam refert. Humor itaque hic ex terra, aqua. & ſale conſtans, dū à natura per ordinaria emunctoria

ria non expellitur, ſed in viſceribus hæret, varia obſtructionum genera, varioſque morbos generat, & ſi humidum aqueum ab ipſo, vel totum vel ex parte decedat, in lapidem coagulatur, & fatiſcit. Lutum enim bol⁹ aut terra illa in minimas partes ſoluta lapideſcit propter remanens ſal, quod illi adiungitur, & inſita proprietate, niſi nimia aquei humoris copia diluatur, aut ei nimius humor adſit, in ipſa aqua indureſcit, & congelaſcit, ut vitri confectio oſtendit. Non enim neceſſe eſt omni humore deſtitui ut lapis generetur, ſufficit enim præcipuam partem decedere. Terreſtris hæc materia, & ſal hoc, non generatur in homine, ſed ex alimentis manat, quæ ſine his neque ſuſtentari, neque conſervari poterant. Ut illa his indigebant, ita & homo, cuius ſolidæ partes, ut oſſa, caro, dentes, & cæteræ, terra, ſed multas alterationes paſſa, opus habent; Ad huius & illorum connexionem promovendam, & corruptionem impediendam, non levis momenti eſt ſal, naturæ quaſi balſamum: quod prius ipſi alimento, & poſtea humori qui ex alimento provenit, inſidet, & ſanguini commiſcetur, ac poſtea ſi ſuperfluũ ſit, recte valente excretrice facultate à natura ſecernitur, & per urinam & ſudores expellitur, ut & terreus fæculentuſque ſanguinis humor, qui in urina hypoſtaſin facit, & calculo materiam præbet: qui facile in renibus, (ſi illorum calor imbecillus ſit) ut in ſenibus aut morbo afflictis contingit, concreſcit. Calor enim renum magnus, non ſolum non iuvat calculi coagulationem, ſed potius impedit: ut iuventus quæ raro calculis propter caloris abundantiam obnoxia eſt, & excreta urina, approbat. Nam ſi calida ſervetur, ut ante notavi, non tam cito calculos ponit quam ſi refrigerari ſinatur, idque omni ſalis generi proprium eſt. Dum enim in li-

quore

quore Cryſtalli formam accepit, eo iterum calefacto, ſolvitur, Id itaque ut extra corpus humanum faciunt ſalia, ita multo citius in corpore. Concurrere itaque debent ad calculi generationem in corpore humano concoctricis & expultricis facultatis imbecillitas, renum frigida intemperies, & copia terreſtris materiæ, & ſalis in humido ſoluti. Hæc enim duo iuncta humidi beneficio tanquam medio partes partibus apponendo facile glutinantur, ac glutinata tartari nomẽ chymicis, à vini lapillo ſimili fere modo generato, obtinent. Hic tartarus ſi multum terræ habeat lapidis vulgaris formam refert, ac pro quantitate ſalis adiuncti durior, vel mollior eſt. Quo enim plus ſalis habet, eo magis compingitur, & induratur terreſtris materia. Non tamen maxima ſalis quantitas minimam terreſtrem in lapidem cogere poteſt. Quia proportio quædam certa utriuſque requiritur. Terreſtris portionis quantitas tanta eſſe debet ut impedire poſſit ne ſal illi unitum ſolvi poſſit, ſaliſque tanta, ne terra fatiſcat, ac pulveris inſtar diffluat. Hanc proportionem natura ipſa obſervat, & experientia chymicorum deprehendere poteſt. Viſcida materia hic nulla glutinis inſtar ad glutinandum, ut vulgares medici ſomniant, requiritur. Si enim talis adeſſet, me iudice calculi generationem impediret. Viſcidum enim aquæ mixtum calculum efficere nemo ne in rebus quidem exteris unquam vidit, ſed potius contrarium, cum mollius ab aqua, & citius ſi calida ſit, reddatur. Vulgare enim gluten aqua diſſolvitur, non lapideſcit. In renibus vero, vel veſica, aliiſve corporis partibus, cũ nunquam deſit humor calidus, quo pacto viſcida materia cuius proprium eſt ab humido calido diſſolvi, lapideſcere poterit? Glutinis vices in calculi generatione prę̃ſtat ſal, quod ut dixi

dixi in proportionata quantitate humoris congelatur, & indureſcit. Id ſi lutoſæ terreſtri materiæ optime commixtum beneficio aquei humoris fuerat, eo diminuto, ac ad requiſitam quantitatem redacto ſibi adiunctas terreſtres portiones indurat, & in lapidem ſecum cogit: prorſus eodem modo quo, ſi lutum aquæ communi optime commiſceas, & frigori exponas, aqua congelatur, ac luto conſiſtentiæ firmæ cauſa eſt, non quidem Cryſtalli, aut glaciei, ſed lapidis forma. Si parum aquæ luto adiunctum fuerit, neque plus quam ipſius humectationi ſufficiebat, lapidem plane refert. Ut in luto frigus, abſque glutine, duritiem, conſiſtentiam, & cohærentiam efficit, ita in lapidibus ſal, quod in glaciei vel Cryſtalli ſpeciem in humore apto congelatur, & induratur, ut ſpagyricis notiſſimũ eſt. Si quis obiiciat, caſeũ, qui lentus & viſcidus eſt, experientia certiſſima calculoſis nocere, ac calculi generationem promovere: Utrumque concedo, nempe & viſcidum eſſe, & lentum, & calculo materiam præbere. Verum viſciditatem, ſeu lentorem ipſius, in cauſa eſſe nego. Imo opinor, caſeum nocere non poſſe, quamdiu viſciditas, ipſius ſubſtantiæ, iam ad alimentum paratæ, adhæret: idque propter rationes ſupra allatas. Nocet itaque propter aliam cauſam, quia videlicet multum terreſtris materiæ, ex qua oſſa & ſolidiores partes fœtus ali debent, continet. Hæc dum propter acrimoniam ſalis adiuncti in minimas partes reſolvitur, viſciditas, illi prius annexa, ab acrimonia & tenuitate ſalſi humoris exeditur, & conſumitur, ut totus humor tenuis & detergens reddatur, quemadmodum in vino contingit. Id enim recens expreſſum, ac in dolium immiſſum, primum viſcidum eſt, & lentum diluti glutinis inſtar, poſtmodum tamen tempore tam tenue reddi-

redditur ut in vitra effuſum propter partium tenuitatem atomorum ſimilitudine exiliat. Eo cum redactum eſt, tum primum calculos, ſeu tartarum ad vaſis latera ſe ponere deprehenditur. Sed obiici poteſt iterum exemplum luti, aut argillæ, quæ aqua imbuta tam viſcida eſt, ac tam firmiter equorũ pedibus adhæret, ut ſæpe ferreos calceos in illa relinquere, prius quam pedem eximere poſſint, debeant: quæ etiam ſolo ignis calore tanquam præcipua efficiente cauſa in lapidem teſtaceum abit. Reſpondeo, abſque aqua argillam viſcidam non eſſe, cum viſciditas, abſque humido eſſe non poſſit, aquam vero conſumi igne, nec prius argillam lapideſcere. ignem præterea eſſe quidem cauſam, ſed non propter ſolum calorem id facere, ſed propter materiam quam exurit, & cętera, quæ cum flamma & fumo ſecum fert, ac, ut lutum vel argilla lapideſcat, ſunt neceſſaria. Deinde quia ea aufert, quæ impediunt ne argilla lapideſcat: aqueam enim humiditatem quæ argillam viſcidam facit tollit, à corpore ſeparat, & in auras reſolvit. Fert autem ſecum ignis, humiditatem oleoſam, quæ eius pabulum eſt, præterea ſalſos, ac ſulphureos ſpiritus, ac exhalationes ſiccas cum terreſtribus portionibus in minima reſolutis; quæ omnia materię combuſtibili inſunt; ut fuligo à fumi copio in maſſam redacta clare & perſpicue docet. Terra enim inde elici, & ſal, deinde humiditas inflammabilis, & ſpiritus, poſſunt, ita ut ignis noſter non ſimplex quiddã & elementum, ſed mixtum dici poſſit. Niſi quis calorem ſummum ignem eſſe velit, & à reliquis quibus ineſt ſecernat. Sed ita qualitatem, non ſubſtantiam inde efficiet, utpote quæ ſubiecto inſit, & ſine ipſo, ac per ſe ſubſiſtere non poſſit, quod omnibus qualitatibus proprium eſt. Ignis itaque pabulum ſuum

hoc eſt terram, ſalem, ſpiritus, ac exhalationes, quæ in materia, quam comburit, continentur, in argillæ vel luti corpus (expulſa prius ipſius viſcoſa humiditate) deferens, facile illam in lapideam formam vertere poteſt. Nam & ſine his argilla, vel lutum, proprii ſalis beneficio, quod quævis terra in ſe continet, iuvante intenſo calore, tanquam externo efficiente, parteſque ſuo motu coniungente, lapidis formam accipere poteſt. Calor itaque intentus, ſeu ignis noſter, tanquam cauſa quædam communis efficiens, & ſine qua nihil fieret, dum ad lapidis formam inducendam, aptam materiam, & quæ externam habet cauſam efficientem ſibi annexam, nanciſcitur, lapidem facere poteſt. qui putat, ignis ſubiectum, ſeu materiam combuſtibilem, nihil ad terræ coagulationem facere, accipiat cineres, ac à ſale abluat: Deinde eos adiecta aqua, cucurbitæ vitreæ indat, ac igni committat, videbit nunquam lapideſcere poſſe: primum quod nullum ſal proprium habeant: præterea quod per vitrum, ignis ex materia combuſtibili cui inhæret, illis neque ſpiritum, exhalationem, ſalem, neque aliud quicquam communicare poſſit. Si vero ſalem à cineribus non auferat, mox lapideſcere proprio ſale in cucurbita vitrea deprehendet. Eſt itaque vera interna efficiens lapidis cauſa tum in materia ipſa, quæ lapideſcere debet, tum in ea materia, quæ ut aliquid lapideſcat accedere debet. Ac calor tantum externus, efficiens, quia principium motus eſt: quem ego verum non appello, ſed eum tantum quo præſente effectus fit, & abſente non fit. Sed etiamſi verum eſſet, lutum à calore tanquam efficiente cauſa lapideſcere, non tamen ideo ſequitur, in corpore humano ſimili modo calculum fieri.

fierit. Quia,ut ex præcedentibus colligi poteſt, lutum quamdiu humidum manet in lapidem abire non poteſt; ſed tum primum, cum ab igne hoc depulſum, aut abſumptum eſt. In corpore humano vero cum lutoſa materia nunquam abſque copioſo humore, præſertim in veſica, renibus, & ureteribus ſit, quo pacto à calore non potente depellere, humidum indurari poterit? Aliud itaque quippiam quam calor eſſe debet quod coagulet, & vere efficiat lapidem, vel calculum. Cauſa formalis lapidis eſt occulta quædam in renibus, aut aliis partibus, diſpoſitio ad lapidem generandum.

Cap. CCCIII.

Sequuntur nonnullorum Lapidum & Gemmarum ex variis Auctoribus ſecundum alphabeti ordinem deſcriptiones. Num autem lapides iſti omnes, aut gemmæ, in rerum natura ſint, non ſatis conſtat, quod ignotæ ſint.

A Plinio, Alberto Magno, Euace, Bartholomæo Anglico, Ludovico Dulci, variiſque auctoribus, qui de gemmis ſcripſerunt, aliquæ gemmæ vel lapides tam paucis notis deſcribuntur, ut nemo quinam ſint diſcernere poſſit. Aliquorum etiam nomina à Barbaris auctoribus ita corrupta ſunt, ut quis dubitet, num veterum lapides ſint, ad quorum nomina acce-

dunt, num vero alii. Ne itaque à nonnullis authoribus tractati lapides à me videantur omiſſi, placuit ſecundum alphabeti ordinem illos hic deſcribere.

A.

ABſinthus Alberto Magno lapis eſt niger rubeis virgulis, vel guttulis. dicitur permanere calidus per ſeptem dies ſi ſemel calefiat. videtur eſſe Aſyctos Plinii corrupto vocabulo.

Acopis nitro ſimilis eſt pumicoſa aureis guttis ſtellata. Cum hac oleum ſubferveſactum perunctis laſſitudinem (ſi credimus) ſolvit. Plin. lib. 37. cap. 10.

Agapis lapis eſt, colore pellis leoninæ, ab ἀγάπη, id eſt, dilectione ſic dictus, quod ab omnibus diligatur. Facultatem admirandam contra ſcorpionum ictus, ac viperarum morſus habet. Alligatus vulneribus, aqua prius madefactus, extemplo dolorem mitigat, & ſedat. Ludovico Dulce authore.

Amatides eſt lapis, vel gemma, à qua ſi veſtis fuerit contacta, igni reſiſtit, & ſi illi imponatur non ardet, ſed potius ſplendore nitidior apparet ſimiliſque eſt alumini ſciſſili, omnibus magorum maleficiis obvians, & reſiſtens. Bartholomæus Anglicus ex Iſidoro. Videtur eſſe Amiantus corrupto vocabulo.

Chryſocolla. Amphitane alio nomine appellatur Chryſocolla, in Indiæ parte, ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro ſimilis quadrata figura, affirmaruntque naturam eius eſſe quæ Magnetis, niſi quod trahere quoque aurum traditur. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur hic lapis fictitius, cum nunquam

numquam inventus ſit qui aurum trahat.

Anachites gemma dicitur qua in hydromantia dicuntur evocari imagines deorum. *a* Plin. lib. 37. cap. 11. Plinio putatur eadem quæ Adamas.

Andromadas argenti nitorem habet, ut Adamas quadrata, ſemperque teſſulis ſimilis. Magi putant nomen impoſitum ab eo quod impetus hominum, & iracundias domet. Eadem ſit an alia Argyrodamas authores non explicant. Plin. lib. 37. cap. 10.

Androas à nonullis vocatur Androdamas.

Antachates Achatis ſpecies eſt. cum uritur myrrham redolet. Plin. lib. 37. cap. 10.

Anterotes Opali, vel Pæderotidis ſpecies, Plin. teſte. lib. 37. c. IX.

Antipates quam aliqui Corallium nigrum putant, nigra non tranſlucet. Experimentum eius ſi coquatur in lacte. facit enim hoc myrrhæ ſimile immiſſa, eamque contra effaſcinationes auxiliari Magi volunt.

Arabica ebori ſimillima eſt, & hoc videretur niſi abnueret duritia. Putant contra dolores nervorum prodeſſe habentibus. Plin. lib. 37. cap. 10.

Aphrodiſiace ex candida rufa eſt. Plin. lib. 37. cap. 10.

Aquileus eſt Aëtites.

Apiſtos non eſt alia quam Plinii Aſyctos.

Ægyptillam Iacchus intelligit per album Sarda nigraque vena tranſeunte, vulgus autem in nigra radice cæruleam facit. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur eſſe Camea recentiorum. Tritam in aqua colorem & ſaporem vini reddere neoterici ſcribunt.

Argyritis gemma eſt argento ſimilis, habens ſtigmata aurea, ſimilis Androdamanti. Barth. Angl. lib. 15. cap. 16.

Asbeſtos in Arcadiæ montibus naſcitur coloris ferri. Plin. lib. 37. cap. 10. Albertus Magnus vocabulum corrupit, & abeſton inde facit. Ignotus lapis, niſi amiantus ſit.

Aſpilaten Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris, eam oportere cameli pilo ſpleneticis alligari, invenirique in nido Arabicarũ alitum, & aliam eodem nomine ibi in Leucopetra naſci argentei coloris radiantem, contra lymphatum habendam. Plin.

Aſinius, aut Aſininus lapis ab aſino nomen habet, quia ab aſino ſylveſtri eruitur. colore albo eſt ad citrinum tendente, ac figura plerumque ovali, magnitudine nucis iuglandis minoris. mollis, atque aperturas habens, quæ non penetrant. Dum finditur, lucido ſmalto ſubcitrino ſimilis eſt. Duo eius ſunt genera, Maxillaris, & Cephalicus. Cephalicus capiti impoſitus eius dolorẽ ſedat, ac epilepſiam ſanat. Maxillaris quia in maxilla reperitur geſtatus laſſitudinem prohibet, & victoriam pugnanti dat, ac hoſtes laſſos ſuperat, venenatiſque animalibus reſiſtit. Cum vino ebibitus febres quartanas pellit, ac ad vermes necandos mirabilis efficaciæ eſt. Venenum ebibitum ne noceat prohibet. Ad anguium morſus valet, parturientibus ſubvenit, ac fœtum mortuum eiicit. Lud. Dulcis. Forte Ludovicus Bezoar lapidem deſcribere voluit.

Aſiictos ſeptenis diebus calorem tenet excalfacta igni: nigra, ac ponderoſa, diſtinguentibus eam venis rubentibus. Putant prodeſſe contra frigora. Plin. lib. 37. cap. 10.

Ati-

Atizoën in India & in Perſide ac Ida monte naſci tradunt, argenteo nitore fulgentem, magnitudine trium digitorũ ad lenticulæ figuram, odoris iucundi, neceſſariam Magis regem conſtituentibus. Plin. lib. 37. cap. 10.

Augitis nonnullis non alia videtur eſſe quam quæ Callais. Plin. ibid.

Autoglyphus lapis in Sagari fluvio Phrygiæ reperitur, ab eo quod nativa matris deorum imago illi inſit ſic dictus. Plutarchus de fluviis.

a *Hic locus male eſt citatus. nam habetur in Plinio Libro 37. Naturalis hiſtoriæ cap.* IV. *littera g.*

B.

BAlanitæ genera duo habent, ſubvirides, & corinthii æris ſimilitudine, illa à Copto, hæc ex Troglodytica veniens, medias ſecante flamma venas. Plin. lib. 37. cap. 10.

Baptes mollis, alioquin odore excellit. Plin. lib. 37. cap. 10.

Baroptenus, ſive Baroptis nigra, ſanguineis & albis nodis, alligata dicitur velut portentoſa. Plin. lib. 37. cap. 10.

Boleniæ nimbo inveniuntur glebæ ſimilitudine, Plin. lib. 37.

Borſycites in nigro ramoſa, candidis aut ſanguineis frondibus. in ea ratio nominis non eſt. Plin. lib. 37. cap. XI.

C.

CActonites nonnullis Sarda putatur, verum falſo ſcribit Solinus in Corſica reperiri. Faculta-

tem habet victoriam tribuendi, illi à quo attingitur. Si quis eius ſcrupulum capiat, reſiſtit maleficiis magicis. Lud. Dulcis.

Cadmitis eadem eſſet quam Oſtracitin vocant, niſi quod hanc cæruleæ interdum cingunt bullæ. Plin. lib. 37. cap. 10.

Callais Sapphirum imitatur candidior, & littoroſo mari ſimilis. in rupibus inviis, ac gelidis, oculi figura extuberat, leviterque adhæret. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur aqua marina recentiorum.

Callainas ferunt plures coniunctos ſemper inveniri. Plin. 37. cap. 10.

Calondronius ſi corpori applicetur, geſtanti victoriam præbet, melancholiam, faſcinationes, maloſque ſpiritus arcet. Birellus.

Camaſeus factitius eſt lapis.

Cambnites lapis eſt colore Cryſtalli obſcuro, quem qui geſtat, omnibus gratus, affabilis, & amabilis fit. alligatus ſiniſtro brachio hydropem ſanat. Lud. Dulcis.

Capnites quibuſdam videtur ſuum genus habere, pluribus ſpiris fumida. in Cappadocia & in Phrygia naſcitur ebori ſimilis. Plin. 37. cap. 10.

Caratobates factitius ex auro eſt.

Cardiſce, vide Encardia.

Cariſteus viridis eſt, grato colore, unde nomen habet. Lud. Dul.

Catochites, Corſicæ lapis eſt, cæteris maior. mirabilis, ſi vera traduntur, impoſitam manum veluti gummi retinens. Plin. lib. 37. cap. 10.

Cegolites Alberti magni, eſt Tecolithus Plinii.

Cœlicolor eſt Opalus.

Cepocapites, id eſt, Cepites.

Cera-

Ceramites teſtæ colorem habet. Plin. lib. 37. cap. 10.

Cepionides in Æolidis Atarne, nunc pago, quondam oppido, naſcuntur, multis coloribus tranſlucentes, alias vitreæ, alias cryſtallinæ, alias iaſpideæ. Sed & ſordidis tantus eſt nitor ut imagines reddant, ceu ſpecula. Plin. lib. 37. cap. 10.

Chabrate eſt lapis tranſlucidus Cryſtallo ſimilis, qui creditur dare eloquentiam, honorem, & gratiam, defenditque geſtantem à noxiis, ac venenoſis, curatque tumorem hepatis, & ſplenis. Barth. Anglicus.

Chelonia oculus eſt Indicæ teſtitudinis, vel portentoſiſſima magorũ mendaciis. melle enim colluto ore impoſitam linguæ futurorum divinationem præſtare promittunt, quindecima Luna, & ſilente tota die, decreſcente vero ante Solis ortum, cæteris diebus à prima in ſextam horam. Plin. lib. 37. cap. 10.

Chlorites herbacei coloris eſt, quam dicunt magi inveniri in motacillæ avis ventre congenitam ei, ferroque includi iubent ad quædam prodigioſa moris ſui. Plin. lib. 37. cap. 10.

Choaſpites à flumine dicta eſt, viridis, fulgoris aurei. Plin. ibidem.

Chryſopterus Topaſii ſpecies eſt ſimilis Chryſopraſio, eius enim tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur. Plin. lib 37. cap. 8.

Chryſantherinus frangibilis eſt, collo alligatus phthiſicos curat, & pueros à dentium dolore in dentitione liberat. Lud. Dulc.

Chryſopilon Berylli ſpecies eſt, teſte Lud. Dulc.

Chryſopagion Albertus Mag. ab Æthiopia adferri, in tenebris lucere, ac in luce colorem amitte-

re ſcribit. Ignota gemma eſt, niſi Chryſopation corrupto vocabulo putet, ſed notæ illi datæ non conveniunt.

Chalazias grandinum & colorem, & figuram habet, Adamantinæ duritiei. Narrant enim in ignẽ additæ manere ſuum frigus. Plin. lib. 37. cap. 11. Barbari auctores Geloſiam vocant.

Cholo Smaragdi genus, quod in Arabia ædificiorum ornamentis olim includebatur. Plin. lib. 37. cap. 5. A nonnullis Chola vocatur.

Chalcoſmaragdus in Cypro habetur, turbida æris venis. Plin. lib. 37. cap. 5.

Ciſteolithus lapis eſt albus ad flavedinem tendens, in ſpongia marina repertus, calculum pellens cum vino ſumptus. Suſpenſus ex puerorum collo illos à tuſſi liberat. Lud. Dulc.

Cimelianthus Marmoris colore in medio habet pupillam auream, aut flavam, ac in littore Euphratis reperitur. Lud. Dulc.

Ciſſites circa Capton naſcitur candida, & videtur intus habere partum, qui ſentiatur intus ſtrepitu. Plin. lib. 37. cap. x. Aëtitis puto eſſe ſpeciem.

Clites factitius eſt lapis, ex auro, argento, & ferro.

Coaſpis, id eſt, Choaſpites.

Colontes Alberti eſt Chelonitis.

Cornelius Alberti eſt Corneolus.

Corſoides canitiem hominis refert, unde nomen habet. puto Achatis, vel Iaſpidis ſpeciem eſſe.

Corvinus lapis à Belemnite diverſus à Lud. Dulci deſcribitur, ac in capite corvi piſcis cum ſocio reperiri, colore albo, obſcuro, forma ovali, ab una parte concava, ab altera cõvexa, in cuius medio tuber-

berculum ſit, ac è piſce excavari creſcente Luna Maio menſe dum adhuc palpitat. Dolores inteſtinorum depellere ſi carnem attingat, aut bibatur, traditur. Corvinum lapidem alium deſcribit idem Ludovicus colore flavo. Sed non niſi hac induſtria haberi poſſe. Prima Aprilis corvi ova coquantur ad duritiem, refrigerata nido imponantur. ita corvus ovorum iacturam percipiens, hunc lapidem quærit, ac inventum nido imponit. quo ova in priſtinum ſtatum reſtituuntur, proleſque inde ſuſcitantur. Verum lapis cito auferendus eſt, ut geſtatus divitias augeat, honores conciliet, ac futurorum eventum prędicere faciat. Sed vana hæc ſunt, ac pura putaque mendacia.

Coravus Marmoris ſpecies eſt.

Craterites inter Chryſolithon & electrum colorem habet, prædurę naturæ. Plin. lib. 37. cap. 10.

Crocallis ceraſum repræſentat. Plin. Ibid.

Cyſſites ab hedera nomen habet.

Cinæda invenitur in cerebro piſcis eiuſdem nominis, candida, & oblonga, eventuque miranda, ſi modo eſt fides, præſagire eam habitum maris nubili colore, aut tranquillitatem. Plin. lib. 37. cap. 10.

Cyamea nigra eſt, ſed fracta ex ſe fabæ ſimilitudinem parit. Plin. Ibid. Forte eſt neotericorum Camehuia.

D.

Daphnia à lauri figura dicta comitiales demonſtrat. Plin. lib. 37. cap. 10.

Demonius duobus coloribus mixtus eſt iridis inſtar. valet ad febres, ac venena pellit, geſtan-

ſtantemque ſecurum & victorioſum reddit. Lud. Dulc.

Dendrites ab arbore dicta, & alba, defoſſa ſub arbore, quæ cædatur, ſecuris aciem non hebetat. Plin. lib. 37. cap. xI.

Diadochus pallidus eſt lapis ſimilis Beryllo, dæmones apparere facit, præſertim ſi certis carminibus in aquam proiiciatur, in qua diverſas ſpecies dæmonum oſtendit, quæ interroganti reſpondent. Ore detentus quem quis demonem ex inferno velit ad ſe venire compellit, ac ad interrogata deſideratum reſponſum conſequitur. Cadavera averſatur, quia cum corpus mortuum attingit, omnes vires amittit. Lud. Dulc.

Diacodus idem qui diadochus. Plin. lib. 37. cap. x.

Dionyſias, nigra ac dura miſtis rubentibus maculis, ex aqua trita ſaporem vini facit, & ebrietati reſiſtere putatur. Plin. lib. 37. cap. x. Hanc Ludovicus Dulcis narrat ferruginei eſſe coloris, ac aſperſam maculis albis, inveniríque in Oriente.

Diphris duplex, candida, ac nigra, mas, ac fœmina, genitale utriuſque ſexus diſtinguente linea. Plin. Ibidem.

Dorialtides dicitur reperiri in capite mucilaginis animalis. quando acervo formicarum imponitur, lucidus fit. *a* Aliqui ex capite galli ſumi putant; ac eam facultatem habere ut quis quæcunque deſiderare poſſit conſequatur. Lud. Dulc.

Dotto lapis eſt viridis, aliquomodo tranſparens. Lud. Dulcis ait Chryſolithi eſſe ſpeciem.

Droſolithus varii coloris eſt. igni appoſitus ſudare videtur. Lud. Dulc.

a *Libro* v. *de Natura Foſſilium cap.* 14.

E.

Echidna à ſerpente dicta Ophites eſt.

Echiſtis eſt Aëtites.

Egittilia eſt Ægyptilla.

Eloſſites pulcher lapis non eſt. facultatem habet geſtatus ſanare capitis dolores. Lud. Dulc.

Electrum, id eſt, Succinum.

Emites lapis eſt colore eboris, albo Marmori ſimilis, verum eo mollior eſt, ex eo Darii ſepulchrum fuiſſe narratur. Credo Alabaſtri genus eſſe.

Emetres. vide Eumetres.

Encrinos lilia repræſentat, cum enim angulata pars una ab altera ſeparatur, utraque quina lilia oſtendit. Nam alterius eminentiæ ingrediuntur in alterius ſtrias. Quælibet vero talis pars quinos habet angulos, latera totidem, utrinque quina lilia, unde pentacrinos græce poteſt dici. Conſtat autem ex pluribus interdum coniunctis. Adnaſcitur lapidibus in rubro nigri coloris ipſe rufus. Fractis ſingulis ineſt lapidis Iudaici color, lævor, ac ſplendor. Quare obtinet eandem vim medendi. Reperitur in foſſa mœniorum urbis Hildeshemiæ in Germania, Agricola teſte. Lib. v. de Nat. Foſſil. cap. v. Germanice vocatur *Lilienſtein*. Mihi nondum viſus eſt.

Encardia cognominatur & Cardiſce. una in qua nigra effigies cordis eminet, altera eodem nomine viridi colore cordis ſpeciem repræſentat, tertia nigrum cor oſtendit, reliqua ſui parte candida. Plin. lib. 37. cap. 10.

Epiſtites, aut Hephiſtrites rubet, & ſplendens eſt lapis. qui certis carminibus cordi admotus geſtan-

ſtantem ab omni periculo ſecurum reddit. arcet etiam locuſtas, aliaque inſecta nociva, ac nubes turbulentas diſcutit ab ea terra in qua locatur. Lud. Dulc.

Eriſtalis cum ſit candida, ad inclinationes rubeſcere videtur. Plin. lib. 37. cap. x.

Erotylos eadem Amphicome & Hieromnemon, à Democrito laudatur in argumentis divinationũ. Plin. Ibidem.

Eumeces in Bactris naſcitur ſilici ſimilis, & capiti ſuppoſita viſa nocturna oraculi modo reddit. Plin. Ibidem.

Eumetren Beli gemmam ſanctiſſimi deorum ſibi Aſſyrii appellant, porracei coloris, ſuperſtitionibus gratam. Plin. Ibidem.

Eureos nucleo olivæ ſimilis eſt, ſtriata concharum modo, non adeo candida. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur eſſe neotericorum lapis Iudaicus.

Eurotias ſitu videtur operire nigritiam. Plin. Ibidem.

Etindros Alberto eſt lapis Cryſtallo ſimilis, qui guttas aqueas perpetuo extillat, ob aërem frigus circumſtantem reſolventem in aquam.

Euſebes lapis eſt, ex quo Tyri in Herculis templo facta ſedes traditur, ex qua dii facile ſurgebant. Plin. lib. 37. cap. 10.

Eunoſius Aëtitis putatur ſpecies.

Eupetalos quatuor colores habet, cæruleum, igneum, minii, mali. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur Opalus.

Exhebenum Zoroaſtres ſpecioſam & candidam tradit. qua aurifices aurum poliunt. Plin. Ibidem.

Execantholithus, vide Hexecantholithus.

Eſti-

Eſtimione eſt Harmeſion.

Exolicetus lapis eſt ſic dictus eo quod quadraginta coloribus eſt diſtinctus, & eſt parvus valde, & efficit oculos intuentis hominis tremulos. In Lybia apud Troglodytas invenitur. Bartholomęus Anglicus. Eſt Hexecantholithus Plin.11.lib. 37. cap. 10, Barbaris ſcriptoribus nomina corrumpentibus.

F.

Fingites, vide Phengites.

Fongites lapis eſt diverſi coloris. Aliqui flammeum colorem, aliqui Cryſtallinum habere putant, ac in Perſide reperiri tradunt. Euax tradit geſtatum manu ſiniſtra Fongitem rubri coloris ſolvere corporis dolores, & iram compeſcere. Lud. Dulc.

Filaterius lapis Chryſolithi colorem habet. pellit timores, ac paſſiones melancholicas. hilaritatem inducit, & cor confortat. Lud. Dulc.

G.

Gagatronica Alberti eſt Garatronius.

Galaxiam aliqui Galactiten vocant, intercurrentibus ſanguineis aut candidis venis. Plin. lib. 37. cap. 10.

Galaicos Argyrodamanti ſimilis eſt, paullo ſordidior. Plin. lib. 37. cap. 10.

Galaricides, vel Galarictis, cinereo colore invenitur in Nilo. Tritus lactis ſaporem edit, oreque retentus mentem turbat, collo appenſus lac auget, femorique alligatus partum facilem

lem reddit. cum ſale & aquá pulvis mixtus, ac ovili inſperſus, oves lacte privat, ac ſcabiem curat. Albertus.

Gallerica lapis eſt ex virore palleſcens, ſatis magnus, aſpectu iucundus. Lud. Dulc. Forte Smaraldopraſſius eſt recentiorum.

Gemites, vel potius Gamites, teſte Plinio lib. 37. cap. 10. alba gemma eſt, manus utriuſque ſe mutuo complectentis ſpeciem edens, à nuptiis quas Græci γάμον vocant, in quibus ſponſi & ſponſæ manus tanquam fidem invicem dantium copulantur. Geſner.

Geloſia, vide Chalaſias.

Galachides, aut Garatides, Bartholomæo Anglico Ceramites, & Alberto Gerachides, ſubnigro colore eſt. geſtantem amabilem, omnibuſque gratum reddit. Ore detentus homini iudicium rectum de omnibus rebus tribuit, ac cogitationes aliorum geſtanti aperit. Ut autem quis dignoſcat hunc lapidem, corpus humanum melle inungitur, ac manui imponitur lapis. Statuto autem homine in loco ubi muſcarum copia eſt, ille à muſcis aut fucis non attingitur, ſi verus ſit Geratides. Lud. Dulc. & Albert. Fabuloſus eſt hic lapis, aut magicus, qui tamen cardiognoſtes eſſe non poteſt, nec id habere quod ſoli Deo competit.

Gecolithus corrupte ſcribitur pro Techolitus.

Genianes inimicorum pœnas efficit. Plin. Ibidem.

H. Hexe-

H.

HExecantholitus in parva magnitudine multicolor, hoc ſibi nomen adoptavit. reperitur in Troglodytica regione. Plin. lib. 37. cap. 10.

Hormezion inter gratiſſimas aſpicitur ex igneo colore radians auro, portante ſecum in extremitatibus candidam lucem. Plin. ibidem.

Horminodes ex argumento viriditatis in candida gemma, vel nigra, & aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris, appellatur. Plin. ibidem.

Horcus lapis ab Alexandrinis Catemia dictus niger eſt, tritu facilis, utilis ad argenti glutinationem. Lud. Dulc.

Hydrinus ab aliquibus Serpentina vocatur. Sanat catarrhos, ac corpus humanum ab omni aquoſa humiditate liberat, ac hydropicorum corpus priſtinæ valetudini reſtituit, ſi cum eo Soli per tres horas exponatur. Sudore enim elicit humiditatem. Verum cautione opus eſt, ne utilis humiditas etiam evacuetur. Vermes venenatos, eorumque morſus ſanat. Sumptus etiam hic lapis, lapidem veſicæ comminuit. Lud. Dulc.

Hyeniæ ex oculis hyænæ, & ob id in vaſe inveniri dicuntur, &, ſi credimus, linguæ hominis ſubditæ futura prædicere. Plin. lib. 37. cap. 10.

I.

ICterias aliti lurido ſimilis; ideo exiſtimatur contra regios morbos. Eſt & alia eodem nomine liquidior. Tertia folio viridi ſimilis latior prioribus, pene ſine pondere, venis luridis. Quartum genus in eodem colore nigris venis deſcendentibus. Plin. lib. 37. cap. 10.

Intrita eſt maltha qua pavimenta parantur.

Iſcuſtos Alberti ignota gemma, niſi Aſbeſtos corrupto vocabulo ſit.

Indica gemma gentium ſuarum habet nomen, ſubrufo colore: in attritu ſudorem purpureũ emanat. alia eodẽ nomine candida, pulvereo aſpectu. Plin. lib. 37. cap. 10.

Ion apud Indos violacea eſt, ſed raro ſaturo colore lucet. Plin ibidem.

K.

KAkabre, Karate, aut Karadre, colore eſt Cryſtalli cum fuſca albedine. Hominem eloquentem, & iucundum facit, honores dat, geſtantem amabilem facit, ac à rebus nocentibus tuetur, atque hydropem curat. Lud. Dulc. & Albert.

Kalkabre eſt Gagates. Albert.

Kaman, aut Kakaman, lapis albus eſt variis coloribus diſtinctus, dictus à Kaumate, quod incendium denotat. In locis ſulphureis, & calidis invenitur. Non habet ſingularem vim, niſi eam à ſculpturis nanciſcatur. Lud. Dulc.

Kenne eſt lapis qui in oculo cervi generatur

tur ad venena valens ut Bezoar. Lud. Dulc.

Kimedinus, id eſt, Cynedia. idem.

Kinocetus dæmones fugare creditur. Lud. Dulc.

L.

LActea, lapis eſt coloris flavi, qui alicui liquori impoſitus colorem lacteum efficit, ac oculis adhibitus lachrymantibus fluxum ſiſtit. Ludov. Dulc.

Lauraces lapis eſt qui capitis dolores ſanat, alioſque morbos aufert. idem.

Lapis fabalis niger (ut Stobæus ait) fabæ ſimilis in Nilo naſcitur, quo viſo canes non latrant. Idem optime facit ad vexatos à Dæmonio. Aiunt enim quamprimum naribus appoſitus fuerit, Dæmonium egredi. Traſylus apud Stobæum ſermone 98. & Plutarch. de fluviis, recenſente Geſnero.

Leucopetalos candorem nivis ex auro diſtinguit. Plin. lib. 37. cap. x.

Leucoſtitus eſt Porphyrius.

Lithodæmon Silvatico eſt lapis dęmonum, alias Gagates.

Linurgus in Acheloo fluvio naſcitur, lapis lineus dictus ab eventu. Linteolo enim ſi imponas, δὶ' ἔρωτος ἔνωσιν τὸ σχῆμα λαμβάνει καὶ ἄργιον γίνεται. Plutarchus de fluviis. Videtur autem locus depravatus. Forte homines ſuperſtitioſe creduli, lapidem in linteolo ligabant, cuius colorē (χρῶμα non σχῆμα) ἄργιον vel ἀργὸν, id eſt, candidum, ſi acciperet lapis livore depoſito, bene ominabantur & ſperabant de ſuis amoribus. Geſn. lib. de Foſſilib. c. 120.

Lignites colore vitri, è collo pueri geſtata eum tuetur contra faſcinationes, fronti alligatus hęmorrhagiam ſiſtit, mentiſq; alienationes aufert, ac futura prædicere facit. Lud. Dulc. Deſcribit hic auctor multos lapides quos nunquam vidit, & qui in rerum natura non ſunt.

Lychinus, id eſt, lychnites.

Lynce eſt lapis ab urina lyncis generatus, verũ à Lyncurio, vel lapide Lyncis differt. Nam cum terra abſconditur, mollis eſt. Sed cum in loco arido ponitur, indureſcit. Colorem album nigro commixtum habet. In terra detentus, aut loco humido, fungos producit. Ludov. Dulc. Forte fungifer lapis eſt, de quo ſupra peculiare caput eſt.

Limoniates eadem videtur quæ Smaragdus. Plin. lib. 37. cap. 10.

Linficus lapis bibitus caducum ſanat, ac à doloribus, & incommodis hominem liberat. Lud. Dulc.

Lithus, id eſt, Magnes.

Liparis lapis eſt cuius ſuffitu omnes beſtiæ evocantur. Plin. lib. 37. cap. 10.

Libanochros thuris ſimilitudinem oſtendit, ſed ſuccum mellis. Plin. Ibid.

Lunaria, id eſt, Selenites.

Lychnites appellata à lucernarum accenſarum præcipua gratia, naſcitur circa Orthoſiam, totaque Caria, ac vicinis locis, ſed probatiſſima in India, quam quidam remiſſiorem Carbunculum eſſe dixerunt. Secunda bonitate ſimilis eſt, Ionis appellata à prælatis floribus. Et alias invenio differentias, unam quæ purpura radiet, alteram quæ cocco. A Sole excalfacta, aut digitorum attritu, paleas & char-

chartarum fila ad ſe rapere dicitur. Plin. lib. 37. cap. 7.

Lyſimachus Rhodio Marmori ſimilis eſt, aureis venis. politur ex Marmore, amplitudine in anguſtias coëunte, ut inutilia exterantur. Plin. lib. 37. cap. 10.

M.

MAchera lapis reperitur in Berecyntho monte Phrygię ferro ſimilis, quem ſi quis invenerit, quo tempore myſteria matris deorum peraguntur, in furorem incidere fertur. Plutarch. in libro de fluviis.

Magneſia eſt Alabandicus.

Medea nigra eſt, à Medea illa fabuloſa inventa, habet venas aurei coloris, ſudorem reddit croci, ſaporem autem vini. Plin. lib. 37. cap. 10.

Medus à Media regione nomen habet, alius niger, alius viridis. Etiam Medinus vocatur. Niger ſi cum lacte cutem mulieris attingat, partum maſculum efficit, viſumque amiſſum reſtituit. Cum lacte ovis quæ ſemel agnum peperit mixtus ſanat podagram. Per os ſumptus præſens venenum eſt. Viridis lapis cum felle bovino, ac lapide Calaminari mixtus, ſeptem diebus collyrii loco uſurpatus, viſum mirum in modum acuit. Ludov. Dulc. & Albert. Ignotus eſt lapis.

Melochites, id eſt, Malachites.

Meroctes porracea, lacte ſudat. Plin. lib. 37. cap. 10.

Memphites à Memphi civitate dicta eſt. Bibita, aut cum aceto macerata, ſtuporē inducit membris, ut abſque dolore amputari poſſint. Lud. Dulc.

Morion Indica. quæ nigerrimo colore tranſlucet, vocatur Pramnion : in qua miſcetur & Carbunculi colos, Alexandrinũ: ubi Sardæ, Cyprium. Naſcitur & in Tyro, & in Galatia. Xenocrates & ſub Alpibus naſci tradit. Hæ ſunt gemmæ quæ ad ectypas ſcalpturas aptantur. Plin. lib. 37. cap. 10. Videtur Bohemorum Topaſius, qui nigredine exuſta aureus apparet, alias ex nigredine tranſparente ignis ſcintillat.

Mythridates in Perſia reperitur, quæ excipiens Solis radios, reſplendet variis coloribus. Lud. Dulc.

N.

NArciſſites venis hederæ diſtincta eſt. Plin. lib. 37. cap. 10.

Naſamonites eſt ſanguinea nigris venis. Plin. Ibidem.

Nebrites Libero patri ſacra nomen traxit à Nebridum ſimilitudine. Sunt & aliæ nigræ generis eiuſdem. Plin. Ibidem.

Nemeſites. Hanc Athenienſes ſe ab altari deæ Nemeſis elevare tradunt. Lud. Dulc.

Noſus, vel Niſus, eſt Alabaſtrum.

Nympharena urbis & gentis Perſicę nomen habet, ſimilis Hyppopotami dentibus. Plin. lib. 37. cap. 10.

O.

OLea eſt coloris flavi, nigri, albi, & viridis. Lud. Dulc.

Oritorius lapis minor Aetite intus reſonat, exteriori

teriori ſuperficie lævis, & fragilis. Liquefactus ſucco ocymi cũ ſanguine ocheritis, & capite omidis, adiecta aqua, ac impoſitus vitreo vaſi, vires oſtẽdit. Quia ſi quis digitum imponat unguento, eoque attingat lignum, metallum, aut lapidem duriſſimum, ſtatim rumpet. Lud. Dulc. Quis non miretur ſtultitiam huius auctoris?

Ornicus, id eſt, Sapphirus.

Orca barbari nominis, è nigro, fulvoque, ac viridi, & candido placet. Plin. lib. 37. cap. 10.

Ophicardelon barbari vocant, nigrum colorem binis albis includentibus. Plin. Ibidem.

Onagrius, id eſt, aſininus lapis. de quo ſupra.

Orites globoſa ſpecie, à quibuſdam & Siderites vocatur, ignem non ſentiens. Plin. Ibidem. Orites eſt trium generum. Una nigra rotunda, quæ trita, & uncta oleo roſato, ſanat vulnera animalium ſylveſtrium, & morſus venenatos, relinquens qui eam portat ſalvum inter reliqua animalia. Alia ſpecies viridis eſt maculis albis, quæ portata adverſis caſibus reſiſtit. Tertia ſubtilis eſt laminis ferreis inſtar, quæ portata conceptionem impedit, conceptumque partum expellit. Lud. Dulc. & Albert.

Ophthalmius ad oculorum morbos valere traditur, ac geſtantem inviſibilem facere. Albert. Fictitius eſt lapis.

Orphanus eſt ignobilioris Opali ſpecies, ſeu Pſeudopalus, vini colore, & lacteſcens. Tales Opali in Hungaria inveniuntur, ſed Alberto pretioſus Opalus videtur, quia Imperatoriam gemmam facit. Orphani nomen illi dat, quia Germanica lingua à pupillo, ſeu orphano, nomen habet, vulgo *ein VVeiſe*.

Othonna lapis in Ægypto exigua magnitudine æreo colore. Pyritis, vel Marchaſitæ ſpecies.

P.

Palmati lapides circa Mundam in Hiſpania ubi Ceſar dictator Pompeium vicit reperiuntur, idque quoties fregeris. Sunt & nigri, quorum auctoritas venit inter Marmora, ſicut Tænarius. Varro nigros ex Africa firmiores eſſe tradit quã in Italia. E diverſo albos tornis duriores quam Pariũ. Plin. lib. 36. cap. 18.

Panthera alias Euanto habet diverſos colores in uno corpore mixtos inſtar Pantheræ, unde illi nomen eſt. Habet ſigna in ſe nigra, rubra, pallida, viridia, roſea, & purpurea. invenitur in Media. Si aliquis hunc lapidem intuetur dum Sol oritur, victor erit eo die in omnibus artibus ſuis. fertur tot facultates habere quot colores. Albert. Iaſpidis ſpeciem putarem quia coloribus variis ludit.

Pauſebaſtos, id eſt, Paneros.

Pagurus eſt lapis figuram habens cancri marini.

Pallacius, vide Rubinus Ballacius.

Panchrus fere ex omnibus coloribus conſtat. Plin. 37. cap. 10.

Paneros qualis ſit, à Metrodoro non dicitur. Sed carmen Timaridis reginæ in eadem dicatum Veneri non in elegans ponit, ex quo intelligitur additàm ei fæcunditatem. Plin. lib. 37. cap. 10.

Peantides, quas quidam Gemonides vocant, prægnantes fieri & parere dicuntur, medérique parturienti-

rientibus. Nam tales in Macedonia iuxta monumentum Tireſiæ inveniuntur ſpecie aquæ glaciatæ. Plin. Ibidem.

Peonitis, id eſt, peantides.

Peranites lapis eſt generatus de mecheton fœminei ſexus. Nam certo tempore dicitur concipere, & parere ſimilem lapidem. Valere dicitur prægnantibus. Albert. Videtur corrupto vocabulo deſcribi Peantides.

Pentaurea ab Apollonio Tyaneo inventa, omnes alios lapides Magnetis inſtar ad ſe trahit, geſtantem contra venena tuetur. Omnium aliorum lapidum virtutes habet. Birellus.

Perithe ſive Peridonius fulvi coloris, valet contra arthritidem. Si fortius conſtringatur manu, eam adurit. Eius alia ſpecies Chryſolitho ſimilis, ſed viridior. Albertus cum Pyrite confundit, ut ex capite de Pyrite facile colligi poteſt. Sed nec Pyrites, nec alius lapis manum adurit.

Ploginos, quem & Chryſitin vocant, oſtreæ Atticæ aſſimilata invenitur in Ægypto. Plin. lib. 37. cap. 10.

Phycites algæ ſimilitudinem habet. Plin. Ibidem.

Ponticæ gemmæ ſunt diverſorum generum. Eſt ſtellata, nunc ſanguineis, nunc atris guttis, quæ inter ſacras habetur. Alia pro ſtellis eiuſdem coloris lineas habet, alia montium convalliumque effigies. Plin. lib. 37. cap. 10. Forte Iaſpidis, vel Stellaris lapidis ſpecies eſt. Ludovicus tres ſpecies facit, eiuſque beneficio, & ope, cum dæmonibus colloqui, quos & ad reſponſa cogi poſſe, ac deinde fugari, aſſerit, ſed ab eo nunquam viſam exiſtimo.

Portus gemma alba eſt, quæ ſolo candore

ab unione ſuperatur. Ludovicus Dulcis.

Præconiſſus Sapphiri colore ad Chalcedonium accedit. Lud. Dulc. Forte Luco-Sapphirus, aut Camea.

Punicus. huius lapidis duo ſunt genera. invenitur in inſulis Æoliæ. Lavatus & ſiccatus, oculorum vitia curat, ulcera purgat, & cicatrice explet. bibitus ebrietatem arcet. Lud. Dulc.

Pavonius lapis cum ſudore propinatus, eum amore incendit, cuius ſudor lapidi admixtus fuit. Lud. Dulcis.

Phęonychites glandis habet ſimilitudinē. Lud. Dulc.

Pyrobolus eſt Pyritis ſpecies.

Prontea ſimilis eſt capiti teſtudinis, contra tonitrua utilis, quia eius ardorem extinguit, ac in terra reperitur. Birellus. Forte Brontiam putat corrupto vocabulo.

Q.

QUandros eſt lapis colore quidem vilis, ſed eximiæ virtutis, & invenitur in capite vulturis. valet contra quaſlibet cauſas nocivas, & ubera lacte replet. Barth. Ang. & Lud. Dulc.

Quiris, Quirinus, vel Quiricia Alberti, eſt lapis qui in upuparum nidulis invenitur. Hic ſecretorum proditor eſt in ſomno. Capiti enim dormientis ſuppoſitus facit hominem loqui omnia quæ ſomniat dormiendo, augetque mirabiliter phantaſias, unde & magi hunc lapidem diligunt, nam per eum maleficia operantur. Barth. Ang. & Albert.

R. Ra-

R.

RAbri, Ranio, Ramai eſt Bolus Armena.

Roſten ſive Reiben ſecundũ Avicennã eſt lapillus qui invenitur in capite cancri, & eſt aliquando albus, aliquando vergens in flavum colorem. Eſt autem quoad ſubſtantiam mollis, parum durior quam pupilla oculi piſcis. Quoad formam vero eſt exterius rotundus, & planus, interius vero parum concavus; quoad virtutem autem eſt naturaliter frigidus & humidus. Valet contra morſus ſcorpionũ, & muſtelę, ſi contritus more emplaſtri ſupraponatur. Dicitur etiam quod valet contra morſus canis rabioſi, ſi pulvis eius in potu aſſumatur. Si comburatur, pulvis eius mundificat dentes, & deſiccat vulnera, & confert ſcabiei, & prohibet lachrymas. Barth. Ang. Fortaſſis ſunt Oculi Cancri qui hic deſcribuntur.

Radainus, ſeu Radain, eſt nigra gemma, & tranſlucens, quæ in capite galli reperitur, aut ut aliqui volunt in capite cati marini. Dum caput animalis abſciſſum eſt, ac id in acervo formicarum ponitur, depaſta à formicis carne, facile gemma apparet. Geſtanti honorem conquirit, ac ad mandandum idoneum reddit. Lud. Dulc. & Albert.

S.

SArciten in ventre lacerti harundine diſſecti tradunt inveniri. Plin. lib. 37. cap. 10.

Sarmenius à Sarmia inſula in qua invenitur nomen habet. Inſervit auro poliendo. Portatus vertiginem ſedare dicitur, ac manu parturientis alligatus

gatus partum impedire. Albertus.

Sallius lapis eſt ab inſula eiuſdem nominis dictus. Quo aurũ politur. Albus eſt, gravis, & frangibilis. ſolvit vertiginem. ſi bibatur, abortum prohibet. oculorum vitia curat, præſertim ſi lacte teratur, & oculis ſupraponatur. Lud. Dulc.

Sinochites, id eſt, Galatites.

Sedehego, id eſt, Hæmatites.

Spartepolios, id eſt, Polia.

Syrus eſt à Syria dictus, qui integer natat, & comminutus fluctuat. Albert.

Straſites lapis eſt non admodum pulcher, ſed magnarum virium. tritus, & propinatus cum ſatyrionis radice, venerem auget. E collo ſuſpenſus digeſtionem auget ac venerem accendit. Ludov. Dulc.

Synodontides è cerebro piſcium eſt, qui Synodontes vocantur. Plin. lib. 37. cap. 10.

Syderopœcilus in Æthiopia naſcitur. ea fit variantibus guttis. Plin. Ibid.

Syrites nonnullis eſt Sapphirus. Sed Plin. lib. 11. cap. 37. in veſica lupi naſci ſcribit.

Syſinus colore eſt cinereo, non durus. Oleo inunctus in igne induratur, & nigreſcit. Lud. Dulc.

Syringites ſtipulæ internodio ſimilis, perpetua fiſtula cavatur. Plin. lib. 37. cap. x. Forte recentiorum Oſſifragus.

T.

Tarac lapis eſt irreparabilis. omnem fluxum ſiſtit. in eius loco ſupponitur à medicis Sanguis Draconis. Lud. Dulc.

Trapendano eſt Pyritis ſpecies. Lud. Dulc.

Tarti

Tarti lapis eſt pulcherrimi coloris, pavoni ſimilis, viſui gratus, & magnis facultatibus. Ludov. Dulc.

Trachinus duorum generum eſt, alter niger, alter ad viriditatem tendens, non tranſlucens. Lud. Dulc. Forte Nephritici Lapidis ſpecies.

Thracia trium generum eſt: viridis, aut pallidior, tertia ſanguineis guttis. Plin. 37. cap. 10.

Thyriſites Corallo ſimilis eſt.

Thyrreus lapis quamvis grandis aquæ innatat, comminutus mergitur. Plin. lib. 2. cap. 103.

Trichrus ex Africa niger eſt, ſed tres ſuccos reddit, à radice nigrum, media ſanguineum, ſummo candidum. Plin. lib. 37. cap. 10.

Telirrhizos cinerei coloris aut rufi candidis radicibus ſpectatur. Plin. Ibidem.

Telicardios colore cordis Perſas apud quos gignitur magnopere delectat, maculamque appellant. Plin. Ibidem.

V.

VEientana Italica gemma eſt Veiis reperta, nigram materiam diſtinguente limite albo. Plinius lib. 37. cap. 10.

Virites, id eſt, Pyrites.

Vulturius, vel Vulturnus, id eſt, Quandros.

X.

XAnthos ab Indis Henui vocata, Hæmatitis eſt ſpecies. è fulvo candicat. Plinius lib. 37. cap. 10.

Xifinus, id eſt, Sapphirus.

Y. Yet-

Y.

Yettus ſanguinei coloris eſt, durus, & obſcurus, vices lapidis Lydii ſubit. Lud. Dulcis.

Ydrinus, vide Hydrinus.

Z.

Zanthenen in Media naſci Democritus tradit electri colore, & ſi quis terat in vino palmeo, & croco, ceræ modo lenteſcere, odore magnæ ſuavitatis. Plin. lib. 37. cap. 10.

Zamech eſt lapis lazuli.

Zmilaces in Eufrate naſcitur Proconneſio Marmori ſimilis, medio colore glauco. Plin. Ibidem.

Zingnites alias Zingrites ſecundum Albertum lapis eſt vitrei coloris, qui geſtatus in collo valet contra nyctalopiam, & ſanguinem ſiſtit, & mentis alienationem repellit, & ſi teneatur ad lignum accenſum extinguitur flamma eius. Barthol. Anglicus. A Lud. Dulc. Zitites vocatur. Ego hunc lapidem fabuloſum autumo.

Ziazaa à loco natali nomen habet. è tot coloribus miſcetur ut nullus verus appareat. Geſtantem litigioſum facit, ac in ſomno videre terribilia. Ludovicus Dulcis.

Zozoniſios in Indo fluvio naſcitur. Magorum gemma eſſe narratur, neque aliud amplius de ea. Plin. cap. 10. lib. 37.

CAP. CCCIV.

De fluoribus.

INter gemmas & lapides medium locum videntur obtinere fluores. Qui nihil aliud ſunt, quam gemmæ legitima & requiſita duritia deſtitutæ, & imperfectæ. Tantam enim mollitiem habent, ut cultro ſcindi, & interdum humanis unguibus rumpi poſſint. Pellucidæ tamen, & tranſparentes ſunt, ac variarum gemmarum ſimilitudinem referunt.

Ab his diſtant fluores lapidei, (quos ad pyritum aut ſilicum genera retuli.) qui ideo tantum fluores appellantur, quod igni impoſiti fluant aquæ inſtar, ac metallorum liquefactorum exhalationes, ſuperiniecti ac liquefacti, prohibeant. Priores fluores tam varie, & tam multipliciter diſtinguuntur, quam gemmæ ipſæ. Alii candidi, & pellucidi, ſexanguli, quadrāguli, pentagoni, pangonii, Cryſtallo ſimiles, alii non pellucidi quavis forma, & variis lapidibus metallicis innaſcentes. Alii rurſus rubri, Granatis; vel Rubinis ſimiles, varieque formati. Alii nigri multorum etiam angulorum, ex quibus interdum ſtannum excoquitur. quinetiam & nigri ſunt Gagati ſimiles. Alii flavi lapidem Specularem, Chryſolithum, Topaſion, Crocum, Succinum, aut Hyacinthum referunt. Alii virides Praſſium, Smaragdum, aliaſque gemmas imitantur. Alii cærulei Sapphiro, Beryllo, aliiſque gemmis non ſunt diſſimiles. Alii purpurei Amethyſti gratiam habent. Alii phœnicei coloris, ſeu caſtanei, alii cinerei coloris ſunt, ita ut vix aliquem colorem eſſe putem quem non habeant fluo-

fluores, eumque non ſimplicem, ſed commixtum interdum aut confuſum, & aliquando in uno corpore à ſe invicem diſtinctum. Nam ut natura in gemmis, ita in fluoribus, variis ludit coloribus. In Germaniæ, aliarumque regionum metallicis fodinis reperiuntur, ac lapidibus metallicis plerumque adnaſcuntur, ac ex eadem materia ex qua gemmæ generantur, oriri, vix dubium eſt. De viribus nemo hactenus ſcripſit.

Gemmarum quarum referunt formas,
vires habere veriſimile
eſt.

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A.

Aronis Adamas. 95. & 216
Abortui impediendo remedia. 253
Abſinthus. 548
Achatum genera. 244
Achatis deſcriptio. 243. & ſeq.
Achatis differentia ab Onyche. 245
Achates Pyrrhi. 246
Achatis mira forma. ibid.
Achatis valor & adulterium. 148
Achatis à Iaſpide differentia. 244
Achatis proprietates, & facultates. 246
Accidentia gemmarum. 62
Acopis. 198. & 402
Adamas Aaronis. 95. & 216
Adamas ad venena. 125
Adamas alium gignit. 121
Adamas an venenum ſit. 124
Adamas arma penetrat. 138
Adamas paleas trahit. 123
Adamas Bohemicus. 219
Adamas cur aliis durior. 59
Adamas cur tincturã capiat. 116
Adamas fidelitatem an prodat. 123
Adamas Hungaricus. 120
Adamas in ſymbolis quid deſignet. 138
Adamas magnetis vires non tollit. 122
Adamas malleum non fert. 122. paleas trahit. 123
Adamas plagas oſtendit. 123
Adamas quomodo ſculpatur. 139
Adamas reconciliationis gemma 125
Adamantem frangere. 138
Adamanti proprium. ibid.
Adamantis aciem plumbum non obtundit. 123
Adamantis æmulatio cum aliis gemmis. 117
Adamantis emendatio. 122
Adamantis fraus. 116
Adamantis imperfecti pretiũ. 136
Adamantis locus natalis. 120
Adamantis pretium abſque tabella venari. 133
Adamantis ſculptura. 127
Adamantis ſignificatio. 138. tinctura. 115
Adamantis uſus. 137. dignitas. 128
Adamantum genera. 119
Adamantum magnitudo. 121
Adarce. 321
Adarces. 402

Adulteria margaritarum. 118
Aer cur diaphanus. 47
Aer cur induret. 62
Ægyptilla. 549
Aëtites furem prodit. 378
Aëtitis deſcriptio. 375. & *ſeq.*
Aëtitis genera. 376
Aëtitis natura, uſus, & facultas. 378
Aëtitis valor, dignitas, & pretium. 379
Aetitis figura diverſa. 376
Agapis. 548
Agentia duplicia. 98
Ageratus. 407
Alabandinus. 494
Alabaſtrum. 490
Alabaſtrum onyx Dioſc. 239
Alabaſtritis & Alabaſtritidis locus natalis. 490. & *ſeq.*
Alabaſtritis genera. 491
Alabaſtri vires. 493
Albedinis materia diaphana. 56
Albis menſtruis remed. 385
Album & nigrum diaphana non ſunt. 56
Alcheron Lapis in felle boum. 373
Alcionium. 402
Alectorius lapis. 342, *eius varietas & vires. ibidem.*
Aliofar. 167
Altizoen. 550
Almandini. 159
Alumen ſcaiolæ. 397
Alvi fluori remed. 223, 313, 493
Amandini. 155
Ambuſta curans. 523
Amatides. 548
Amethyſti fucus. 166
Amethyſti pretium. 163
Amethyſti vires. 166
Amethyſti tabula. 164
Amethyſti uſti nitor & pulch. 164
Amethyſtus. 162
Amethyſtizontes. 141
Amiantus. 382, *eius figura & miraculoſum linimentum.* 384, & *ſeq.*
Amici homini qui lapides ſint. 19
Amicitiæ cauſa. 88
Ammochryſus. 424
Ammonites 423, *eius differentia à Stalagmite.* 424
Amori reconciliando. 35[illegible]
Amphitane. 548
Amygdaloides. 529
Anachites. 549
Androdamas. ibid.
Androas. 549
Anguium lapis. 34[illegible]
Antachates. 244, & 549
Anterotes. 549
Anthracitis. 528
Antipathes. 549
Antipathia quid. 11[illegible]
Antipathia rerum. 36[illegible]
Aphroſidiace. 54[illegible]
Apiſtos. 54[illegible]
Apoplexiæ remedium. 33[illegible]
Aqua ad fiſtulas, cancrum, oculos, maculas veſtium. 52[illegible]
Aqua argentea quomodo fiat 181
Aqua cauſa adiuvans. 2[illegible]
Aqua neceſſaria ad lapidum generationem. 2[illegible]
Aqua marina. 21[illegible]
Aqua Perlata. 17[illegible]
Aquileus aëtites. 54[illegible]
Argyritis. 55[illegible]
Argyrodamas. 39[illegible]

Armenii lapidis deſcriptio, 292, *& ſeq. eius facultates.* 294
Armenii lapidis color quomodo extrahatur. 296
Arthritidis remedium. 328
Asbeſtinæ mappæ. 382
Asbeſtos. 550
Asbeſti texendi modus. 384
Aſyctos. 550
Aſius lapis. 403. *& ſeq. eius electio. ibid. ubi reperiatur.* 405
Aſinus Indicus Vnicornis. 431
Aſinius. 550
Aſpilates. 550
Aſteria. 226
Aſteriæ Hiſtoria. 300
Aſteriæ vires, & pretium. 228
Aſthmati conducens. 328
Aſtrios. 227
Aſtrobolus. 226
Aſtroites. 192
Aſtroitis genera. 298. *eius proprietates, facultates, & valor.* *ibid.*
Aſtroitis Hiſtoria. 297. *& ſeq.*
Atizoës. 551
Atomi cur in occluſo cubiculo videantur. 48
Augitis. 551
Auguſtum marmor. 494
Auripigmentum coctum rubinum imitatur. 149
Aurum è lapide lazuli ſeparare. 290
Aurum non facile ſolvitur. 27
Autoglyphus. 551

B.

Balanitæ. 550
Balatii imitatio. 149. *& ſeq. eius pretium. ibid. & virtus. ibid. eſt mater rubini.* 145
Baptes. 550
Baroptenus. *ibid.*
Baroptis. *ibid.*
Baſaltes. 496. *ubi reperiatur. eiuſque uſus.* 498. *eius ſecandi modus.* *ibid.*
Baſanus. 496. *& ſeq.*
Batrachites. 301
Belemnites. 474. *eius differentiæ, & locus natalis.* 478. *eius facultates.* 480
Beli oculus. 226, 249, *differt à pſeudopalo.* *ibid.*
Berylli aëroides. 114
Berylli cerini. *ibid.*
Berylli hyacinthizontes. *ibid.*
Berylli oleaginei. *ibid.*
Berylli valor, & adulterium. 216
Berylli vires. 214
Beryllus. 214. 219. *ubi naſcatur.* 214
Beryllus veterum multas gēmas comprehendit. *ibid.*
Bezoar deſcriptio. 361. *& ſeq.*
Bezoar genera. 364
Bezoar in qua parte animalis generetur. 366
Bezoar lapidis etymologia, & ad Bezoar pertinentia. ex Iac. Bontio. 362
Bezoar proba. 372
Bezoar pulvis inſignis cum aliis ad vermes. 369
Bezoar valet ad medicamenta maligna. 370
Bezoar valet ad omnes morbos diuturnos. *ibid.*
Bezoar valor. 371
Bezoartici lapidis electio. 371

Bolenia. 551
Boves unicornes. 430
Borea. 251
Boreas. 265
Borſycites. 551
Boſtrychites. 528
Botrytis. ibid.
Bracteas pro gemmis facere. 73
Bractearius quis. 498
Brocatella. 247
Brocatello. 506
Brontias. 301,348,485
Brontiæ facultates. 487
Bufonius lapis. 301. eius genera, & vires. 302. & ſeq.
Buga. 494
Bulgolda lapis. 357

C.

CActonites. 551
Cadmitis. 552
Caymanum lapis. 353
Calaminaris lapidis præparatio. 458
Calamites. 527
Calculi remedia. 206, 223, 253, 303, 310, 350, 407, 409, 503. remedium mirū. 354
Callais. 552
Callainas. ibid.
Callimus lapis. 380
Calondronius. 552
Calor univerſi communis cauſa. 25
Calx ex lapidibus cur. 62
Calx cur incaleſcat aqua. 522
Calcis vires. ibid.
Camaſcus. 552
Cambnites. ibid.
Camehuia vel Camea. 239
Cameus. 233
Camei. 244
Camei imitatio. 245
Cantharias. 528
Capitis doloribus remedium. 270, 344
Capnites. 529, 552
Caratobates. 552
Carbūculus an habeatur, incertum. 14
Carbunculi deſcriptio. 140
Carbunculi genera. ibid
Carbunculus eſt magnus rubinus. 14
Carbunculos peſtilētes Aëtites diſcutit. 37
Carcinas. 52
Cardialgiæ remedium. 26
Cardiſce. 529, 552
Cariſteus. 55
Carpionum lapis. 349
Caſtitatem prodit Smaragdus. 199
Caſtitatē an prodat Adamas 123
Caſui remedia. 26
Catochites. 55
Catoptrites. 53
Cauſa efficiens duplex. 9
Cauſa naturalis tantum naturales effectus producit 94
Cauſa efficiens lapidum. 2
Cauſa materialis gemmarum 25
Cauſa materialis vera gemmarum. 2
Cauſa formalis lapidum. 2
Cauſa ſupernaturalis gemmarum quæ. 8
Cauſa libera. 9
Cauſæ quatuor. ibid

Cau

Cauſarum diſtinctio. 103
Cauterium ex cryſtallo. 225
Cauterium potentiale. 523
Cegolites. 552
Cenar lapis. 355
Cenchritis. 423
Cepionides. 553
Cepites. 230
Cepocapites. 552
Cepoides. 530
Cerachates. 247
Ceramites. 553
Ceratites lapis. 425
Ceraunia. 226. *& ſeq.* 341, 479
Ceraunia figura. 341, 483
Ceraunia vires. 484. *& ſeq.*
Ceraunia differentia, & loci natales. ibid.
Ceraunites. 477, 479
Cerebri vitiis utile. 327. *& ſeq.*
Cerites. 529
Chabrate. 553
Chalaxias. 528
Chalazias. 554
Chalcedonius. 238
Chalcedonii genera. 239
Chalcedonii locus natalis. ib.
Chalcedonii, ſardonychis & onychis differentia. 239
Chalcedonii pretium. 240
Chalcedonii præſtantiores qui. 239
Chalcophanos. 530
Chalcoſmaragdus. 554
Chanquo. 169
Charcedonius. 120
Chelidonius. 343
Chelidonii vires. 344. *& ſeq.*
Chelonia. 553
Chelonitis. 302, 486
Chernites. 402
Cheripo. 169
Chlorites. 553
Choaſpites. 553
Cholo. 554
Chryſantherinus. 553
Chryſelectron. 210
Chryſitis. 494
Chryſoberyllus. 214. *& ſeq.*
Chryſocolla. 548
Chryſolampis. 207, 529
Chryſolithus. 207, *eius valor.* 210
Chryſopagion. 553
Chryſopatius. 207
Chryſophis. 529
Chryſopilon. 553
Chryſopraſius. 103
Chryſopraſus. 205
Chymia prodit principia rerũ. 28
Chymica gemma falſa. 40
Cimilianthus. 554
Ciſteolithus. ibid.
Ciſſites. 528, 554
Citrinus. 219, 226
Cletrites. 529
Clites. 554
Coaſpis. ibid.
Cœli color. 552
Cogitationum tumultus prohibere. 253
Colantes. 554
Colicæ remedium. 264, 338
Coloratio gemmarum. 67
Color ſenſu inviſibilis. 50
Color duplex. 52
Color niger diaphanum impedit. 57
Colores gẽmarũ unde, Auctoris opinio. 153. *cur diverſi.* 39
Color ſtatuit gẽmis pretiũ. 158
Coloribus ſiccis pingere quid ſit. 399

Colorum materia. 52
Colorum cauſa ſalis ſpecies. ibid.
Colorum mixtiones. 55
Columnarum paſta. 72
Comitiali morbo remediũ. 212, 224, 312, 344.
Conceptioni impediendæ. 393
Conchæ cur cutem habeant. 168
Conchites. 528
Conditiones naturalis effectus. 98
Contagionis remedia. 309
Contagiis remedium Bezoar. 369
Contagii remedium Achatis. 248
Contuſionibus Sapphirus medetur. 186
Coracias. 477, 530
Corallachates. 247
Corallium ut creſcat. 306, *racemoſum.* 316
Corallii hiſtoria. 303, *& ſeq.*
Coralliorum generas 305, *liquor.* 313, *tinctura.* 311, *tincturæ hiſtoria auctoris, notatu digna.* 312
Coralliorum vires. 308, *& ſeq. ſal.* 311. *eſſentia.* 314. *valor.* 315, *imitatio.* 316, *& ſeq. amiſſus color ut reſtituatur.* 308
Corallium ad dæmonia & faſcina. 315
Corallium à viro geſtum elegantius fit. 308
Corallium colores mutat. ibid. & ſeq.
Corallium morbos oſtendit. ibid.
Corallium eſt amuletum. ibid.
Corallium album quid poſſit. ibid.
Corallina. 321, 529
Coranus. 554
Cordis affectibus utilis Sapphirus. 185, *& ſeq.*
Cordis affectibus Bezoar conducit, & palpitationi. 368, *& ſeq.*
Cordis robur augens. 427
Cordis roboratio à margaritis. 172
Cornelius. 554
Corneolus. 230
Cornu Ammonis. 436, *& ſeq.*
Cornu foſſile. 427, *aſtringit, & exſiccat. ibid. eius facultates. ibid.*
Corſoides. 554
Corvinus. ibid.
Corybantes. 477
Cotes. 524
Cotium uſus. 526
Coticula. 499
Craterites. 555
Cryſtallus. 218
Cryſtallus cur ſex angulos habeat. 41
Cryſtallus cur hexagonius naſcatur, auctoris ſententia. 44, *&* 220
Cryſtallus ubi inveniatur. 22
Cryſtalli facultates. 222, *& ſeq.*
Cryſtalli genera. 22
Cryſtalli materia an ſit aqua. 219, *& ſeq.*
Cryſtalli tinctura. 68
Cryſtallo gemmas imitari. 22
Cryſtallorum oleum. 22
Cryſtallorum diverſæ figuræ 219
Cryſtallorum ſal. 22

Cry

Cryſtallorum valor, & adulterium. 225. *vires.* 222, & *ſeq.*
Cryſtallorum vitia. 221
Cryſtallinum cauterium. 225
Crocalis 555
Crocian. 529
Croci Martis præparatio. 458
Croci Veneris præparatio. ibid.
Crucifer lapis. 436
Ctenites. 528
Cur variæ res in lapidem mutentur. 537
Cyanei mater. 293
Cyanus. 273
Cyamea. 555
Cydonites. 413
Cynedia. 555
Cyſſites vel Ciſſites. 554
Cyſteolithi. ibid.

D.

DActylus Idæus. 476, & *ſeq.*
Dæmones fugat Smaragdus. 199
Dæmonius. 555
Daphnia. 529, 555
Deerinck. 322
Dendrites. 529, 556
Denſitas in gemmis. 61
Dentium dolori remedium. 328
Dentitioni promovendæ remedium. 310
Deus quando cauſa. 95
Deum gemmæ an reddant propitium. 106
Diabolus quando cauſa. 96
Diabolus ad magiam trahat. ibid.
Diabolus efficiens quando. 97
Diaboli fraus. 96
Diacodus. 556
Diadochus. ibid.
Diamargariti calidi vires. 172
Diamargariti frigidi vires. ibid.
Diaphanitatis cauſa. 25
Diaphanitatem iuvat ſal. 49
Diaphanum duplex. 50
Diaphanum perfectum. ibid.
Diaphanum imperfectũ. ibid.
Diaphanum non impedit aër. 50
Diaphanum poteſt eſſe coloratum. 51
Diaphani cauſa continuitas. 47
Diaphani cauſa non eſt aqua. 47
Diaphana colore carent. 57
Differentiæ lapidum in genere. 15
Differentiæ lapidum ab actione & paſſione. 18
Differentiæ lapidum à qualitatibus. 20
Differentiæ lapidum à loco & ortu. 16
Differentiæ lapidum à ſubſtãtia. 17
Diphris. 556
Diviſio lapidum. 22
Divitiarum cauſa. 88
Diuturnis morbis remedium. 370
Domitianus. 195
Dorialtides. 556
Dotto. ibid.
Dracontia. 345
Droſolithus. 556
Dryites. 528

Duchanek. 347
Duplatæ, aut duplicatæ gemmæ quomodo noſcantur. 63, 149
Duri lapides qui. 13
Durities lapidum. 58
Duritiei cauſa non eſt aqua. 59
Durities quid faciat in gemmis. 60
Duritiei tres gradus in lapidibus. 14
Dyſenteriæ remediū. 199, 112, 493.

E.

Ebenum foſſile. 321
Echidna. 557
Echinites. 528
Echiſtis. 557
Echites. 529
Effectus genera 4. in mundo. 92
Effectus proprie duplex. 101
Effectus proprie qui. ibid.
Effectus qui à gemmis. ibid.
Effectus naturalis duplex. 102
Elatites. 529
Electrum. 557
Elementorum mixtio ſimplex nil producit. 24
Eloſſites. 557
Emetres. ibid.
Emites. ibid.
Encardia. ibid.
Eneoſtis. 421
Encrinos. 557
Enhydros. 381
Enorchis. ibid.
Entrochos. 410
Epilepſiæ Bezoar medetur. 368
Epilepſiæ remedia. 199, 264, 310, 378, 428
Epilepſiæ ſummum remedium. 374, 378
Epilepſiæ & maniæ remedium. 295
Epilepſiæ præcautio. 310
Epilepticorum curæ probatio. 337
Epiſtites. 557
Epitaphia facere. 72
Eryſipelatis remedium. 352
Eriſtalis. 558
Erotylos. ibid.
Eſſentia lapidum. 31
Eſtimione. 559
Etindros. 558
Eumeces. ibid.
Eumetren. ibid.
Eunoſius. ibid.
Eupetalos. ibid.
Eureos. 558
Eurotias. ibid.
Eurrheus. 409
Euſebes. ibid.
Exagonus. 527
Execantholithus. V. Hex.
Exhebenum. ibid.
Exolicetus. 559
Experientia quid. 88
Extrinſeca à gemmis nō fiunt. 105

F.

Fabalis lapis. 563
Factitiæ gemmæ graves. 65
Factitiæ gemmæ limam non ferunt. ibid.
Factitiæ gemmæ quomodo naſcantur. 63
Factitiæ gemmæ quomodo fiant. 66

Facti-

Factitiarum paſta. 69
Falſa gemma. 219
Falſa gemma tribus modis. 64
Faſcina. 315
Faſcinis adverſans. 341. *& ſeq.*
Febrium remedium. 172
Febribus Sapphirus utilis. 186
Fellis lapis. 373
Ferrum magnetis vires & puncta ſuſcipit. 447
Ferrum ab omni parte Magnetis trahitur. ibid.
Feruzegi. 265
Figura multiplex. 107
Figura gemmarum an operentur. ibid.
Filaterius. 559
Fingites. ibid.
Fluores. 575
Bluxui alvi medetur Smaragdus. 199
Fluxui matricis utile. 411
Fluxui oculorum remedium. 172
Fluxui ſanguinis remedium. 232, 328
Fongites. 559
Forma gemmarum. 37
Friabilitas in gemmis. 60
Fungifer lapis. 527
Furis proditio. 378
Futura ſcire contra naturam. 88.

G.

Agates diureticum. 337
Gagatis genera. 236
Gagatis hiſtoria. 335
Gagatis olei vires. 338
Gagatis pretium. 339
Gagatis natura. 337
Gagatronica. 557
Galactites. 412
Galaicos. 559
Galaicon. 359
Galaricides. ibid.
Galaxia. 559
Gallerica. 560
Garatronius. 297
Gecolithus. 560
Gelachides. ibid.
Geloſia. ibid.
Gemma an Deum propitium reddant. 106. *An habeant vires ſupernaturales?* 86. *An præter imaginationem geſtantis agant?* 209 *An ſympathiam habeant?* 111
Gemmæ Bohemicæ fere omnes Cryſtalli ſunt. 108
Gemmæ Chymicæ, falſæ ſunt. 40
Gemmæ cur diverſos colores habeant. 39. *cur fiant rotundæ.* 40. *cur interdum ſupernaturalia operentur.* 127. *cur vitium habeant.* 38
Gemmæ definitio. 13
Gemmæ duplatæ, & falſæ, quomodo dignoſcantur. 63
Gemmæ falſæ quæ dicantur. 108
Gemmæ in qua materia naſcantur. 36
Gemmæ naturaliter operantur. 87
Gemmæ noctu poſſunt lucere. 141
Gemmæ præcipuæ quæ. 167
Gemmæ pulchritudo quid poſſit. 126

Gemmæ quando perfectæ fiant. 38, *quomodo generētur.* 29, *quomodo puræ reddantur.* 67, *quomodo quid faciant.* 107, *quot modis adulterentur.* 64
Gemmæ veræ ſplendent. 65
Gemmæ unde colores habeant, Auctoris opinio. 54, *unde vires trahant.* 86
Gemmarum figuræ an operentur. 107
Gemmarum forma accidentalis unde conſtituatur. 38
Gemmarum principia, 28, *earumque proxima cauſa.* ibid. *quæ quidem elementa ſtatuuntur.* ibid. *earumque materia.* ibid. *vires, ac forma.* 32
Gemmis quæ inſculpi debeant. 127
Gemites. 560
Generatio lapidum quomodo fiat. 29
Genianes. 560
Geodes. 380
Geranites. 528
Giraſole. 191, & *ſeq.*
Gloſſopetra. 340, & *ſeq.*
Gonorrhœæ remedium. 310, 328
Gradus ad magiam. 97
Grammatias. 254
Granatus. 152
Granatus Bohemicus in igne ſervat colorem. 62
Granati Bohemici dignitas. 154
Granati Bohemici puritas, 153
Granati genera. 152
Granatorum pretium. 155
Granati cur rotundi. 41
Granati magnitudo. 152
Granati proprietates. 154
Granatorum præparatio. ibid.
Granatorum tabula. 158
Gravitas gemmarum. 61
Gypſi hiſtoria 399
Gypſo utuntur pictores. ibid.
Gypſum coralloides. 321
Gypſum ad ſtatuas. ibid.
Gypſum ſtrangulat. ibid.

H.

H*Aemachatis.* 247
Hæmatite utimur ad loricas mundandas. 391
Hæmatites ſpurius. 390
Hæmatitis adulterium. 389
Hæmatitis deſcriptio. 386
Hæmatitis figura. 386
Hæmatis genera. ibid.
Hæmatitis locus natalis. 387
Hæmatitis vires. 388
Hæmorrhagiam ſiſtit Smaragdus. 199
Haloſachne. 402
Hammites. 423
Heliotropii genera. 257
Heliotropii hiſtoria. ibid.
Heliotropii magnitudo. 257
Heliotropii valor. 258
Heliotropii vires. ibid.
Heliotropius Iaſpidis genus. 255
Hepatitis. 529
Hephæſtitis hiſtoria. 526
Heraclion. 499
Hexagonus. 527
Hexagoni cauſa in Cryſtallis. 44, & *ſep.*
Hexecantolithus. 561
Herniæ cura. 485

Hie-

Hieracites. 528
Holoſteis. 413
Homo mira facit. 95
Homini quæ extrinſecùs accidunt, à gemmis non fiunt. 105
Hoplites. 437. 529
Horcus. 561
Hormezion. ibid.
Horminodes. ibid.
Hyacinthus. 159
Hyacinthus Plinii. 161
Hyacinthorum genera. 160
Hyacinthorum locus & virtus. 161
Hydrinus. ibid.
Hydropis cura ſuccinum. 328
Hyenia. 528
Hyſterapetra. 408
Hyſtericus lapis. 358
Hyſterolithus. 408

I.

Iacintho la Bella. 153
Iaſpis. 250
Iaſpides crucifera. 254
Iaſpidis experientia Auctoris. 252
Iaſpidis facultates. 251, & ſeq.
Iaſpidis genera. 250, & ſeq.
Iaſpidis imitatio. 256
Iaſpidis valor. 255
Icterias. 562
Igni cur reſiſtant gemmæ. 62
Ileo remedium lapis. 243
Imaginatio an operetur. 109
Imaginatio an agat in corpus alterius. 110
India gemmarum fertilis. 33
India cur gemmas ferat. 34
India cur gemmas meliores habeat. 35
Indica. 562
Intellectus habitus à gemmis non fiunt. 105
Inſtrumenta ad ſculpendum. 57
Intrita. 562
Ion. ibid.
Iris. 219, & ſeq. 221
Iſcuſtos. 562
Iſodomos. 516
Iudaicus lapis. 408

K.

Kakabre. 562
Kalkabre eſt Agates. ibid.
Kaman. ibid.
Karadre. ibid.
Karate. ibid.
Kenne. ibid.
Kimedinus. 563
Kinocetus. ibid.

L.

Lac lunæ. 413
Laconium marmor. 500
Lactea. 563
Lactis abundantiæ remedium. 223
Lactis ubertatem concilians. 413
Lapis ad Ileum. 243
Lapis fabalis. 563
Lapis fungifer. 527
Lapis percæ piſcis. 359
Lapides cur ab aëre indurentur, 62, *cur facile corrumpantur.* ibid. *cur in calcem abeant.* ibid.
Lapides duri qui. 13
Lapides ex aquis metallicis fiunt. 37
Lapides in animalibus generan-

rantur. 36
Lapides in nubibus generantur. 482
Lapides propriè dicti. 520
Lapides pulchri qui. 14
Lapides quidam homini amici. 19
Lapides quidã igni reſiſtunt. 62
Lapides quinam parvi. 13
Lapides quidam rari. ibid.
Lapides quomodo in homine generentur. 540. & ſeq.
Lapideſcens ſuccus. 29
Lapidifica virtus. ibid.
Lapidis duritiei tres gradus. 14
Lapidis & gemmarum duritiei cauſa non eſt aqua. 59
Lapidum craſſiorum generatio. 30
Lapidum differentia à qualitatibus, & 5. ſenſibus. 20. ab actione & paſſione. 18. à ſubſtantia. 17
Lapidum differentia in genere 15
Lapidum & gemmarum cauſa. 26. & quidem materialis ſecundum Paracelſum. ibid. materialis vera. 25
Lapidum & gemmarum denſitas ſub duritie continetur. 61
Lapidum & gemmarum differentia à loco natali & modo ortus. 16
Lapidum & gemmarum diviſio per tabulam. 22
Lapidum & gemmarum durities quid præſtet. 60
Lapidum & gemmarum forma ſubſtantialis. 31
Lapidum & gemmarum mollities unde. 59
Lapidum, gemmarum, & mixtorum cauſa efficiens. 22.
Lapidum & gemmarum raritas & friabilitas unde. 60.
Lapidum ſcalptura. 74
Lauraces. 563
Lazuli ab Armeno lapide differentia. 274
Lazuli aurum ſeparandi modus à lapide. ibid.
Lazuli examinatio. 278
Lazuli Facultates mirabiles ad quartanam. 277
Lazuli genera. 274
Lazuli lapis. 273. & ſeq.
Lazuli præparatio. 279
Lazuli pretium, & colorum extractorum. 290
Lazuli vires. 278. & ſeq.
Leonina. 247
Leontios. 529
Lepidotes. 528
Leucachates. 247
Leucophthalmus. 249
Leucoſtictos veterum. 506
Leucoſtitus. 563
Libanochros. 564
Lichnitis. 489
Lignites. 564
Lignum in lapidem quomodo mutetur. 426
Limacis lapis. 359
Limoniates. 564
Linſicus. 564
Linurgus. 563
Liparis. 564
Literas lapidibus inſcribere. 74

Lithodæmon. 563
Lithus. 564
Loca in quibus res variæ in lapides mutantur. 531
Locus in quo lapides naſcuntur. 32
Loricis mundandis. 391
Lucoſapphirus. 184
Luculleum Marmor. 495
Lulu. 167
Lunaria. 564
Lychinus. 564
Lychnites. ibid.
Lychnitis. 489
Lycophthalmus. 250
Lydius lapis. 499
Lydii lapidis proba. ibid.
Lynce. 564
Lyncurius. 477. & ſeq.
Lyſimachus. 565
Lythanthrax. 339

M.

Machera. 565
Magiæ gradus. 97
Magnes acui ferreæ quomodo virtutẽ communicet. 463. *An ferrum in aëre poſſit ſuſtinere.* 466
Magnes argenteus. 474
Magnes aureus. 475
Magnes Auſtrũ oſtendit. 452. *ferrique venas divites vel pauperes.* 467. *ferro vires tribuit ut mundi plagas oſtendat.* 447. *itinerum dux eſt.* 463. *omni parte ferrum trahit.* 447
Magnes carneus. 474
Magnes cur declinet. 453. *cur præciſe nõ oſtendat polos.* 451. *& cur ferrum attrahat.* 443
Magnes quare cœli plagas oſtẽdat. 445
Magnes trahit per vitrũ. ibid.
Magnete an quis arcana ſua patefacere poſſit. 464
Magnete Ichnographia deſcribitur. 468. *punctumque boreale invenitur.* 446
Magnetis deſcriptio. 438. & *ſeq. eius genera, & loci natales.* 439. & *ſeq.*
Magnetis nominis ratio. 438. & *punctum tractionis.* 450
Magnetis optimi notæ quæ. 441
Magnetis præparatio. 457
Magnetis ſpiritu annulorum catena ſibi invicem adhæret. 447
Magnetis vires amiſſæ quomodo reſtituendæ. 454. & *ſeq.*
Magnetis uſus ad vitra conficienda. 467
Magnetis uſus generalis deſcriptio. 464. & *ſeq. etiam in re medica.* 456. & *ſeq.*
Magneſia. 565
Magneticum emplaſtrum. 456
Magorum ſuperſtitio. 264
Malacenſis lapis. 355
Malacenſis facultates ex Bontio in Annot. 356
Malachitis genera. 263
Malachitis Hiſtoria. ibid. & *ſeq.*
Malachitis valor. 264
Malthæ compoſitio. 523
Mammarum vitiis utile. 404
Manati lapis. 358. & *ſeq.*
Maniæ quid proſit. 344

Manualis lapis. 358
Mare ubi olim fuit, nunc ibi eſt terra. 322
Marga. 414
Margaritæ an ſint lapides Selenitides. 396
Margaritæ Bohemiæ. 170
Margaritæ quomodo perforentur, 180. *& ubi inveniantur,* 169. *quomodo pulchriores fiant.* 181
Margaritæ ſeneſcunt. 171
Margaritarum adulterium. 181
Margaritarum deſcriptio 167. *genera. ibid. locus* 169. *præparatio* 172. *rotunditas earum unde* 41. *valor & pretium* 175. *virtus & uſus earum in medicina* 172. *& ſeq.*
Margaritis ſenecta flaveſcentibus, quomodo priſtinus nitor reſtituatur. 171
Marmor Auguſtum. 494
Marmor Carrarienſe 492. *Laconium* 500. *Lunenſe* 506. *Parium* 489, 568. *Serpentinum* 500, 502. *Thebaicum* 506. *Tiberium* 494. *Zeblicium* 492, 494, 502.
Marmor nigrum, fuſcum, lividum. 494. *& ſeq.*
Marmora. 487
Marmora flava. 505
Marmora granulata. 487
Marmora rubra. 505
Marmora viridia, & cinerea. 500
Marmorum imitatio. 509
Marſilii Ficini error. 345
Materia gemmarum ſecundũ Paracelſum. 26
Mecheton. 569
Meconites. 527
Medea. 565
Medus. ibid.
Melancholiæ Bezoar. 368
Melancholiæ remedia. 211, 275, 333
Melancholiã purgat magnes. 456
Melancholicis morbis remedium. 294
Melichryſon. 210
Melitites. 416, 529
Melochites. 565
Melochitæ Mater. 249
Memphites. 242, 565
Menois. 438
Menſa Iaſpidea Rudolphi. 255. *& ſeq.*
Menſes ciet Succinum. 328
Menſium fluori conducens. 393
Menſtruorum fluxui nimio conducens. 353
Menſtruis albis utile. 328
Merocles. 565
Minii color ex Hæmatite. 388
Mitrax. 228. *& ſeq.*
Mollicies lapidum. 59
Molliciei cauſa. ibid.
Molybdos. 529
Monoceros an ſit. 425, 427, 429. *& ſeq.*
Monoceros habet nigrum Cornu. 431. *& ſeq.*
Monocerotis electio. 435
Monocerotis facultates. 427
Morion. 242, 566
Morochthi à Galactite differentia. 411. *& ſeq.*
Morochthus. ibid.
Morochthi facultates. ibid.

Morſui animalium remediũ. 197
Mutu. 167
Muytes. 528
Myrrhina vaſa quæ. 243
Myrrhina vaſa ex Sardonyche. 235
Myrmecias. 528
Myrmecites. ibid.
Myrſinites. 530
Mythridates. 566
Mythridatis pocula. 240

N.

Narciſſites. 527, 566
Narcoticum. 414
Naſomanites. 566
Naturaliter gemmæ operantur. 87
Nebrites. 566
Nemeſis. ibid.
Nemeſites. ibid.
Nephriticus lapis. 206, 259
Nephritici genera. 260
Nephritici locus natalis. ibid.
Nephritici natura. ibid.
Nephritidis remedia. 261, 360
Neronianus. 195
Nicolus. 234
Nigredo proprie color. 58
Niſus. 566
Noſus. ibid.
Nympharena. ibid.

O.

Obſidianus lapis. 242, 336, 495
Oculus cati. 192, 229, 249
Oculi cati vires, pretium. 229
Oculi cancri. 349. & ſeq.
Oculorum cancri eſſentia. 350
Oculorum cancrorum arcanum ad vulnera & ulcera. 351
Oculorum doloribus utile. 343
Oculorum fluxui remedium. 172
Oculorũ lachrymis remediũ. 310, 327. *vitiis aliis.* 184, 215, 314, 412. *& ulceribus.* 188
Oculus felis. 226
Oculus marinus. 352
Oculus ſolis. 192, 229
Oculus veneris. 353
Olea. 566
Olei Martis compoſitio. 457
Oleum Sapphiri. 187
Ollares lapides. 393
Ombrias. 301. *& ſeq.* 348, 485, *eius facultates.* 487
Onagrius. 567
Onychis ab Achate differentia. 245. *& ſeq.*
Onychis ab aliis differentia. 241
Onychis genera. 242
Onychis imitatio. 245
Onychis vires. 244
Onychis valor, uſus. 243
Onyx, eiuſq; deſcriptio. 241, 491
Onyx in Hiſpania. 242
Onyx Iudæorum. 244
Opacitas gemmarum. 47
Opali adulterium. 194
Opali deſcriptio. 190
Opali genera. 191
Opali magnitudo. 193
Opali natalis locus. 191
Opali proprietates, & virtutes. 193
Opali valor. 194
Opalus niger. 192.
Opalus ubi naſcatur. 193

Opalus

Opalus Nonii. 193
Opalus omnium gemmarum vires habet. ibid.
Opalus varios colores habet. 190
Opalus variis coloribus. 192
Ophicardelon. 567
Ophites. 502. *marmor.* 492
Ophitis genera, & loci natales. 502
Ophitis facultates & uſus. 503
Ophitis veterum deſcriptio. 501
Ophitis zeblicii vires. 502
Ophthalmius. 567
Orca. ibid.
Orexi remedia. 349
Ornicus. 567
Orphanus. 567
Oripendulus. 262
Orites. 567
Oritorius. 566
Oſtrnicus. 566
Oryx unicornis. 431
Oſſibus fractis utile. 221. & *ſeq.*
Oſſifragus. 416
Oſſifragi locus natalis. 417
Oſſifragi vires. 419. & *ſeq.*
Oſſifragi differentiæ. 417
Oſtracites. 393
Oſtreæ margaritiferæ. 170
Othonna. 568
Ovum anguinum. 302, 486
Ovi anguini figura & deſcriptio. 347

P.

PÆderos. 191, 227
Pæonitis. 569
Pagurus. 568
Pallacius. ibid.
Palmati lapides. 568
Palumbellarum lapis. 354
Panchrus. 568
Pangonius. 527
Paneros. 568
Panis dæmonum. 527
Panſebaſtos. 568
Panthera. ibid.
Panterbes. 474
Paragone. 496
Pardalios. 529
Paretonium. 402
Parma. 321
Partui retinendo, promovendo. 199, 328, 378
Parvi lapides qui. 13
Paſta pro columnis. 72
Paſta pro factitiis gẽmis, Alexii. 69
Pavonius. 570
Peantides. 568
Pentaurea. 568
Pentexoche. 527
Peranites. 569
Perca piſcis lapis. 359
Perdicites. 530
Perfectæ quando fiant gemmæ. 38
Perileucos. 247
Perithe. 596
Perlarum minorum pretium. 177
Perlarum quinta eſſentia. 174
Perlarum rotunditas unde. 40
Perlata aqua. 173
Perlatæ tabellæ. 174
Perlæ hemiſphericæ. 177
Perſpicuitas gemmarum. 47
Peſtis remedia. 309, 313, 330, 378, 428
Phaonychites. 570
Phaſachates. 247

Phengites. 490, 505, 528
Phœnicites. 409
Phrenitidis remediũ Topaſius. 206
Phrygius lapis. 406
Phycites. 528, 569
Pilulæ ad morbos matricis, ſtomachi, &c. ſingulares. 328. & ſeq.
Pilulæ de lapide Armeno. 264
Pilulæ de lapide Lazuli. 276
Piſces ſaxei. 515
Piſolithus. 423, 529
Plinii error circa generationẽ margaritarum. 167
Ploginos. 569
Podagræ remedium. 224, 404 504
Podagram mitigans. 277
Polia. 529
Polo. 307
Polytrix. 528
Polyzonos. 528
Pondus gemmarum. 61
Ponticæ gemmæ. 569
Porcellana vaſa. 235. & ſeq.
Porcinus lapis. 354
Porphyrites. 505
Porrus. 569
Porus. 404
Pramnion. 242
Praſinus. 195
Praſius 203. & *eius proprietates.* 205
Praſii valor. 204
Præconiſſus. 570
Pretii Adamantum regula. 129
Pretii Adamantum tabula. 131
Pretii regulæ compendoſa. 135
Pretium margaritarum. 175 & ſeq.
Pretium lapidum inveniendi modus abſque tabula. 133. & ſeq
Principia lapidum. 28
Principia Paracelſica compoſita. 27
Prontea. 570
Pſeudoadamas. 219
Pſeudoadamas Arnhemius. ibid.
Pſeudoadamantes. 120
Pſeudoadamantes ſub Arctico polo inveniuntur. 35
Pſeudocorallium. 320
Pſeudopalus. 192
Pſeudopali differentia à Beli oculo. 249
Phthiſis remedium, 172, 404
Puerorum terroribus remedium. 277. *vermibus.* 299
Pulchri lapides qui. 14
Pulchritudo gemmæ quid poſſit. 125
Pulveris ad omnia venena deſcriptio. 173
Pulvis mirabilis ad epilepſiã. 328. *ad fluxum catarrhi ſiſtendum.* 329
Pulvis ad omnes cordis affectus. 128
Pumex. 400
Pumicis electio. ibid.
Pumicis genera. ibid.
Pumicis locus natalis. ibid.
Pumicis uſus pro pictoribus. 401
Punicus. 570
Purgans Armenium. 294
Purgat Molochitis. 264
Pyramidum tranſlatio. 507
Pyrene. 409, 528
Pyrrhopœcilon. 506
Pyrimachus. 288

Pyrites. 516
Pyritis facultates. 518
Pyritis hiſtoria. ibid.
Pyritum genera. 517
Pyrobolus. 570

Q.

Quandros. 570
Quartanæ Bezoar. 368
Quartanæ remedia. 277, 354
Quiricia. 570
Quiris. ibid.

R.

Rabri. 571
Radain. ibid.
Radainus. ibid.
Ramai. ibid.
Ranio. 570
Rari lapides qui. 13
Raritas in gemmis. 60
Regulæ cauſarum. 100
Regula intendendi pretii adamantum. 129
Regula pretii compendioſa. 135
Reiben. 570
Rhenalis lapis. 408
Rhinoceros. 430
Rhodites. 529
Roſmari dens pro Vnicornu. 433.
Roſten. 571
Rotundæ cur fiant gemmæ. 40
Rotunditas perlarum unde. ibid.
Rubicellus. 151
Rubini della rocha. 159
Rubini deſcriptio. 143
Rubini veri deſcriptio. 144. *generatio.* 144. *imitatio.* 148. *magnitudo.* 144. *mater balaſſius.* 145. *proprietates* 146. *valor.* 147
Rubinorum genera. 143. *matronalium pretium.* 147. & *ſeq.*
Rubino ſapphirum facere. 68
Rubinus Cabaris. 145
Rubinus magnus eſt Carbunculus. 144
Rubinus balaſius. 149
Rubinus ſpinellus. 151
Rubinus ad venena. 146

S.

Sabuloſus lapis. 198, 205, 402, 417
Salamandra. 383
Salarmoniac, naturæ. 53
Sal corallorum. 311
Sal iuvat ad diaphanitatē. 49
Sal ſapphiri. 185
Salis ſpecies colorum cauſa. 52
Salegra. 402
Sallius. 572
Samius lapis. 394
Samothracia. 336
Sanguinalis lapis. 357
Sanguinis fluxui remedia. 199, 209, 212, 251. & *ſeq.* 328, 353, 388, 390.
Sapphirea aqua oculis utilis. 118
Sapphiri. 183, 273. *ubi inveniantur.* 183
Sapphiri adulterium. 190
Sapphiri eſſentia, tinctura. 185
Sapphiri oleum. 187
Sapphiri proprietates & facultates. 184
Sapphiri ſal. 185
Sapphiri valor. 189
Sapphirus adhibetur ad venerem & venena. 185

Sar-

Sarcites. 530, 571
Sarcophagus. 403
Sardachates. 247
Sarda. 231
Sarda Serapionis. 230. & ſeq.
Sardius. ibid.
Sardii facultates. 232
Sardii genera. 231
Sardii uſus, valor, & dignitas. 233
Sardonychis adulterium. 237
Sardonychis dignitas, pretium. 235.
Sardonychis genera. ibid.
Sardonyx. ibid.
Sarmenius. 551
Savalia. 307, 320
Saxa, eorumque genera. 511
Saxa ubique reperiuntur. 37
Saxa calcaria. 522
Saxa molaria. 524
Saxa olentia. 521
Saxum arenarium. 512. *cruſtoſum.* 513. *limoſum.* 514
Scambia. 191
Scarites. 529
Schiſtus. 392
Scolopendrites. 528
Sedehego. 572
Selenites. 216
Selenitidis hiſtoria. 369. & ſeq. 438
Seminarium rerum. 31
Seminarium gemmarum occultum. 32
Siderites. 529
Situs an operetur in gemmis. 109
Silicis hiſtoria. 515
Similes partes ſibi adverſantur. 448
Similitudo egregia. 449
Sinochites. 572
Smaragdus ubi naſcatur, incertum. 197
Smaragdi adulterium. 203
Smaragdi deſcriptio. 195
Smaragdi debilitas. 200
Smaragdi genera. 12, 196
Smaragdi magnitudo. 198
Smaragdi occidentales duplices. 196
Smaragdi orientales & occidentales. 197
Smaragdi orientalis pretium. 202
Smaragdi tinctura. 200
Smaragdi valor. 201
Smaragdi vires. 198
Smaragdites. 203, 206
Smaragdopraſius. 205
Smaragdopraſii vires, valor. 206
Smaragdopraſius ab Indis geſtatur. ibid.
Smiris. 391
Solis gemma. 226
Somnum provocans. 277
Soriana. 153
Spartepolios. 572
Spartoplos. 529
Spaſmum curat molochites. 264
Specularem lapidem recentiores ſtatuunt ſelenitem. 397
Specularis lapidis locus natalis. ibid.
Speculares lapides colore ſunt diverſo. ibid.
Spinus lapis. 255
Spiritus lapidificus. 24
Spiritus mundi architectus mirabilis. ibid. & ſeq.
Spiritus mundi igneus & aëreus. 23
Spiritus mundi lucis & caloris

loris facultas. 23
Spiritus per gemmas metaphorice operantur. 126
Spongiæ lapis. 407
Spongites. 528
Sputo ſanguinis quid proſit. 353, 389, 411
Stalactites. 421
Stalagmites. 422
Statuas facere. 72
Steatites. 416, 527
Stelechites. 529
Stella terræ. 394
Stellaris lapis. 292, 345
Stellaris lapidis facultates. 299
Stignites. 506
Straſites. 572
Strombites. 528
Strumis conducens. 404
Sublimati remedium. 223
Succus lapideſcens. 52
Succinum Serapionis. 230
Succinum quid. 321
Succinum ut colligatur. 324
Succini fumus quid curet. 330
Succini genera. 323. & ſeq.
Succini hiſtoria. 321. & ſeq.
Succini imitatio. 334
Succini magiſterium. 331
Succini natura. 327
Succini fabulæ. 325
Succini olei vires. 330
Succini locus natalis veterũ. 326
Succini auctoris opinio. 325
Succini tabellæ. 331
Succini valor. 333
Succini mons. 324
Succini locus ubi inveniatur, veteribus ignotum. 324
Suffocationi uteri conducens. 338
Supranaturales vires an habeant gemmæ. 86
Superſtitio. 96
Sycites. 528
Syderitis. 529
Syderopœcilus. 572
Syenites. 506
Syſinus. 572
Sylvæ ſubterraneæ. 322
Sympathiam an habeant gemmæ. 111
Sympathia quid. ibid.
Syncopes remedium. 224, 264
Synodontides. 572
Syringites. 529, 572
Syrites. ibid.
Syrus. 572

T.

Tabula pretii adamantũ. 131. & ſeq.
Tabula ſectionum lapidum. 78
Tanarius lapis. 568
Talcum. 394. & ſeq.
Talci liquor. 395
Taos. 529
Taphiuſius lapis. 186
Tarak. 572
Tarti. 573
Tecolithus. 409
Telirrhiſos. 573
Telicardios. ibid.
Tephrites. 438
Tephria. 500, 502
Terræ vitrioli præparatio. 459
Terra ſimplex nulla. 24
Theamedes ferrum reiicit. 441, 450
Thracia. 573
Thracius lapis. 336, 340
Thyites. 415, 501
Thyriſites. 573
Thyrreus. 573

Tibe-

Tiberium marmor. 494
Tillinites. 528
Tinctura adamantis. 115. & *ſeq.*
Tinea remedium. 384
Topaſius veterum. 207
Topaſii adulterium. 213
Topaſii vires. 211. & *ſeq.*
Topaſii vulgaris valor. 212
Tophaceum ſaxum. 414
Tophus. 402
Trachinus. 573
Trapendana. 572
Trichrus. 573
Trochites. 410
Triophthalmos. 250
Tuberonum lapis. 360
Turcois. 265. *an horas ſignet.* 269
Turcoidis emendatio. 272. & *ſeq. genera.* 265
Turcoidis hiſtoria. *ibid.* & *ſeq.*
Turcoidis imitatio. 272
Turcoidis proprietates. 266. & *ſeq.*
Tutia præparatio. 458
Tympanitis remedium. 313

V.

Valor lazuli. 278
Valor adamantis. 128
Valor, fictio, uſus achatis. 248
Valor lapid. Armeni. 296
Valor ſapphiri. 189
Valor turcoidis. 271
Veientana. 573
Veneni remedia. 254, 303, 349, 373
Veneni remedium porcinus. 354
Venena pellit bezoar. 368
Venenorum remedia. 427
Venenorum remedium ſmaragdus 199
Venenis adverſans. 432
Venenis contrarium. 205, 341, 378, 420, 504
Venenis contrarius pulvis. 173
Venenis reſiſtit rubinus. 146
Venis ſapphirus adverſus. 185. & *ſeqq.*
Veneri amuletum. *ibid.*
Veneris oculus. 353
Ventriculi vitiis utile. 329
Ventriculum roborat molochites. 264
Verdello. 500
Vermibus bezoar utilis. 369
Vermibus vinearum adverſans. 340
Virginitatis exploratio. 337
Vires chelonitidis. 487
Vires gemmarum à forma. 32
Vires onychis. 244
Vires ſuccini. 327. & *ſeq.*
Virites. 573
Virtus occulta in lapidibus. 103
Vitiũ cur habeant gemmæ. 38
Vitrioli remedium. 309
Vitrum plumbi. 162
Vlceribus remedium. 385, 523
Vltramarini coloris confectio. 278. & *ſeq.* 290. & *ſeq.*
Vmbilicus marinus. 352
Vnicornu. 229, 230. & *ſeq.*
Vnicornu quinque animalia. 431
Vnio Cleopatræ. 170
Vnionis nomina varia. 167, 170. *origo.* 168.
Vniones Rudolphi Imp. 170
Vniones qui. 167. *magni, ubi.* 170

Vteri fluxui remedium. 223, 313
Vulneribus utile. 351, 352
Vulturius. 573

X.

X*Anthos.* 573
Xiſinus. ibid.

Y.

Y*Drinus.* 574
Yettus. 574

Z.

Z*Amech.* ibid.
Zanthenus. 574
Zeblicium marmor. 492, 494, 502. *eius vires.* 504
Ziazaa. 574
Zingintes. ibid.
Zmilaces. ibid.
Zozonitios. ibid.

Gemmarum & Lapidum Indicis FINIS.

6a